J.T.6.pl.5.

37
44 D
20

nnn 3064

MAURI SARTI

MONACHI, ET CANCELLARI

CAMALDULENSIS

DE EPISCOPIS EUGUBINIS

A D

Eminentissimum, & Reverendissimum Principem

HENRICUM HENRIQUESIUM

S. R. E. CARDINALEM

AEMILIAE PROVINCIAE LEGATUM.

Praecedit ejusdem auctoris de Civitate, & Ecclesia Eugubina dissertatio.

PISAURI; M. DCC. LV.

E TYPOGRAPHIA GAVELLIA.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Eminentiſſime, & Reverendiſſime

PRINCEPS.

CUr ego hunc librum Tibi ſacrum, dicatumque voluerim, multae cauſſae fuerunt, EMINENTISSIME, ET REVERENDISSIME PRINCEPS, ſed ea me maxime movit, quod vix fieri poſſe exiſtimaverim, ut literarium munuſculum, quantumvis tenue, & exiguum, Tibi gratum, acceptumque

non eſſet futurum, qui literarum cultor ſtudioſiſſimus, idemque patronus munificentiſſimus omnium judicio habereris. Haec enim de Te jamdiu fama percrebuit, ſic Te ab ineunte aetate optimarum artium, ac liberalium diſciplinarum amore captum fuiſſe, ut, iis adipiſcendis ſecundum Deum, reſque Divinas, vigilias omnes, curas, cogitationeſque impenderis; poſt autem, ubi adoleſcentiae annos vix tranſgreſſus, & Sedis Apoſtolicae ſervitio addictus, gravia munera, praefecturaſque illuſtrium civitatum, & provinciarum obire coepiſti, tantum temporis iiſdem ſtudiis tribuere conſueviſſe, quantum a publicis negotiis, & pietatis officiis ſupereſſet. His ſcilicet ſubciſivas horas, his ſolidos dies, ſi quos publicis curis vacuos tranſire contigiſſet, his noctium partem non minimam ſomno, & placidae quieti ereptam deputabas. Deputabas autem? Imo haec eadem Tibi cura nunc etiam, ut cum maxime dies, noctesque animo inſidet, licet Vaticana dibapha fulgenti, licet ad eum dignitatis gradum evecto, quo vix alterum ſuperiorem habes in terris. Eo factum eſt, ut non qualemcumque multarum rerum cognitionem, & ſpeciem eruditionis ad populi judicium, & vulgi captum mirificam, quod in homine occupatiſſimo ſatis ad laudem videri poſſet, ſed ſingularem quamdam, & excellentem in omni diſciplinarum genere, quas quidem Te maxime, hoc eſt viro nobiliſſimo, & eccleſiaſtico principe dignas judicaveris, ſcientiam, atque doctrinam ſis conſecutus. Neque Tu ſolum hoc perpetuo

ſapien-

ſapientiae ſtudio incenſus, ſed ſive quod ad publicam felicitatem earum civitatum, & populorum, quibus ipſe praeeſſes, hoc pertinere exiſtimares, ſive quod habere multos cuperes ſtudiorum honeſtiſſimorum ſocietate, & ſimilitudine conjunctos, ſatis compertum eſt in eo Te plurimum laboraſſe, ut literae, bonaeque artes ubique florerent, nec ullos homines Tibi in omni vita cariores fuiſſe, quam quos doctrina praeſtantes, vel certe literarum cupidos, ſtudioſoſque agnoviſſes. Hoc de Te praedicant civitates nobiliſſimae Camertium, & Aſculanorum, hoc Centumcellae, & Campaniae, Maritimaeque provincia, hoc Umbria, & Picenum, quibus a Romanis Pontificibus, in coelum receptis, Benedicto XIII., & Clemente XII. demum a BENEDICTO XIV. feliciter regnante praeſes es datus. Neque ab inſtituto diſceſſiſti in Tua illa ſplendidiſſima legatione Hiſpanienſi ab eodem optimo, ſapientiſſimo que Pontifice BENEDICTO XIV. demandata, quae Te annos plures in Hiſpania detinuit; Tua enim prima, ac praecipua cura fuit, non opes potentiſſimi regis cognoſcere, non armamentaria, portuſque maritimos, & nobiliſſimarum urbium miracula ſpectare, non quas atavi Tui, praeclaris Caſtellae, & Legionis regibus editi, olim ſedes habitarint, inviſere, ſed rara librorum ſupellectile inſtructas bibliothecas luſtrare, doctos homines noſſe, literarium commercium augere, atque inter aulae ſtrepitum tranquilliſſime cum Tuis libris, Muſiſque verſari. Nuper autem cum ab eodem indulgentiſſimo Pontifice haec Ti-

bi provincia decreta eſſet, idem ille animus Tuus erga literas initio ſtatim emicuit; non incertis enim auctoribus compertum habeo, hoc abs Te ſtudioſe quaeſitum, quis honos literis in hac provincia eſſet, num quae bibliothecae publicae, privataeve ſatis inſtructae, num optata librorum optimorum copia Tibi in hac provincia degenti praeſto eſſet futura, multaque de genere hoc, quae ſatis demonſtrant nunc Te in tanto dignitatis vertice, atque inter tanta rerum molimina, quae Chriſtianae reipublicae cauſa ſuſtinere Te oportet, non minore, quam umquam antea, literarum amore, & diſcendi ſtudio flagrare. Haec ſunt, EMINENTISSIME, ET REVERENDISSIME PRINCEPS, quae me impulerunt, ut librum hunc in Tuo ampliſſimo nomine emitterem, quod etiam hujus temporis ratio poſtulare videbatur. Cum enim hujus libri editio, quam varii caſus diu multumque remorati fuerant, in hoc ipſum tempus inciderit, quo, renaſcente anno, imperium hujus provinciae auſpicaris, aequum eſt, ut ad SOLEMNIUM VOTORUM NUNCUPATIONEM OBLATIO DEVOTA ex veteri more accedat. Dum igitur COMMUNIBUS VOTIS FELIX ANNUS APERITUR, & provincia omnis Aemilia, DEVOTA NOMINI MAJESTATIQUE TUAE, ANNUM NOVUM FAUSTUM FELICEM TIBI OPTIMO PRINCIPI rite precata, pro optatiſſimo Adventu Tuo, pro felicitate Triennalis imperii, pro diutina incolumitate Tua Vota ſuſcipit, mihi quoque licebit

cebit morem antiquum ſequi, & paucas haſce Muſarum manubias Tibi, poſt VOTA MULTA ex animo ſuſcepta, offerre, ac dedicare, quas Tu quidem, niſi ego magnopere fallor, libentius excipies pro Tua ſingulari humanitate, quam olim magni principes AURI OBRYZIACI SOLIDOS, STRENASQUE PLURES AUREOLAS JANI PRINCIPIIS AUSPICIO DATAS, accipere a devotis populis conſueverunt.

EMINENTIAE VESTRAE

Faventia Kal. Januar. MDCCLV.

Humillimus, & addictiſſimus ſervus
Maurus Sartius Monachus Camald.

D. HO-

VIII

D. HONESTUS M. HONESTINI A RAVENNA

Abbas Generalis totius Ordinis Camaldulenſis.

CUm librum, cui titulus eſt: *De Epiſcopis Eugubinis*, a P. D. MAURO SARTI monacho noſtro compoſitum, duo Theologi juſſu noſtro viderint, & in lucem edi poſſe cenſuerint, facultatem auctori praefato impertimur, ut eumdem librum typis mandare valeat, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur.

Datum Faventiae ex noſtro monaſterio SS. Hippolyti, & Laurentii die VIII. Maii MDCCLII.

D. H. M. Abbas Gen. Camald.

L. ✠ S.

D. Benjaminus Savorelli Cancellarius Camald.

PRAE-

PRAEFATIO.

CUM aliquando eſſem Eugubii, quo ego ex Avellanenſi monaſterio ventitare ſolebam, inveſtigandi cauſſa vetera monumenta monachorum Avellanenſium, quae plura eſſe in tabulariis ejus civitatis audieram, quaeque ego colligere, & pro modulo meo illuſtrare cogitabam; conveni ea de cauſſa viros humaniſſimos, vel ipſi potius pro ſua humanitate ſe ſe mihi ultro obtulerunt, Marcellus Franciarinus Ictus in patria ſua illuſtris, & Guido Ubaldus Angelinus, bibliothecae publicae ejus civitatis praefectus, quorum uterque patriarum antiquitatum peritiſſimus habebatur. Cum autem multa eſſemus una locuti iis de rebus, quarum cauſſa eo eram profectus, incidimus in eum ſermonem, qui Eugubinorum in ore ſaepius eſſe ſolet, plures ex meo illo Avellanenſi monaſterio evocatos eſſe monachos vitae ſanctioris, & prudentiae laude ſpectatiſſimos ad regendam eccleſiam Eugubinam: quae res & ei eccleſiae utiliſſima, & monaſterio ipſi honorificentiſſima fuiſſet. Ex eo ſermone pronum fuit eo ſenſim delabi, ut magnopere doleremus, chronotaxim antiſtitum Eugubinorum, in Italia ſacra Ferdinandi Ughelli mancam eſſe, & vitioſam, & jam ſatis diu manum medicam expectare. Hic ego, quin igitur, inquam, ejus ſanandae, & reſtituendae cogitationem ſuſcipimus, ea ſinguli afferentes in medium, quae ad eam rem cogitata, & meditata habemus? Cum illi conſilium probaſſent, ſed tamen uterque hanc provinciam detrectaret, feci ego audacius, & quod eos non dubitabam melius, & accuratius facturos, ſi ad ſcribendum ſe conferre voluiſſent, antiſtitum Eugubinorum chronologiam, & hiſtoriam, ſi non perficiendam, quod nullo modo fieri poteſt, at ſaltem tantiſper reformandam, & emendandam ſuſcepi. Quid labore meo conſecutus ſim, judicabunt alii: quid amicis optimis debeam Franciarino, & Angelino, dicam ego aperte; debeo enim utrique plurimum. Ille enim plures catalogos antiſtitum Eugubinorum ineditos, quos poſtea expendam, hic autem monumenta antiqua ad epiſcopos, & eccleſiam Eugubinam pertinentia, haud ſane pauca, neque vulgaria liberaliſſime communicavit, quae ſuis quaeque locis, ubi a me proferenda erunt, non committam, ut eum ego inſalutatum, & illaudatum praeteream. Atque utinam adhuc eſſet in vivis, nec antequam de his edendis cogitarem, patriae ſuae, amiciſque, ac mihi in primis ſubita, & immatura morte eſſet ereptus; multa enim inſtituto meo accommodatiſſima, quae, ut erat in antiquis patriae ſuae monumen-

numentis eruderendis indefeſſus, his annis ſuperioribus collegerat, multa, quae animo collecta retinebat, mibi certiſſime ſuppeditaſſet, quemadmodum ſaepe per literas erat pollicitus. Ego vero hac ſpe deſtitutus, & inopino caſu perculſus, animo concidi, deque abjicienda omni cura, & cogitatione bujus operis, quod nulla ratione perfici poſſe videbam, cogitare coepi. Sed, cum & fidem meam obligatam haberem, & quidquid id eſt, quod jamdiu moliri coeperam, eccleſia Eugubina a me, prope jure ſuo, repetere videretur, nec deeſſent amicorum ſtudia, qui ſtimulos cunctanti adjicerent, & repente etiam eſſet repertus diligentiſſimus vir, atque humaniſſimus Raynaldus Repoſatus, ſuburbani ſacerdotii S. Mariae in Padule curator, qui mibi ſuppetias ferret, & multa, quibus maxime egebam, Eugubina monumenta ex ea civitate ſubmitteret, rumpenda fuit mora omnis, nec diutius in vado haerendum. En igitur, benevole lector, chronotaxim antiſtitum Eugubinorum aliquanto meliorem, quam quae hactenus apud Ughellum prodierat: perfectam autem, & numeris omnibus abſolutam, cave alicunde expectes; neque enim eccleſia Eugubina chronographos habet, qui antiquiorum temporum memoriam literis commendarint, nec in ſuis tabulariis, licet ſatis copioſis, eximiae antiquitatis monumenta recondit, quae omnia ſuperiorum temporum caſus eripuerunt. Sed quidquid id eſt, undeunde corradendum fuit, & quaſi emendicandum, ut binc ſaltem diligentiam meam nulli non ſim probaturus. Sed de ſubſidiis, quibus uſus ſum in hoc opere conficiendo, abunde dicam in ea diſſertatione, quam epiſcoporum chronotaxi praemitto. Nunc te monitum volo, aliquid a me identidem delibatum eſſe de civili hiſtoria Eugubinorum, quod videbitur fortaſſe alienum ab inſtituto meo, ac multo etiam magis vereor, ne quis extra orbitam excurriſſe me judicet, cum de quorumdam oppidorum, & caſtrorum agri Eugubini originibus, & antiquitate diſſeruero. Sed non deerunt etiam, opinor, alii, qui probent conſilium meum, praeſertim cum nulla adhuc hiſtoria Eugubina publicam lucem aſpexerit, quamvis de ea edenda cogitaverint multi, & aliquis etiam magnam ejus partem diligenter ſcriptam reliquerit: nam Bernii chronicon Eugubinum, a Muratorio (a) in ſcriptoribus rerum Italicarum publici juris factum, haud ſatis longi temporis acta complectitur. Quod ſi qua in re imprudens a veritate aberravero, quod utinam non ſaepiſſime contigerit, habebo eis gratiam, qui me commonuerint, & ab errore revocaverint. Si qua autem praeteriero, digna quae ſcribantur, & efferantur in lucem, nolim id quiſpiam mibi vitio vertat, qui, cum ſcriptionem hanc multis ab binc annis urgere coeperim in meo illo monaſterio Avellanenſi,

boc

(a) Tom. XXI. Rer. Italic. Script.

hoc eſt in ipſis Eugubinorum finibus, unde Eugubium excurrere, quandocunque opus eſſet, & neceſſariam rerum Eugubinarum cognitionem aſſequi facillime potuiſſem; eam & abſens, & non minimis occupationibus diſtractus abſolvere debui. Quod ſi vero non ſemel ab Ughello, & a reliquis catalogis antiſtitum Eugubinorum, qui circumferuntur, receſſero, nolim in eo cujuſquam animum offendere. Et prudentum ſane hominum, verique amantium non vereor, ne reprehenſionem incurram; his enim facile perſuaderi poterit, nihil aliud in hoc opere ſcribendo mihi propoſitum fuiſſe, quam ſtudium veritatis, cujus aſſequendae cauſſa exiſtimavi nefas non eſſe, vel ab Ughello, vel a quibuſcumque catalogis, diſcedere, ubi eos comperiſſem cum veritate ipſa minime conſentire. Sed de hac re tota in extremo capite diſſertationis de Civitate, & Eccleſia Eugubina, *quam hic, Deo auſpice, aggredior, commodius animi mei ſententiam explicabo. Ejus ſcribendae exemplum mihi ſuppeditavit Ferdinandus Ughellus, cui ego in componenda epiſcoporum Eugubinorum chronotaxi, quaſi ſuccenturiatus acceſſi. Is enim priuſquam ſingulos cujuſque eccleſiæ antiſtites in album ſuum referre aggrediatur, de hiſtoria ejus civitatis, & eccleſiae, in qua floruerunt, non pauca delibat. Hoc igitur viri prudentiſſimi exemplum ſequi mihi certum eſt, deque civitate, & eccleſia Eugubina, antequam de epiſcopis agam, nonnulla praefari. Erit id argumentum hujus diſſertationis, cujus ſynopſim, & quaſi conſpectum, per ſumma capita expoſitum, hic habes.*

CAPUT I.

Civitatis Eugubinae ſitus, nomen, antiquitas, dignitas.

CAPUT II.

Monumenta antiqua civitatis Eugubinae.

CAPUT III.

Hiſtorica quaedam rebus Romanorum florentibus. Fortuna varia ad noſtra uſque tempora.

CAPUT IV.

Territorium, oppida, & caſtella Eugubinorum.

CAPUT V.

Eccleſiae Eugubinae antiquitas inſignis. Status ejus floridus ſub S. Innocentio I. Cathedralis aedes, ejuſque canonici.

CAPUT VI.

Priſtina libertas eccleſiae Eugubinae, nunc Vrbinati metropoli ſubjectae. Dioeceſis extenſio. Monaſteria ejus finibus comprehenſa.

CAPUT VII.

Viri ſanctitate illuſtres, qui in eccleſia Eugubina floruerunt.

CAPUT VIII.

Kalendarium eccleſiae Eugubinae.

CAPUT IX.

Catalogi epiſcoporum, aliaque monumenta, quibus in hoc opere uſi ſumus.

DE CIVI-

DE CIVITATE ET ECCLESIA EUGUBINA. DISSERTATIO.

CAPUT I.

Civitatis Eugubinae ſitus, nomen, antiquitas, dignitas.

CLara in primis, & nobilis Umbrorum eſt civitas Eugubium Caeſari, Tullio, Straboni, Ptolemaeo, Plinio, Silio Italico, Tabulae itinerariae, que Peutingeriana dicitur, Anonymo Ravennati, aliiſque antiquis ſcriptoribus celebrata. Ea eſt ad apenini radices VIII. circiter M. P. ſupra viam Flaminiam. Sunt autem Eugubini Peruſinis ad meridiem contermini, Tifernatibus ad occidentem, ad ſeptemtrionem Callienſibus, ad orientem aeſtivum Sentinatibus (*a*), ad hibernum Tadinatibus (*b*), & Nucerinis. Eugubinae civitatis latitudo, ex nuperrimis obſervationibus VV. CC. Rogerii Joſephi Boſcovich, & Chriſtophori Maire, mathematicorum illuſtrium ex Soc. Jeſu, eſt gr. 43. 21. longitudo gr. 30. 4. Ad hanc porro longitudinem definiendam obſervarunt viri illi mathematicarum rerum cum ſcientia, tum uſu, & exercitatione praeſtantiſſimi, eſſe civitatis Eugubinae longitudinem ſex minutis majorem, quam quae eſt collegii Romani, in meditullio urbis Romae poſiti. Eſt autem collegii Romani longitudo gr. 29. 58. Eſt igitur longitudo civitatis Eugubinae gr. 30. 4. major nimirum minutis quinque, & aliquanto amplius, quam olim ab illuſtri praeſule Franciſco Blanchinio conſtituta fuerat, qui ſub eodem meridiano Romam, atque Eugubium locaverat. Sed hujus erroris cauſſas, atque hanc rem totam explicabunt

(a) *Sentino veteri novi nominis oppidum ſuccrevit* Saſſoferrato. (b) *Ex Tadini reliquiis oppidulum emerſit, noſtratibus* Gualdo *appellatum, terrae concuſſionibus nuper magna ex parte dijectum.*

cabunt illi ipſi viri clariſſimi, cum ditionis pontificiae abſolutiſſimam tabulam chorographicam, cui perficiendae jamdiu inſudant, literario orbi communicabunt. Haec me interim praeguſtare voluit idem Boſcovich, cujus ego humanitatem non hoc primum tempore ſum expertus.

II. Caminiano amni, ſeu potius torrenti, inſidet Eugubium, ac partim in plano jacet, partim radices vicini montis ſenſim aſſurgentes occupat. Atque hic quidem nunc civitatis ſitus, poſtquam ſaeculo XII. renovata eſt. Olim aliquanto inferius, ſaltem majore ſui parte, poſita fuiſſe videtur in ea planitie, quae infra civitatem ad antiqui theatri, & mauſolei reliquias protenditur. Viderat id etiam Cluverius, qui vetuſtae civitatis ſitum, alium ab eo, qui nunc eſt, ſe deprehendiſſe fatetur *ex templorum, & theatri reliquiis*, ut ipſe ait, *haud procul diſſitis* (*a*). Et ſane quidquid agri ibidem interjacet ruderibus, & parietinis refertum eſt, ac nuper, cum altius terram egerere oportuerit, jaciendis novi ampliſſimi xenodochii fundamentis in foro boario, quod non minimam ejus planitiei partem occupat, antiquorum aedificiorum illuſtria veſtigia apparuerunt.

III. Eo autem loco fuiſſe civitatem Eugubinam, antequam fato ceſſerit, &, ut ceteris fere contigit, vi temporum afflicta corruerit, oſtendunt etiam antiquae tabulae ad annum MXCII. ſcriptae, quibus conſignatur alienatio vineae canonicorum eccleſiae cathedralis Eugubinae, quae quidem vinea ſita dicitur *in civitate antiqua prope Caminianum flumen* (*b*). Exeunte igitur ſaeculo XI. quo tempore tabulae illae ſcriptae ſunt, vetuſtae civitatis locus accolis vacabat, & vitibus conſitus erat, qui dum fuiſſe dicitur prope Caminianum, ſatis apparet plurimum a vero aberraſſe Ughellum, alioſque, qui Eugubium vetus in praealto monte, qui nunc civitati impendit, conditum fuiſſe ſcripſerunt, ad eum locum ſane arduum, & aſcenſu difficillimo, ubi templum divo Ubaldo civitatis patrono ſacrum, ejuſdemque venerabili corpore nobilitatum, aſſurgit: quem ſane locum vix credibile eſt quempiam fuiſſe, qui civitati aedificandae opportunum judicaverit.

IV. Ad vulgarem hanc Ughelli opinionem infirmandam facit id, quod de Eugubina civitate canit Silius Italicus:

Nar-

(a) *Cluver. Ital. antiq.* l. II. c. VII. p. 616. (b) *Extat earum tabularum ſynopſis in codice Archivi Armanni ſignat. lit. D. pag.* 14. *de quo aliquid dicendum hujus diſſertationis capite extremo.*

Narnia & infeſtum nebulis humentibus olim
Iguvium. (*al. Inginum*) (*a*).

Quis enim nebulis humentibus ita infeſtum crediderit, ut ex iis potius denominandum fuerit, quam ex loci natura, oppidum in editiſſimo monte ſitum? At ſi eam planitiem, quam dixi, occupaverit, nemo id mirabitur, ac facile intelliget, fuiſſe locum illum, montibus non una parte clauſum, denſis vaporibus, & nebulis alendis aptiſſimum, praeſertim ſi haud procul abeſſent aquae ſtagnantes, quas quidem aliquando non defuiſſe, poſtea autem aliorſum deductas, & exſiccatas, vel ipſa denominatio ſuburbani ſacerdotii *S. Mariae in Padule*, non admodum diſſiti, abunde demonſtrat. Atque hinc intelligere pronum eſt, qui potuerit Silius Iguvium nebulis humentibus olim infeſtum dicere, quale ſcilicet ſuo tempore non erat, jam exſiccata palude, ex qua infeſti vapores prodire ſolebant.

V. Hujus praeclarae civitatis nomen, antiquiſſima lingua ſive Italorum, ſive Etruſcorum, qui late per Umbriam, atque adeo per Italiam fere univerſam ante Romanos imperarunt, non Eugubium, quod deterior aetas induxit, ſed *Ikuvium* fuit, unde ejus incolae *Ikuvini* ſunt dicti. Vetuſtum hoc populi Eugubini nomen omnium primus detexit Hannibal Oliverius Piſaurenſis V. C. ad elegantiora quaeque ſtudia natus. Is enim nummum aereum ex muſeo M. Ducis, ad calcem Etruriae regalis editum, in quo haec vox *Ikuvini*, a nemine ante illud tempus intellecta, iis literis expreſſa legitur, quas Etruſcas ſolemus appellare, Eugubinis noſtris invicte aſſeruit (*b*). Similem ego nummum vidi anno ſuperiore, cum eſſem Peruſii, apud virum nobiliſſimum Diamantem Montemellinum comitem, egregium iſtiuſmodi elegantiarum aeſtimatorem, & collectorem diligentiſſimum, a quo & ejus ectypum nuper habui, capite ſequenti, cum aliis Eugubinorum monumentis producendum.

VI. Sed vetus illud nomen *Ikuvium*, latinitate donatum, vix ullam mutationem ſubiit; *Iguvium* enim, & *Iguvinos*, vix una immutata literula, Latini dixerunt. Teſtes profero plures inſcriptiones antiquas, in quarum una eſt L. SABINUS L. L. ORTUS AB. IGVVIO (*c*). In altera item eſt M. FVLLONIUS. QVINQVEN. COLLEGI. FABRUM. IGVVINorum (*d*). Rurſum in alia, olim Fulginii effoſſa, quae non ſemel edita eſt CIVITAS. FOROFLA. FVLGINIA. ITEMQVE. IGVVINORVM (*e*). Jamdiu vero obſervarunt eruditi, tum Latinis

(a) *Sil. Ital. l.* VIII. (b) *Olivier. Spiegaz. di alcuni monum. degli antichi Peliſgi p.* 16. (c) *Cap. ſeq.* (d) *Ibid.* (e) *A Manut. Ortograph. v. Felix p.* 340. 43

nis antiquioribus, tum Etruſcis ignotam fuiſſe literam G, pro qua C, ſive K uſurpabant. Hinc in columna Duillii *lecion. pucnando. maceſtratos. exfociont.* pro *legion. pugnando. magiſtratus. effugiunt* (*a*). In tabulis vero Eugubinis, nomine ipſo apud literatos omnes notiſſimis, quarum duae, licet antiqua illa Italica, ſive Etruſca lingua, Latinis tamen, ſive, ut ajunt Pelaſgicis literis, quinque autem & eadem illa vetere lingua, & literis etiam, ſive Italicis antiquis, ſive Etruſcis ſcriptae ſunt, quae voces in duabus primis tabulis habent literam G, quoties in quinque reliquis occurrunt, habent literam K, quam Etruſci pro C paſſim adhibuerunt. Quod igitur antiquioribus Italis, ſive Etruſcis erat *Ikuvium*, & *Ikuvinus*, idem ſonare videbatur, ac *Iguvium*, & *Iguvinus*, ut Latini poſtea ſcripſerunt.

VII. Subinde tamen, cum Latina lingua priſtinum nitorem amitteret, hujus quoque civitatis nomen non leviter immutatum, & corruptum eſt. Male affectum Plinii locum (*b*) emendans Turnebus, ubi in libris ad eum diem editis erat *ſicut in Italia e gummi*, legendum monet ex fide Mſſ. codicum, *ſicut in Italia Eguvini* (*c*). Quod ſi ita ſcriptum fuiſſe a Plinio conſtaret, vetus nomen *Iguvium* in *Eguvium* jam tum migraſſe manifeſtum eſſet. Sed, ut libenter, do Turnebum, in Mſſ. exemplaribus reperiſſe *Eguvini*, ita vix credam Plinium ipſum, qui in iiſdem naturalis hiſtoriae libris, Umbriae populos juxta literarum ordinem recenſens, *Iguvinos* ſcripſerat (*d*), eoſdem alio loco *Eguvinos* appellaſſe. Hanc igitur mutationem primaevi nominis poſt Plinii aetatem accidiſſe arbitror, quam Turnebum in codicibus Plinianae hiſtoriae ſequiori aevo exſcriptis reperiſſe non miror.

VIII. Ubi autem vetus nomen *Iguvium* in *Eguvium* deflexit, facillima, ne dicam neceſſaria mutatione in *Egubium* migrare debuit. Norunt omnes, qui vix ullam antiquitatis cognitionem habent, quarto in primis, quinto, & ſequentibus aliquot ſaeculis a Chriſto nato, pro V conſona paſſim B uſurpari conſueviſſe, cujus rei infinita occurrunt exempla in titulis ſepulcralibus, aliiſque eorum temporum monumentis (*e*). Neque devexiori ſolum aevo, ſed adhuc florente lingua latina haec literarum tranſmutatio obtinere coeperat. Ut enim hoc uno exemplo utar, in inſcriptione Fratrum

(a) *Vid. Ger. Jo. Voſſ. de litter. permut. lit. G.* (b) *Plin. H. N. nat. l.* XV. *c.* VII. (c) *Turneb. Adverſ. l.* XXVII. *c.* XVII. (d) *Lib.* III. *c.* XIV. (e) *In his eſt* Vibus, Vibas, *ſeu* Bbas. Bictor, Seberus, Balerius, &c. &c. *pro* Vivus, Vivas, Victor, Severus, Valerius, &c. &c.

Fratrum Arvalium, apud Philippum a Turre in appendice ad monumenta veteris Antii BERBECES, & VERBECES pro VERVECES lego, BACCAM pro VACCAM. Pertinet autem haec inſcriptio ad annum erae vulgaris CLXXXIII. (*a*). In hunc modum ſemel immutato hujus civitatis nomine, numquam primaevum illud *Iguvium* revocatum eſt, ſed *Egubium*, *Agubium*, *Egobium*, *Gobium*, *Ugubium*, *Ugobium*, denique Eugubium dicere amavit poſterior aetas. Hinc *Egubinus* dicitur in melioris notae codicibus mſs. noſter ille Decentius, ad quem exſtat celebris Innocentii I. epiſtola (*b*). In Tabula itineraria Peutingeri: *Jovis Penninus idem Agubio*. In actis concilii Romani, ad annum MLVII. celebrati, ſubſcribit *Guido Egobinenſis epiſcopus* (*c*). In antiquis tabulis pluribus, quae aſſervantur in archivo S. Crucis Fontis Avellanae, ſaeculo XI. & XII. ſcriptis: *Territorium Gobinenſe*, *Egobinenſe*, *& Ugobinenſe*. In nummis Eugubii, ut opinor, percuſſis, de quibus capite ſequenti: s. v. VGVBIO. Communi tamen uſu Eugubium nunc, & Eugubinos dicere ſolemus, a quo mihi recedendum non putavi, in chronotaxi antiſtitum hujus florentiſſimae eccleſiae adornanda.

X. Prima hujus nominis, in hunc modum innovati, veſtigia apud anonymum Ravennatem deprehendo, a Porcheroniō editum, in quo poſt Callem, & Luceolos, nota olim viae Flaminiae loca, habetur *Eugube*, *quae dicitur Interbio*, *vel Conſtantiniana* (*d*). Eſt hic anonymi locus, ut opinor, corruptus. Certe quid *Interbio* ſit, & *Conſtantiniana*, divinare neſcio. Nam quod auctor tabulae chorographicae Italiae medii aevi, a Muratorio editae (*e*), in anonymi Ravennatis *Conſtantiniana* latere auguratur Coſtacciarium, agri Eugubini oppidulum ſecus viam Flaminiam, probare id non poſſum, qui Coſtacciarium ſcio ab Eugubinis conditum poſt medium ſaeculum XIII. qua de re in antiquitatibus Avellanenſibus diſſeram. Sed Eugubio fortaſſe *Conſtantiniana* nomen haeſerit, propterea quod a M. Conſtantino, vel ab aliquo principum, qui eo nomine diceretur, inſigni beneficio cumulatum fuerit. Plurima occurrunt in omnium temporum hiſtoria ejuſmodi exempla, atque illud ſimillimum, quod Cirta Africae civitas *Conſtantina* dicta eſt, honoris cauſa erga M. Conſtantinum.

XI. Has mutationes tulit hujus civitatis nomen, ita ferente

(a) *Philipp. a Turre append. ad Monum. veter. Antii Inſcript.* II. *Fr. Arval.* (b) *Edit. P. Couſtant. & in canon. eccl. Rom. c.* XXII. *&c.* (c) *Manſi ſupplem. ad Concil. Lab. Tom.* I. *pag.* 1314. (d) *Anonym. Rav. l.* IV. XXIII. *pag.* 214. (e) *Rer. Ital. ſcript. To.* X. *diſſert. in tab. chorogr. ſect.* XVII. *n.* 84.

uſu temporum, apud quem ſumma eſt poteſtas in linguis, & ſermone hominum. Quod ſi quis veteres Latinorum, & Graecorum libros, qua manu ſcriptos, qua typis editos conſulat, in quibus haec civitas nominatur, vix ejus nomen agnoſcet, adeo corruptum, & deformatum reperiet. Quis enim, quod in pleriſque Caeſaris, Tullii, (*a*) Livii, (*b*) Silii, (*c*) Strabonis, (*d*) & Ptolemaei (*e*) exemplaribus eſt, *Siſinguium*, *Tignium*, *Igiturvium*, *Inginum*, *Itorum*, *& Iſuvium*, ſive *Iſvium*, pro *Iguvio* acciperet, niſi aliunde lux affulgeret? Et ſane ſcriptores etiam eruditiſſimi non defuere, in quibus Sigonium miror (*f*), qui antiquos Umbriae populos recenſentes, *Iguvinos* praetermiſerunt, qui erant cum primis numerandi, cujus erroris ea cauſa fuit, quod *Iguvinae* civitatis vetuſtum nomen miſere foedatum in antiquorum libris non agnoverunt. Fuere etiam qui ob eamdem cauſam aperte negarint Straboni maxime, & Ptolemaeo notam hanc civitatem, quod ſcilicet ejus nomen in eorum libris deturpatum diſpicere non valuerunt (*g*). Ex eo autem, quod nulla ſit his geographiae principibus Eugubinae civitatis mentio, facile fuiſſet ejus ignobilitatem ſuſpicari. Sed horum errorem repreſſit haud ita pridem vir eruditus Marcellus Franciarinus, ICtus nobilis Eugubinus, edita diſſertatione, qua Strabonis *Itorum*, & Ptolemaei *Iſuvium* non aliud eſſe, quam *Iguvium* noſtrum, ſive, ut nunc dicere amamus, Eugubium demonſtrat (*h*).

XII. Sed

(a) *Vid. Cluver. loc. cit.* (b) Recuſantibus cuſtodiam Spoletinis, Igiturvium reges traducti *Liv. dec.* v. l. v. c. xxxvi (c) Narnia, & infeſtum nebulis humentibus olim Inginum. *Sil. Ital.* l. viii. *edit. Gryph. a.* 1547. (d) *Strabonem ait Cluverius inter alia, quae citra Apenninum ab laeva viae Flaminiae erant parte, haec oppida recenſuiſſe Ameriam, Tuder, Hiſpellum, &* Itorum Ἴτουον. Sed de hoc poſtremo oppido *pergit Cluverius*, merito quis quaerat, quum inter illuſtres, & memoratu maxime dignas urbes id recenſeat Strabo, qui fiat, ut nulla ejus apud quemquam alium auctorem exſtet mentio. *Sed cum hoc eſſet* prope ipſum montis Apennini tranſitum, *ut inquit Strabo*, ſcilicet qua is via Flaminia tranſibatur, *rite iuſert Cluverius*, nullum aliud ab ſiniſtro viae latere tam propinquum, quam τὸ Ἰγούϊνον Iguvium. *Atque hoc vocabulum apud Strabonem ab exſcriptoribus corruptum in* Ἴτουον *iure exiſtimat.* (*Vid. Cluver. loc. cit.*) *Strabonis locus ex interpretatione Guarini Veronenſis in codice mſſ. quem vidi in publica bibliotheca Ferrarienſium ita habet*: Altera ex parte, *laeva ſcilicet viae Flaminiae*, Amoria (l. Ameria) & Tuder clara civitas, Hiſpedum (l. Hiſpellum), & Hituron: prope hoc montis exceſſus eſt. (e) *In Ptolemaei tabulis eſt* Ἰκούϊον (*Cluver. ibid.*) *Sed Ptolemaei Iſuvium ipſum eſſe Iguvium pluribus ab hinc ſaeculis viri docti intellexerant, ut ex Franciſco Berlingherio conſtat, qui geographiam italicis verſibus explicatam Federico Urbinatium duci dedicavit, poſt medium ſaeculum* xv. *Sic enim habet* l. iii. c. xiii.

Centino, Eſi, Jufico ſuccedea,
Tiferno hor di Caſtello città decta,
Pitino, Iſujo Agobbio ſi derea.

(f) *Sigon. de antiq. iur. Ital. l.* i. *c.* xvii. (g) *Diar. literar. Ital. To.* xv. *ar.* 10. (h) *Opuſc. Calog. To.* viii.

XII. Sed multo ante miram hanc ejus nominis deturpationem perſenſerant viri docti, face in primis ferente Auguſtino Steucho, aetatis ſuae doctiſſimo viro, qui de nomine patriae ſuae, ad calcem librorum de perenni philoſophia diſſerens, ubi erant ea monſtra verborum apud Caeſarem, alioſque, quos dixi, *Iguvium* reponendum eſſe docuit, atque ita deinceps ab iis, qui eorum auctorum editionem curarunt, mendum adeo enorme paulatim ſublatum eſt. At Vincentius Armannus, tribus epiſtolarum voluminibus editis, aliiſque libellis literariae reipublicae notus, Steuchum tacite reprehendit, quod patriam ſuam, multis nominibus inſignem, ad unum *Iguvii* nomen tamquam in caveam, atque anguſtias redegerit. Is vero duo & viginti nomina patriae ſuae in medium affert, hebraicae, ut ipſe inquit, graecae, latinae, ac barbarae originis (*a*). Sed magis ipſe reprehendendus, qui impotenti patriae amore percitus, ad ſingularem ejus laudem pertinere exiſtimat, quod tot nominibus celebretur, quae merae ſunt unius genuini nominis corruptiones. Hanc autem puto cauſam fuiſſe, cur hujus civitatis nomen tantopere deturpatum ſit in antiquis libris. Quae enim ad nos pervenerunt Caeſaris, Tullii, aliorumque veterum ſcriptorum exemplaria, per id tempus ſcripta ſunt, cum vetuſtum illud nomen civitatis *Iguvium* deperditum erat. Pronum autem maxime fuit librariis in antiquis libris exſcribendis depravare, & pervertere nomen, quod neque ipſi umquam audierant, & cujuſmodi eſſet, utpote jamdiu obſoletum, ignorabant.

XIII. Sed ſatis jam multa de nomine. De civitatis antiquitate quod dicam vix habeo. Nam quae ſomniarunt aliqui de Gubbio rege civitatis conditore, deque aliis regibus, qui ſaeculis multis ante Romam conditam floruerint (*b*), quis hoc tempore commemorare audeat? Fuit olim iſtiuſmodi fabellis pretium, nunc una veritas exquiritur, & probatur. Eſſe tamen hanc civitatem longe antiquiſſimam, & nobiliſſimam, nemo negaturum credo. Certe ejuſmodi antiquitatis monumenta oſtentare poteſt, quae illuſtriores quaeque civitates invideant. Tales ſunt in primis nummi, vetere illo *Ikuvinorum* nomine ſignati, quos credibile eſt percuſſos fuiſſe, antequam Umbria in poteſtatem populi Romani veniſſet; conſentiunt

 enim

(a) Ella dunque vien detta Bebium, Bobotinium, Forum Julium, Concubium, Gobium, Igiturvium, Iguium, Iguvium, Inginium, Inguvium, Iſvium, Iſuvium, Irum, Julia Eugubia, Ogiginium, Ogiginianum, Sirigaium, Sitiguvium, Subrium, Tignium, & Tinnium. *Arman. vol. I. ep. ad Carol. Cartar. pag. 674. ſeq.* (b) *Ibid. & in deſcript. civit. Eugub. Anton. Concioli ICti, quam ſuis in Statut. Eugub. commentariis praemiſit.*

enim eruditi, nulli ex civitatibus Italicis, poſtquam Romanis ſubjectae ſunt, jus cudendae monetae relictum. Ex eo autem quod populi *Ikuvini* nomen in iis nummis expreſſum ſit, eam civitatem autonomam, ſuique juris fuiſſe, facilis conjectura videtur. Cur enim ſui principis nomen ejus nummi non ferrent, ſi cui principi paruiſſet? Hanc porro libertatem, quam *Ikuvini* veteres ab antiquiſſimis temporibus, & fortaſſe ab ipſa civitatis origine, ſua virtute quaeſierant, etiam ſub Romanis, quo ad licuit, retinuerunt, cum quibus aequiſſimo foedere, niſi ego vehementer fallor, conjuncti fuere, non ſecus atque Camertes, aeque clara Umbrorum civitas, qua de re capite tertio dicendum erit.

CAPUT II.

Monumenta antiqua Civitatis Eugubinae.

I. VIx ulla eſt civitas, apud quam illuſtriora ſuperſint monumenta antiquitatis, quam apud Eugubinos. In his maxime ſpectandum eſt theatrum vetus, magnis lapidibus compactum, cujus ingentes, & ſplendidae reliquiae, integri aedificii, quae olim magnitudo, & praeſtantia fuerit, oſtendunt. Ejus meminit Palladius (*a*), aliique non pauci. Antonius Franciſcus Berardus comes, patricius Callienſis, & Eugubinus, elegantiorum artium ſtudiis apprime deditus, & architectonices peritiſſimus, tam praeclari operis ichnographiam dedit, & nonnullarum partium ſchemata delineavit, quae curante Franciſco Paſſioneo comite, Dominici Paſſionei, nunc S. R. E. cardinalis fratre, tabulae aeneae inciſa, & magno folio impreſſa in Petri Ottoboni cardinalis nomine, anno MDCCXXIX. in publicum prodierunt, ac rurſum edita ſunt, paucis ab hinc annis, in ſupplementis utriuſque theſauri antiquitatum Romanarum, & Graecarum, ſtudio Joannis Poleni U. C. (*b*). Ea hic iterum vulgamus beneficio ejuſdem humaniſſimi comitis Berardi, qui eam ipſam tabulam aeneam mihi in hanc rem commodavit. Erat ad calcem ejus tabulae epiſtola nuncupatoria Franciſci Paſſionei ad cardinalem Ottobonum, quam nefas non fuerit hoc loco praetermiſiſſe. Tum ſequebatur ſingularum partium, quae hujus tabu-

(a) *Pallad. lib* 1. *architect. c.* XIII. (b) *Tom.* V. *Supplem. utriuſque theſauri antiq. Rom. & Graec. pag.* X.

Theatrum antiqum Iguvinorum. Pag. XX.



tabulae figuris deſignantur, nitida explicatio in hunc modum.

A. Proſpectus exterior, uti nunc eſt.

B. Proſpectus interior, uti ex veſtigiis cenſetur fuiſſe.

C. Proſpectus exterior, uti fuit.

D. Ichnographia ordinis ſuperioris xyſti, quem intus columnae teretes, non tamen ſolidae, ſed ex variis fruſtis compactae ſuſtinebant. Cetera ex conjecturis acceſſerunt.

E. Ichnographia primi ordinis, cujus non modica pars adhuc ſupereſt.

F. Epistylium, ornatus, & corona, ex variis fragmentis ſuppleta.

G. Corona altera, & ornatus, operi ſuperiori perſimiles, quibus incumbebant arcus.

H. Columna interior ſuperſtes ex variis fruſtis compacta.

II. De hujus theatri aetate conjecturam facere licet ex inſcriptione, quam infra habebis quarto loco inter alias ad Eugubinam civitatem pertinentes. In ea enim CN. SVLPICIVS RVFVS theatrum SVA PEC. *ſublaqueaſſe* legitur, *trabes tecti ferro ſuffixiſſe*, *lapide ſtraviſſe*, *& podio circumcluſiſſe*, certamque ſummam IN LVDOS. VICTORIAE CAES. AVG. dediſſe. Effoſſa olim fuit haec inſcriptio ad dextrum cornu theatri Eugubini, neque dubium eſt, quin ad illud pertineat, cui perficiendo, cum extremam manum attulerit CN. SVLPICIVS poſt victoriam Actiacam Auguſti, quam miris modis ubique celebratam conſtat, circa ea Auguſti tempora theatrum Eugubinum perfectum, & abſolutum fuiſſe videtur. Ipſa vero operis elegantia, quae ex iis partibus, quae ſuperſunt, abunde colligitur, aevo Auguſteo maxime convenit, quod & indicare videntur fragmenta quaedam antiquae inſcriptionis, grandibus, & elegantiſſimis literis, quae fuit, opinor, titulus olim ſupra principem theatri portam poſitus. Vidi ea fragmenta in palatio publico Eugubinorum, quae ex theatri ruderibus paulo ante effoſſa dicebantur, ſed cum vix pauculas literas continerent, nihil de tituli ipſius ſententia, ne conjectando quidem, aſſequi licuit. Accuratiorem porro diſquiſitionem de hoc theatro, ejuſque partibus, neque inſtituti mei ratio a me requirit, neque praereptam volo eruditiſſimo viro, quem in ſe hanc provinciam ſuſcepiſſe intelligo. Tantum addo nullam mereri fidem, quod in quibuſdam mſſ. hiſtoriolis civitatis Eugubinae me legiſſe memini de Marcello epiſcopo, qui labente V. Chriſti ſaeculo theatrum Eugubinum diruiſſe dicitur. Contra enim facit ipſa aedificii moles, tanta ſui parte adhuc ſuperſtes, ut documento ſit diutiſſime illam ſtetiſſe incolumem; ſi enim inde uſque repetas ejus ruinae principium, vix jam ullum ejus veſtigium exſtare poſſe videretur. Diu autem ſub chriſtia-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

chriſtianis imperatoribus ſpectaculorum uſum perduraſſe, atque adeo theatra, ethnicae ſuperſtitionis tempore exſtructa, integra ſtetiſſe, explorata res eſt (*a*). Vix autem credibile eſt auſum eſſe epiſcopum adiicere animum diruendo tam ſplendido aedificio, praeſertim cum principum etiam chriſtianorum leges eſſent, quae populo theatrales voluptates indulgebant (*b*). Sed aeque commentitium puto hoc Marcelli epiſcopi Eugubini factum, ac Marcellum ipſum, quem mea opinio eſt numquam in cathedra Eugubina ſediſſe, ut ſuo loco dicam. Quod ſi VI. adhuc, & fortaſſe etiam VII. erae chriſtianae ſaeculo, in agro Eugubino incolume ſtabat Jovis Apenini templum, ut ex iis, quae paulo poſt dicturus ſum apparebit, quid ni & theatrum diu ſtare potuerit, quod minus inviſum eſſe debebat primis religionis noſtrae magiſtris?

III. Haud procul a theatro eſt vetus praenobile ſepulcrum, ſub ingenti, & aſpera mole ex rudi glarea, & calce compacta exſtructum, cui novi operis turricula impoſita eſt. Olim exterior ejus facies, magnis lapidibus conveſtita erat, atque ex quibuſdam reliquiis adhuc extantibus, aedem totam extrinſecus rotundam fuiſſe conſtat. Eſt in eam aditus ex meridionali latere, ac ſupra portam, cui lacunaris loco unicus lapis maximus, & fortiſſimus ſuperſtat, feneſtella patet, inclinato in cellam lumine. Porro cella ipſa viginti pedes in longum obtinet, in latum quindecim, tota ex ingentibus lapidibus perpolitis, abſque caemento inter ſe mire cohaerentibus compoſita, cui reſpondet fornix arcuatus pari artificio. Infra fornicem coronis eſt ſcitiſſime ducta tuſcanice laſciviens, ſub eaque prominent aerei claviculi in lineam diſpoſiti, ex quibus laneas vittas, & ſerta manibus ſacra ſuſpendi mos erat, ut ait Joannes Baptiſta Paſſerius V. C. cujus pene verbis hoc ſepulcrum deſcripſi; is enim de inſigni hoc Eugubinorum monumento abunde diſſeruit in diatribe, tomo tertio muſei Etruſci edita, ex qua etiam diſcimus duplici gradu deſcenſum eſſe in interiorem cellam, ejuſque pavimentum nullum jam apparere, disjectum ſcilicet & divulſum temporum, atque hominum barbarorum injuria. Sed qui plura de hoc antiquo ſepulcro ſcire cupit, Paſſerium ipſum conſulat, qui ejus quoque conformationem pluribus figuris in aenea tabula exhibet:

IV. Juvat nunc, ubi de antiquis monumentis civitatis Eugubinae ſermo eſt, plures inſcriptiones afferre, quae partim Eugubii adhuc

(*a*) *Vid. Noris. diſſert.* III. *in cenotaph. Piſ.* c. III. & *Bacchin. ad Agnel. Raven.* in Eccleſio P. II. *pag.* 41. & 64. (*b*) *Cod. Teod.* l. 13. de ſcaenicis.

adhuc exſtant, partim jam perierunt. Harum pleraeque jam editae ſunt, nonnullae tamen nondum publicam lucem aſpexerunt; non erit autem injucundum Eugubinis ipſis, ceteriſque harum rerum aeſtimatoribus, eas omnes ſimul collectas hoc loco habere, quae alibi diſperſae jacent. Ex iis non pauca colligere licet ad antiquitates ejus civitatis illuſtrandas aptiſſima, quae magno uſui erunt iis, qui antiquam hiſtoriam Eugubinam accuratius tractare aggrediantur.

)(1)(

IOVI.
APENINO
T. VIVIVS CAR
MOGENES
SVLPICIA EV
PHROSYNE CONIUX
V. S. D. D.

Erutus eſt hic lapis paſſibus circiter MD. citra Schigiam Eugubinorum vicum, in ſummo apenini jugo, qua is via Flaminia traiicitur, cum eam viam, non admodum multis ab hinc annis, reparari contigerit, ſedente Clemente XI. Ad eum locum plura, & conſpicua veterum aedificiorum veſtigia eodem tempore detecta ſunt, ut audivi ex iis, qui reparandae viae praeerant (a). *Hinc diſcimus quo loco eſſet templum Jovis apenini, Claudiano, & tabulae itinerariae memoratum. Eſt nunc lapis in muſeo Veronenſi, illatus a cl. Maffejo, qui dono acceperat a Marcello Franciarino ICto Eugubino. Edidit idem Maffejus* (b), *& ante illum parum emendate Muratorius* (c). *Sed de Jove apenino, ejuſque templo, ad calcem hujus capitis nonnulla dicentur.*

)(2)(

L. AM...
AEDIL
IIIl VIR

Exſcripſi ex ſchedis Ubaldi Angeli Abbati in archivo Armanno, quod nunc publicae bibliothecae Eugubinae adjunctum eſt. Ex hac porro, & aliquot aliis, quae ſequuntur, plures Eugubinorum Magiſtratus, quales erant in municipiis, & coloniis, emergunt.

CN. DI.

---

[a] *Vid. etiam Marcelli Franciarini diſſertat. in collect. Caleger. tom* VII. *p.* 263.
[b] *Maffei muſ. Veron.* LXXIX 5. (c) *Murat. nov. th.* VIII.

)(3)(

CN. DISINIVS
T. F. CLV. IIVIR

Lapis ſemicirculi figura anno MDCCLII. prope Coſtacciarium in agro Eugubino in ripa fluminis, ex alluvione detectus. Miſit eruditiſſimus Carlius, qui non inſcite ex figura coniicit poſitum fuiſſe ad ſacram aediculam ex iis, quae ſecus vias publicas dedicari ſolebant. Eſt is locus non longe a via Flaminia. Fuit autem Diſinius iſte duumvir apud Eugubinos, neque obſtat, quod in ſuperiore inſcriptione occurrat L. AM.... IIIIVIR. *Saepe enim factum eſt, ut in eadem civitate primum quidem ex veteri more IIviri, poſtmodum vero, ut honor ille manaret in plures, ſupremum magiſtratum IIIIviri geſſerint, ut antiqui lapides inſcripti fidem faciunt.* (Vid. Bimard. de antiquit. Cularon. c. IV.) *Vides hic tribum CLV fluminam, quae etiam occurrit infra in titulis* Cn. Piſentii Capitonis, & Gaviae Decii Paeti. *In eam adſcriptos reor Eugubinos, cum civitatem Romanam obtinuerunt.*

)(4)(

POMPONIO. C. F
GRAECINO
PRAEFECT
X. VIRO. STL. IVD
PRAEFECT
II. VIRO. VII.....

Murat. nov. theſ. X. DCCXXXV. 7.

)(5)(

..... S. CN. F. RVF. III. VIR. IVR. DIC
SVBLAQVEAVIT. TRABES. TECTI. FERRO. SVFFIXIT
LAPIDE. STRAVIT. PODIO. CIRCVMCLVSIT. SVA. PEC. ET. DEDIT
.. CVRIONATVS. NOMINE H-S ↀↃↃ ∞
.. COMMEATVM. LEGIONIBVS H-S ↀↃↃ ∞ ∞ ∞ ∞ CCCCL
.. AEDEM. DIANAE. RESTITVENDAM H-S ↀↃↃ ∞ ∞ CC
IN. LVDOS. VICTORIAE. CAES. AVGVST. H-S ↀↃↃ ∞ ∞ DCCL

Ex ſchedis Gabrielis Gabriellii comitis Eugubini, patriarum antiquitatum collectoris ſolertiſſimi. (Ext. in archv. Arman. l. M.) *In A. Manutii ortographia edita eſt plane integra, ibique primus verſus ita habet:*

CN. SVLPICIVS. CN. F. RVF. II. VIR. IVR. DIC.

Ex veſti-

Ex veſtigiis, opinor, literarum, quae in marmore eſſent, Cn. Sulpicij nomen ſuppletum eſt. Eamdem eodem modo edidit Gruterus ex ſchedis Ant. Auguſtini Ligorianis Adnotat Gabriellius hunc lapidem effoſſum ad dextrum cornu theatri Eugubini, cui fides omnino habenda eſt de ſuis rebus ſcribenti. Erat autem jam tum theatrum Eugubinum in fundo gentis Gabrielliae, quam de Baccareſca dicebant. Sed cur III. *VIR. a Gabriellio dicitur, qui Grutero, & Manutio eſt* II. *VIR? Sunt alia hujus inſcriptionis exempla, in quibus* CN. *SULPICIUS* IIII. *VIR. dicitur. Quaenam potior habenda ſit lectio incertum judico, lapide ipſo jamdiu deperdito. Sed, ut in antiquis titulis occurrunt & II. viri, & IIII. viri, ita & III. viri juri dicundo non deſunt, ut in Romano apud Gruterum, CCCCXV. 6., ſi qua fides exſcriptoribus habenda, c.* GAVIVS. III. *VIR. I. D.* BIS. *Sed quidquid de his ſit, illud certum reor indicari hic extremum complementum theatri Eugubini. Non dubium etiam videtur, quin, quae ibi memoratur victoria Caeſaris Aug., Actiaca ſit, de qua Svetonius in Aug. c.* 18. Quoque Actiacae victoriae memoria celebratior in poſterum eſſet, urbem Nicopolim apud Actium condidit, ludoſque illic quinquennales inſtituit. *Et rurſum c.* 59. Provinciarum pleraeque ſuper templa, & aras (*Auguſto dicatas*) ludos quoque quinquennales pene oppidatim conſtituerunt. *Sed C. Caligula* Auguſti gloriae infenſus, *ut idem Svetonius narrat*, Actiacas, Siculaſque victorias, ut funeſtas populo Rom. & calamitoſas, vetuit ſolemnibus feriis celebrari. (*Svet. in Calig.* 23.) *Ex ludis hiſce in hac inſcriptione memoratis, conjecturam aliquam de aetate theatri Eugubini facere licet, ut ſupra dictum eſt. Eam porro juſto commentario illuſtratam expectamus ab eo, qui theatrum Eugubinum nova luce donatum eruditorum oculis ſiſtere meditatur.*

)(6)(

M. TERENTIVS. P. F. VOPISC
III. VIR. IVR. DIC.

Eſt apud Falcuccios in grandi arcu. Eamdem exhibent Gabriellii Schedae. Eruditiſſimus Carlius, inſpecto nuper marmore, ex literarum veſtigiis legendum monuit in ſecundo verſu

IIII. *VIR. IVR.* DIC.

)(7)(

C. CAM....
THEOPHIL
SEVIR
IN. FR. P. XIII. IN. AG. P. XVI.

Murat. nov. th. x. DCLXXXVI. 7.
Ex Oliverio V. Cl.

)(8)(

C. DECIVS C. L.
EROS. SEVIR
DECIA. C. L
IN. FR P. XII
IN. AGR. P. XII

Murat. nov. th. x. DCXCV. 3.
Ex eodem Oliverio V. CL.

)(9)(

CN. FVLLONIVS
CRESCENS
VI. VIR
FVLLONIA. C. LIB
PRISCA

Murat. nov. thes. x. DCCCIII. 10.
Ex Donio.

)(10)(

G. POMPEIVS
G. L. SCEPTVS
SEVIR

Murat. nov. th. x. DCCLIV. 9.
ex claris. Oliverio.

)(11)(

T. VASSIVS
T. L.
FAVENTINVS
SEVIR

Murat. nov. th. x. DCCLIV. 9.

)(12)(

C. VISTILIVS
SEX. L.
BATYLLVS
SEVIR

Ibid. x. DCCLX. 5.

)(13)(

L. VETVRIVS
RVFIO
AVISPEX. EXTISPISCVS
SACERDOS
PRIVATVS

Ibid. III. CLXXI 7.

Idem fere aviſpex extiſpiſcus, atque aruſpex, & augur, inquit Muratorius. Privatus vero ſacerdos ad ſacra privata pertinebat, ut enim ſacrorum, & caerimoniarum duplex erat genus, publicum, & privatum, ita, quibus curabantur, alii erant publici ſacerdotes, alii privati. An gentilitia ſacra ne in bello quidem intermitti, *inquit Livius apud Pitiſc-*

Pitiſcum (V. Sacrum familiare.) publica ſacra etiam in pace deſeri placet? *Et Cicero de legibus* II. 9. Sacra privata perpetua manento. *Hinc ſaepe in antiquis inſcriptionibus ſacerdotes variarum gentium, aut familiarum, occurrunt, ut* L. POLITICENUS *Sacerdos Sergiae Familiae apud Reines. V.* 13. *&* P. VIRLIUS SACERDOS IVVENVM BRIXIANORVM *apud Sponium miſcell. erud. antiquit ſec. III.* 99. *& in columbario libertorum Liviae Aug.* PHILEMATIO AVG. L. SACERDOS A BONA DEA, *ad privatum ſcilicet cultum Bonae Deae pro Livia curandum. Non talis illa Cereris Sacerdos apud Pratillum de via Appia l.* II. *c.* IX. *p.* 230. STAIA. M. F. PIETAS. SACERDOS. CERERIS. PVBLICA. PRIMA. *Silet de privatis ſacerdotibus Sigonius, ubi de ſacerdotiis agit de antiquo jure civ. Rom.* l. I. c. XIX.

)(14)(

CN. PISENTIVS
CN. F. CLV. CAPITO
VICTVMARIVS

Ex ſchedis Vbaldi Angeli Abbatii in Archiv. Arman. lib. L. *Edidit etiam Fabrettus Inſcript. dom. pag.* 677. 35.

)(15)(

L. SABINVS. L. L
PRIMIGENIVS

ORTVS. AB. IGVVIO. MEDICVS. FORA. MVLTA. SECVTVS
ARTE. FEROR. NOTA. NOBILIORE. FIDE
ME. CONSVRGENTEM. VALIDA. FORTVNA. IVVENTA
DESTITVIT. RAPIDIS. IMPOSVITQVE. ROGIS
CLVSINO. CINERES. FLAMMA. CESSERE. SEPVLCRO
PATRONVS. PATRIO. CONDIDIT. OSSA. SOLO

Ex hiſtoria Oliveiana, ubi haec auctor narrat de hoc lapide, aliiſque multis, extra Eugubinae civitatis moenia, in agro ſuorum monachorum montis Oliveti, ſub initium ſuperioris ſaeculi repertis: Annis praeteritis, humum extra moenia civitatis colentibus coenobii agricolis, longa ſeries aperuit ſe ſe lapidum, & variae epigraphae, quin urnae cinerum, qvae viſae ſunt, admonebant, ſepulcralium. Puto fuiſſe ſecundum viam, ubi fato functos ſepelire mos erat. Ex his epitaphium cenſeo jure afferendum vetuſtatis peramantibus, eo maxime, quod inde conſtet urbem, quae hodie Eugubium, dictam

veteribus Iguvium. Carmina ſunt perinde pulcra, ac rudis eſt imago, cui ſubſcripta ſunt, medici ſedentis, cui multa artis medicae inſtrumenta circumfuſa. (*Lancellot. hiſt. Olivet. l. II. c.* L. *pag.* 316.)

)(16)(

C. NOVIVS C. L
ACASTVS
VNGVENTARIVS
IN. F. P. XIII. IN. AG. P. X.

Ex ſchedis comitis Gabriellii.

)(17)(

M. FVLLONIO. LVPO
MAGOVINO. QVINQVEN
NALI. COLLEGI
FABRVM. IGVVIN
M. FVLLONIVS. VE
RECVNDVS. PATRI

Murat. nov. th. MMV. 7.

)(18)(

ALFENIAE
PIETATI
CN. GRESSIVS
APER
CONIVGI B. M.

In pariete orientali domus comit. Falcuc. Ex Gabriellii ſchedis. Edidit & Grute-rus. DCCLII. 6.

)(19)(

L. ANNEI ITALICI
RVTILIANI C P.
ITALICVS PATER

In domo Africani de Abbatibus. Ex Gabriellio.

)(20)(

AVILIA
D L.
ITHACE

Ex ſchedis Vbaldi Ang. Abbat.

)(21)(

L. BRAETIVS. COM
MVNIS. FECIT. ATE
LIAE D. L. MODERATAE
CONIVGI. SVAE. CARISSIMAE
V. A. XXV.

Murat. nov th. XVIII. MCCCXIV. 8.
Ex Oliverio.

)(22)(

CALYBES. AVE
OSSVA CALIBE

Maff. muſ. Veronen. CCCLII. 5.

)(23)(

V
CORNELIAI
P. L. ARBVSCI
IN. FRONT
LOC. P. XIII.
IN AGRVM
PED. XVIIIIS

Deſcripſit

Deſcripſit eruditiſſimus Carlius ex lapide in hortis ſuburbanis Ioſephi Annibaldi canonici Eugubini nuper erutο. Verſum ultimum legerim PEDES. XVIIII. SEMIS. *Quid ſibi velit V inſcriptioni praefixum ignoro. Aliquid ibi deeſſe arbitror.*

)(24)(

L. CVTI. BASSI
IN. FRON P. XII.
IN. AGR. PED. XX.

Murat. nov. th. XXIII. MDCLXV. 9.
Ex Franciarino.

)(25)(

CLVVIAE
THYCE
FILIVS. ET ALVMNI
P. PISENTIVS. ACIM
VS. CONIVCI. P.
PISENTIVS. SALVTARI
B. M.

Nov. th. XVIII. MCCLXXI. 13.
Ex Oliverio.

)(26)(

FLEGAS.
MITREI. TERTI
VIX. A. XIX. M. V.

In agro Zuccarini de Zuccarinis
Ex ſchedis Gabriellii.

)(27)(

CN. FVLLONIVS
CN. L.
VRBANVS
IN. FR. P. XVI
IN. AG. P. XII

In domo Federici de Caſſettis
ex Gabriellio.

)(28)(

OSSA GALLAE

Maff. Muſ. Veron. CCCLII. 5.

)(29)(

GAVIAE A. F.
CN. DECI SEX. F.
CLV. PAETI

Murat. nov. th. XXIII. MDCLXXXI. 2.
Ex Oliverio.

)(30)(

OSSA
HILARES

Apud monachos Olivetanos. Ex Franciarino Muratorius nov. th. XXIII MDCLXXXVII. 2.

D. M.

)(31)(

D. M.
IVLIAE. MARCELLINAE
IVLIVS..... ME.....
T... LIBERTAE. INNOCENTI. BENEMERENTI
VIXIT AN. XXX.

Apud Pamphilior. Ex Franciarino Muratoriut nov. th. XXI. MDXLI. 2.

)(32)(

LETTEIA. ↄ L.
VERA
LIBERTI
P. B. M.

In praedio comitum de Romena. Ex Illmo Henriquez Murat. nov. th. XXI MDXLV. 3.

)(33)(

C. MAESIO
C. F. LEM
RVFINO
VIX ANN. XIX
C. MAESIVS
PLOTIDIANVS
FIL. PIISSIMO

Ad divi Paterniani prope Schiggiam in via Flaminia. Edidit Fabret. aliique.

)(34)(

OSSA
MARCIAE
SIGE

Apud Monachos Olivetanos. Ex Franciarino Murat. XXIII. MDCCVII. 8.

)(35)(

PAETILLIAE
PRIMICENIAE
TIBERIVS
CLAVDIVS
CARPVS
COIVGI. OPTIMAE

Nov. th. ex Oliverio. XIX. MCCCLXXXV. 4.

)(36)(

CN. PISENTIVS
C. L. ONESIMVS

Ex Gabriellio.

)(37)(

CN. PO
LIB
T. NERVINIVS
T. L. F.
CONSTANS

Maff. muſ. Veron. CCCLII. 5.

Q. POM-

)(38)(

Q. POMPONIVS. Q. F. CORYMBVS
Q. MARIO. Q. F. CORYMBO
ET CLAVDIAE L. F.
PARENTIBVS. DVLCISSIMIS
ET. IVLIAE. SEX. F. CONIVGI
INCOMPARABILI
ET. SIBI. ET LIB. LIBERTAB
ET. POSTER. SVIS.

Murat. nov. th. XVIII. MCCLXXII. 1

)(39)(

PONTIO SVCCESSO. QVI. SIBI. ET. CONIVGI
SE. VIVO FECIT

Ex Franciarino Muratorius, qui aut vitium, aut peregrini aliquid hic latere judicat. XIX. MCCCXCI. 12.

)(40)(

ROMANIANA
TI. L.
VRBANA

Ex Gabriellii ſchedis

)(41)(

RVFRENA
L. L.
ST. ACT. E
IGV

Murat. nov. th. XV. ML. 8.

)(42)(

TIDIA. Ↄ L
IVCVNDA

Ex Franciarino Murat. XXIII. MDCCLIII. 2.

)(43)(

A. VALERIVS
COSMVS....
HEREDIA. A. APOLLONIA
CONIVGI

Ex Gabriellii ſchedis.

)(44)(

M. VERECVNDA
VIXIT ANNIS XXXV
COI. B. M.

Apud Antonuccios ex Sancaſſanio medico Muratorius nov. th. XIX. MCCCCXIX. 10.

)(45)(

VETTVLLEIA
CN. F
MAXIMA

Ad divi Feliciſſimi.
D. M.

)(46)(

D. M.
VIBIAE
RVLIENAE
C. TAQVIVS
PROCVLVS
MERENTI

In eleganti cippo in eccleſia Turris Calzolariorum ex Gabriellio.

)(47)(

L. VINDELIVS. L. L
PHILOCRATES
IN. FRONTE. P. XVI. IN. AG. XII

Ex Gabriellii ſchedis

)(48)(

C. VOLCACIO
BLANDO
B. M.

Murat. nov. th. XXIII. MDCCCLXVII. 12.

)(49)(

Placet hic inſcriptionem addere, quae eſt in Monaſterio S. Crucis fontis Avellanae, atque adeo intra fines agri Eugubini, licet ex proximo Sentinatium agro, & fortaſſe etiam ex ipſis Sentini ruderibus advecta videatur. Idem enim ipſe L. Sentinas, cui haec inſcriptio poſita eſt, occurrit in alio pereleganti lapide in noſtro Monaſterio S. Crucis ad Saxumferratum, quod oppidum ex Sentini reliquiis emerſit.

L. SENTINATI
L. F. LEM. VERO
IIII VIR. QVINQ.
IVR. DIC
DEC. DECR

Edidit Muratorius hanc quoque inſcriptionem MDCCC. I. *quam Fulginii eſſe dicunt, ab aliis ante vulgatam.*

C. Betuo. C. F. Tro. Ciloni
XV. Populorum. Vmbriae
Patrono
Amerini. Aſſiſinates. Foro Flaminien
Fulginates. Hiſpellates. Iguvini
Interamnates. Mevanates. Narnienſes
Nucerini. Ocriculani. Spoletini
Trebiates. Tudertini. & Vettonienſes

Sed ſpuriam retur idem Cl. editor, & confictam ex altera hac olim Peruſii reperta, quam is etiam edidit DCCLXXXII.

C. Betuo

Digitized by Google

C. Betuo poſitam, ſed ſpuriam retur idem Cl. editor, & conflatam ex hac, Peruſii olim reperta, quam is etiam edidit (a):

C. BETUO. C. F. TRO
CILONI. MINUCIANO
VALENTI. ANTONIO
CELERI. P. LIGVVIO
RVFINO. LIGVVIANO
AEDILI. II. QVINQ
SACERDOTI. III. LVCORVM. PR
VMBRIAE. XV. POPVLORVM
PATRONO. MVNICIPI
BETVA. RESPECTILLA
FIL. PATRI. PIISSIMO
D. D. D.

Narrat Muratorius hanc a ſe fruſtra quaeſitam, ut emendari poſſet, quis enim imperite ſcriptam non videat? Suſpicatur autem aliquem Iguvinorum pontificem ibidem latere, quod hic indicaſſe ſat erit.

V. Sunt in ſchedis Ubaldi Angeli Abbatii, ex quibus nonnullas ex ſuperioribus inſcriptionibus Latinis produximus, duae etiam vetere illa lingua, literiſque, quas vulgo Etruſcas dicere amamus, exaratae, quae olim fuiſſe dicuntur ad divi Angeli in caſtro Sioli. Sed eae jam perierunt; ita vero indiligenter in iis ſchedis exſcriptae videntur, ut ſatius eſſe duxerim ab iis edendis abſtinere. Neque id magno damno erit ejus linguae ſtudioſis, nam & perbreves ſunt, nec aliud eſſe videntur, quam meri tituli ſepulcrales, in quibus praeſidii parum eſſe poteſt ad majores progreſſus in cognitione ejus linguae faciendos, praeſertim cum earum inſcriptionum autographa inſpicere non liceat.

VI. His igitur praetermiſſis, literatis monumentis Eugubinorum, quae in lapidibus ſculpta ſunt, ea ſubiicimus, multo etiam nobiliora, quae in aere perennant, nummos videlicet antiquiſſimos, vetere *Ikuvinorum* nomine ſignatos, & tabulas illas, Eugubii in publico palatio aſſervatas, quibus haud ſcio an quidquam ex tota antiquitate reliquum ſit, quod magis eruditorum ingenia exercuerit. *Ikuvinorum* nummi ad noſtram uſque aetatem ignoti fuerant.

(a) *Murat. nov. theſ.* DCCLXXXII.

Primum, ut ante dictum eſt, vulgavit Bonarrotius in auctariis ad Etruriam regalem Dempſteri, pendentem unc. VI. den. X. (*a*). Sed nemo ante clariſſimum Oliverium in eo nummo *Ikuvinorum* nomen detexit. Eſt is non percuſſus, ſed fuſus, ut antiquiſſimi quique, habetque altera facie ſolem, rudi artificio expreſſum (aliqui rotam interpretantur) altera lunam creſcentem cum tribus ſtellulis, & unitatis notam in media area, infra quam eſt, literis illis antiquiſſimis, exaratum *Ikuvinorum* nomen, ex dextera parte in ſiniſtram, veteri orientalium more, legendum. Vidi ego plures vetuſtiſſimos, nummos Peruſii, Arretii, Florentiae, & alibi ſimillimo artificio, eodemque ſolis typo in altera facie ornatos, ſed cum neque lunam, & ſtellulas, neque *Ikuvinorum* nomen in altera praeferant, aliiſque typis ſignati ſint, eos tuto non licet Eugubinis noſtris tribuere. Sed illum forte excipiam a clariſſimo Gorio obſervatum, in quo, ut ipſe aliquando ad me ſcripſit, apparent hae duae literae IK., quibus *IKuvinorum* nomen indicari poſſe videtur.

VII. Alterum ei non abſimilem, quem vulgavit Bonarrotius, hic habes ex muſeo nobiliſſimi viri Diamantis Montemellini comitis, qui ejus ectypon, accurate ab ſe delineatum, nuper ad me miſit.



Eſt hic nummus ſuperioris illius, a Bonarrotio editi, ſemiſſis, pendens ſcilicet unc. III. den. IX. Deeſt in eo litera I, ſive unitatis nota, & tres item ſtellulae, quae rudium crucicularum inſtar, lunam in priore illo nummo circumſtant. Quod ſi nota illa unitatis aſſem unum integrum ſignificat, ut mihi videtur (*b*), jure a poſteriore hoc nummo abeſt, qui prioris dimidium eſt. Hoc etiam differt Mon-

(a) *Tab. XIX. 4.* (b) *Tam in tabulis Eugubinis, quam in aliis monumentis Etruſcis numeros literis notatos novimus, ut apud Latinos.*

fert Montemellini nummus ab illo, quem edidit Bonarrotius, quod in *Ikuvinorum* nomine quartum elementum ad noſtrum digamma plurimum accedit, quod tamen ſonat V conſonam, ut norunt iſtius ſcripturae periti (*a*).

VIII. Quid porro ſibi velit ſol, & cetera ſidera in his *Ikuvinorum* nummis expreſſa, nemo opinor, certo dixerit, niſi quis velit haec referre ad antiquam ejus populi religionem, qui ſolis, aſtrorumque cultum, e patriis ſedibus ad ea Umbriae loca incolenda, unde unde profecti, ſecum attulerit. Neque vero mirum eſſet apud populum hunc ex Umbris illis, quos Plinius Italiae antiquiſſimos appellat (*b*), ſiderum, ſoliſque in primis cultum viguiſſe; cum primum enim homines a vero Deo deficientes, creatis rebus divinos honores impendere coeperunt, ſoli potiſſimum, ac ſideribus divinitatem tribuiſſe conſtat. Sed quoniam conjecturis indulgemus, quid ni ad aſtrorum cognitionem, & aſtronomiae qualecumque ſtudium, quod maxime apud *Ikuvinos* illos antiquos floruerit, ea ſidera in eorum nummis referri poterunt? Hoc etiam ſtudium, vel a nativis ſedibus attuliſſe, vel ſponte ſuſcepiſſe hunc populum, aliquis fortaſſe exiſtimabit, cui ſane ſtudio perapti ſunt montes in omni Umbria, ac praeſertim in Eugubinorum finibus altiſſimi. Certe Plinius auctor eſt veteres Umbros diem metiri conſueviſſe ex meridie (*c*), quod & rationibus aſtronomicis maxime accommodatum eſt, & vix ſine aliqua aſtronomiae cognitione in rudi populo induci potuiſſe videtur.

IX. Quae ſit horum nummorum antiquitas, ne id quidem certo definiri poſſe judico. Dixi ſupra ſatis veroſimile videri jus monetae Eugubinis ademptum, cum Umbria, & Eugubini ipſi in poteſtatem populi Romani venerunt. Sed quid, ſi ceteris Umbris ſubactis, Eugubinis, non ſecus ac Camertibus, aequiſſimum foedus cum Romanis fuerit? Ego ita exiſtimo, idque capite ſequenti oſtendam. Cur autem civitatibus, quae cum Romanis eo modo foederatae eſſent, auri, argenti, aeris flandi feriundi jus non eſſet, haud equidem intelligo. Sed his altius inveſtigandis non ſatis otii ſuppetit.

X. De tabulis aeneis Eugubinorum reſtat, ut hic pauca dicam. Eae ſunt numero ſeptem, neque plures, paucioreſve umquam fuere (*d*). Dubitarunt aliqui de inſigni earum antiquitate, &

(a) *Vid. Gori difeſa dell' alfab. etruſco p.* CXXVI. 33. 150. *ſqq.* (b) *Plin. Hiſt. N. L.* III. c. XIV. (c) *Ibid. l.* II. *c.* LXXVII. (d) *Paſſeri Let. Roncagl. Tom.* XXVI. *Opuſc. Calog. p.* 243. *Gori l. cit. p.* XXVIII.

quidam etiam recenti artificio confictas pronunciarunt. Sed qui hoc judicium tulere, vel tabulas Eugubinas numquam viderunt, vel minime idonei antiquitatis aestimatores habendi sunt. Eas jam peritissimi viri observarunt Maffejus, Oliverius, Passerius, aliique plures, nec ullum in iis agnovere falsitatis indicium (*a*). Anno MCDXLIV. repertae sunt non procul a moenibus civitatis (*b*), sive, ut alii narrant, prope vetus theatrum Eugubinum in subterranea cella (*c*). Sed, cum haud multum distet vetus theatrum a moenibus civitatis, haec duo facile conciliari possunt. Post annos duodecim, anno scilicet MCDLVI., commune Eugubinorum praeclara haec monumenta coemit, ut ex actis publicis civitatis ad eum annum constat (*d*), atque ex eo tempore in publico palatio studiose servata sunt. Mira est earum integritas, ut facile appareat latuisse in abdito aliquo recessu subterraneo, quo nihil tam, longo tempore, permearit, quod eas laedere, & corrumpere posset. Omnes sunt ex aere fuso, sed quae reliquas magnitudine superant malleo insuper percussae, & complanatae. Quinque sunt utraque facie, duae vero una tantum scriptae, ac singulis in superiori margine foramina quaedam apparent, traijciendis, opinor, catenulis, quibus suspendebantur. Duae sunt literis Latinis, sive, ut ajunt, Pelasgicis scriptae, & quidem utraque facie, suntque reliquis majores, & inter se aequales, latae palmos fere tres, longae quatuor circiter cum semisse. Reliquarum scriptura est literis illis antiquis, quas Etruscas appellare solemus. Singularum specimen aliquod adnexa tabella exhibet, quam pro sua humanitate communicavit clarissimus Gorius

(a) *Vid. Gorium l. cit. p.* XXVI. *& Diar. literat. Florent. Tom.* III. *P.* I. *art.* IX. *p.* 161. (b) *Ex Gabriele Gabriellio apud Gorium l. cit. p.* XLVI. (c) *Ibid. p.* XXVII. (d) *In lib. reformat. an.* MCDLVI *pag.* 129. *haec leguntur.* Paulus Gregorij de Sic.... (*legendum volunt* de Scliza, *seu* de Schigia, *quod est notissimum agri Eugubini oppidulum*) per se, & suos heredes, & successores, & vice, & nomine Presentioae filiae olim Franciscì Vici Maggi, & Donnae Angelae ad praesens uxoris dicti Pauli, pro qua Presentina dictus Paulus de rato promisit &c. dedit, tradidit, vendidit magnificis D D. Confalonerio, & Consulibus dictae Civitatis, & mihi Guerrerio cancellario (*cum puto, qui chronicon Eugubinum scripsit a Muratorio editum*) infrascripto, recipientibus pro dicto communi tabulas septem eburneas (*Vide hujus publici scribae ofcitantiam, sive potius insciliam, qui pro aeneis eburneas scripsit*) variis literis scriptas, Latinis videlicet, & Aegyptiis, ad habendum tenendum &c. Et hoc fecit, quia praefati magnifici D. D. & Antonius Guiducci Syndicus &c. vendidit, & firmavit dicto Paulo gabellam montium, & pascuorum communis dictae Civitatis consuetam vendi, ejus fructus, reditus, & proventus pro biennio proxime futuro, inchoando a prima die mensis Jaouarii proximi futuri 1001 MCDLVII. Et hoc fecit dictus Antonius Syndicus pro pretio, & nomine pretii dictarum tabularum &c. Die XXV. Augusti. *Communicavit nuper clariss. Oliverius.*

Specimina
eo ordi



Digitized by Google

Gorius, quo homine vix quemquam esse puto juvandis amicorum studiis paratiorem. Quae in hac tabella tertio loco notatur literis illis antiquis scripta, in postica parte decem lineas latine scriptas habet, quae additae videntur ad vacuum spatium replendum.

XI. Fama tam praeclari inventi literarium orbem paulatim pervasit, ac multi viri docti excitati sunt studio ejus ignotae linguae cognoscendae, multi cogitata sua, divinationesque in eas tabulas protulerunt. Cum autem, post varia hominum judicia, conveniisset inter eruditos, tabulas Eugubinas lingua Etrusca esse scriptas, alia veterum Etruscorum monumenta perquiri, conferri, aestimari coeperunt, ut verissime dici possit, eas tabulas in causa fuisse, cur studium Etruscae linguae, pene jam sub Romanis extinctae, post tot saecula revixerit. Sed diu tamen inanem operam ludere visi sunt docti homines, & fere jam desperari coeptum erat quidquam profici posse in ejus linguae cognitione, cujus ne prima quidem elementa certo scire datum erat, cum immortalis memoriae vir Philippus Bonarrotius tabulas omnes Eugubinas, quam diligentissime ad prtotyporum fidem expressas, cum ingenti praeterea Etruscorum monumentorum sylloge, anno MDCCXXVI. primus omnium in lucem emisit, (*a*) & quasi classicum cecinit, quo eruditos omnes, ad hoc studium revocaret. Dedit etiam idem vir summus alphabetum ex iisdem tabulis, aliisque Etruscis monumentis confectum, non absolutissimum illud quidem, sed multo perfectius reliquis, quae antea concinnata fuerant.

XII. Uno vel altero anno post, clarissimus Maffejus de tabularum Eugubinarum antiquitate, de lingua, qua essent scriptae, deque iis rebus, quae his tabulis continentur, quod suum judicium esset exposuit (*b*), atque hoc argumentum non semel, nec perfunctorie postea retractavit (*c*), eaque scripsit, quae magna dissidia inter ipsum & clarissimum Gorium excitarunt. Sed integram unam ex tabulis Eugubinis omnium primus felici successu interpretari adortus est vir apprime doctus, & linguarum antiquarum peritissimus Ludovicus Bourgetius (*d*). Ea est Latinis literis, quae incipit ESTE PERSCLO. Probavere viri docti hunc illustrem Bourgetii conatum, ejusque lucubrationem ex Gallica in Italicam linguam convertit doctissimus Oliverius, multis de suo additis, quibus abunde osten-

a) *In append. ad To:* 1. *Etrur. regal.* (b) *Maffei Storia Diplom. p.* 11. *&* 255. *&c.* (c) *Idem To.* VI. *Osserv. letter. p* 93. 96. 97. *&c.* (d) *Bourgetii epistola, qua tabulae Eugubinae interpretationem complectitur, data est die* XXII. *Decembris an.* MDCCXXVIII.

de oſtendit nemini ſe in abſtruſiorum antiquitatum cognitione concedere (*a*). Per idem tempus edendo muſeo Etruſco inſudabat clariſſimus Gorius, atque is etiam ingenii ſui vires in una ex tabulis Eugubinis experiri voluit, quae incipit ESVNV FVIA. Ejus itaque interpretationem, plaudentibus eruditis, dedit Tomo I. muſei Etruſci, qui lucem aſpexit anno MDCCXXXVII. Sed palmam omnibus praeripuiſſe in tentanda harum tabularum interpretatione cenſendus eſt vir acerrimo ingenio, & ſingulari eruditione Jo: Baptiſta Paſſerius, qui non unam aliquam, ut ante Gorius, & Bourgetius, ſed plane omnes elucidandas ſuſcepit. Cum autem ceteri, qui in hoc ſtudio ſe exercuerunt, non minimum adiumentum ſibi comparaverint condito alphabeto ex literis, quae in monumentis explicandis occurrebant (*b*), Paſſerij induſtria aliquid amplius excogitavit; lexicon enim ex ſingulis vocibus, quae in tabulis Eugubinis continentur, ſumma diligentia, & incredibili labore perfecit. Ejus ope unamquamque vocem cum aliis ſimilibus facile conferre potuit, ex quo pronum fuit multarum vocum analogiam, derivationem, & quaſi cognationem, qua inter ſe colligantur, agnoſcere. Primo itaque ſingularum tabularum lectionem dedit, tum lexicon, ſive indicem verbalem omnium vocum adjecit, denique tabulas ipſas interpretari adorſus eſt, atque haec omnia perfecit pluribus epiſtolis, quae in collectione Calogeriana prodierunt (*c*).

XIII. Tabulas Eugubinas firmando contractui, inter Etruſcos, & alios quoſdam populos celebrato, ſcriptas, fuit olim Maffei opinio. Sed Bourgetius, cum animadvertiſſet ſaepe in iis Jovem, vel ſolum, vel cum Marte appellari, ſolemnes quaſdam preces iis tabulis contineri exiſtimavit, quibus priſca illa Italorum, ſive Pelaſgorum gens Italiae habitatrix, ad Jovis, & Martis opem implorandam uteretur. Hinc ei tabulae, Latinis, ſive ut aiunt, Pelaſgi-

(a) *Cl. Oliverii liber hunc titulum habet:* Spiegazione di alcuni Monumenti degli Antichi Pelaſgi, traſportata dal Franceſe, con alcune Oſſervazioni ſovra i medeſimi. In Peſaro 1735. (b) *Plurimi prodiere alphabeta Etruſca, alia aliis imperfectiora. Eorum ſeriem deſcriptam habes a Cl. Gorio, qui ipſe quoque duo edidit, alterum To. II. muſei Etruſci p. 417. quod poſtmodum ab eo rejectum eſt, alterum To: I. p.* XLVIIII. *quod ab eo probatum eſt, & ceteris omnino anteponendum videtur. Conſtat literis* XVI. *quae his reſpondent A. E. I. K L. M. N. P. R. S. T V. TH. XS. PH. ſive F. CH. quibus addit adſpiratam H. Singularum literarum poteſtatem indicat, non ex ingenio ſuo, ſed ex certiſſimis monumentis, ex notorum ſcilicet deorum, & heroum nominibus circa eorum imagines ſculptis in antiquis pateris, & ſaſingi gemma non ita pridem reperta. Videatur ipſius Cl. Gorii liber, quo acerrime ſuum alphabetum defendit p.* CXXVII. *ſequ.* (c) *Cl. Paſſerii literae datae ſunt menſ. Sept. & Octob. an.* MDCCXL. *&, editae ſunt To:* XXVI. *&* XXVII. *collect. Caloger.*

laſgicis literis ſcriptae, cujus explicationem tentavit, *Litaniarum Pelaſgicarum* titulum fecit, quas nempe canerent Pelaſgi ad avertenda ea mala, quibus olim in Italia miſere afflictati ſunt, ut narrat Dionyſius Halicarnaſſeus (*a*). Sed nimium conjecturis ſuis indulſit Bourgetius, neque erat cur Pelaſgos huc arceſſeret, quos, vel ipſum Dionyſium Halicarnaſſeum ſecutus, vix credo ad Eugubinorum fines umquam penetraſſe, ut capite ſequenti demonſtrabo. At Cl. Paſſerius, omnibus accurate circumſpectis, has tabulas eſſe cenſuit non minimam partem archivi pontificum Iguvinorum. Quae enim duae literis latinis ſcriptae ſunt, ſacrificiorum ritus varios, & victimarum praeſcriptiones, & precationum formulas, plura denique ignota, & arcana deorum nomina, continere viſae ſunt. Hinc jure eas appellat *indigitamenta pontificum*; ita enim dicebantur tabulae, ſeu libri qui ſacrorum ritus, & pontificalem diſciplinam continebant, variaque in primis nomina deſcripta habebant, quibus quique deorum in ſacris eſſent appellandi, & invocandi. Neque vero dubium eſt, quin, ut alia atque alia erat diverſorum populorum religio, ita ſuos ſinguli ritus, & ceremonias, ſuaque ſinguli indigitamenta habuerint. Romani id genus tabulas, libroſve *indigitamenta Pompiliana* vocabant, quod nimirum Numa Pompilius, populi Romani religione conſtituta, pontificalem quoque diſciplinam tradiderit. Memorat Arnobius Pompiliana indigitamenta, ubi ethnicorum calumniam retundit, qui noſtram religionem novitatis accuſabant, cum ipſi potius condemnandi eſſent, quod populorum omnium, quos viciſſent, errores, & ſuperſtitiones adoptaſſent. *Quid? inquit, vos Aegyptiaca numina, quibus Serapis, & Iſis eſt nomen, non poſt Piſonem, & Gracchum Coſſ. in numerum veſtrorum retuliſtis deorum?..... Non doctorum in literis continetur, Apollinis nomen Pompiliana indigitamenta neſcire (b)?* Duae igitur tabulae literis latinis ſcriptae continent indigitamenta pontificum Eugubinorum, quas per id tempus ſcriptas exiſtimat, clariſſimus Paſſerius, cum vetus illa ſcribendi ratio in aliis tabulis uſurpata plane obſoleverat (*c*). Imo obſervat idem ſolertiſſimus vir, idque ad oculum demonſtrat, non aliud duabus hiſce tabulis contineri, quam quod in una reliquarum, quam ipſe numero quinto, & ſexto conſignat, in duas nimirum partes diſtinctam, eo quod utraque facie perſcripta ſit. Ea eſt in noſtra tabella numero quarta, &

(a) *Dionyſ. Halic. l. I. antiqu. Rom.* (b) *Arnob. l. II. adv. Gent.* (c) *Paſſer. Itt. Roncagl.* XIII. *Opuſc. Coleg. To.* XXVI.

ta, & incipit VVKVKVM: IVVIV: PVNE: VV.... (*a*); quod autem haec tabula ſtrictim complectitur, id latius in duabus illis, quarum ſcriptura eſt Latina, explicatur, ut certo dici poſſint unius illius paraphraſes (*b*). Ejuſdem argumenti eſſe videtur tabula quinta, cujus initium eſt PVNE: KARNE, ſed ſuſpicatur tamen idem Cl. Paſſerius, qui haec antiquitatis arcana primus penetravit, formulas rituum, ac ceremoniarum minus ſolemnium ibi eſſe deſcriptas (*c*). In tabula vero tertia, quae incipit ESVK. FRATER, aliquid contineri exiſtimat, quo ad ſacrificia, & epula ſacra, inter contribules variarum tribuum agi ſolita. In duabus reliquis, quarum altera incipit ESVNV: FVIA, altera PVRTVITV: ERARVNT, quaeque eadem magnitudine, eodemque artificio ſunt, longae palmos duos, latae unum ſemis, ſacrificia procurandis fulminibus praeſcribi cenſet idem vir eximius. Eadem illa, quae incipit ESVNV: FVIA poſt Gorium, & Paſſerium, interpretem habuit non minus ingenio, & eruditione valentem Joſephum Clementem Binium, qui partem quamdam Eugubinae hiſtoriae in ea deſcribi exiſtimat. Ex hac autem ſumma doctiſſimorum hominum diſſenſione palam fit, multa quidem vocabula, quae in his tabulis, aliiſque monumentis Etruſcis ſcripta ſunt, intelligi utcumque potuiſſe, & quaſdam etiam breves ſententias, ſed nondum ſatis claram lucem affulſiſſe ad diſpellendam caliginem, quae progredi conantibus in hoc ſtudio antiquitatis obſiſtit.

XIV. De harum tabularum aetate non unum eſt eruditorum judicium. Maffejus aliquando antiquiſſimi, & remotiſſimi temporis opus eſſe dixit (*d*). Poſtea aliter ſenſit, nam quae Latinis, ſive Pelaſgicis literis ſcriptae ſunt, eas octavo, ad ſummum ſeptimo urbis Romae ſaeculo antiquiores ſibi videri negavit (*e*). Bourgetius quoque ſummam eis antiquitatem tribuit, quamque ipſe interpretatus eſt, Romuli aetate ſuperiorem cenſuit, ſed ab eo diſſenſit Oliverius, qui Bourgetii epiſtolam ex Gallica in noſtram linguam vertit, multaque inſuper addidit ad antiqua Pelaſgorum monumenta explicanda. Has diſcrepantes ſententias ita conciliare inſtituit, qui ceteros in hoc ſtudio ſuperavit, Cl. Paſſerius. Jam inde ab antiquiſſimis temporibus ſua pontificibus Eugubinis indigitamenta fuiſſe

(*a*) *Oſtendit Cl. Paſſerius non eſſe initium hujus tabulae capiendum ex ea parte quae incipit* VVKVKVM, *ſed ex altera quae incipit* ESTE PERSCLVM; *ſecus ac Bonarrotio viſum fuerat. Vid. ejus epiſtolam* XVI. *To.* XXVII. *Opuſc. Calog. p.* 283. (b) *Let. Roncagl.* XIV. *Opuſc. Calog. To. cit.* (c) *Let. Roncagl.* XVII. *Opuſc. Calog. To.* XXVII. *p.* 307. (d) *Ex Gorio in defenſ. alphab. Etr. p.* LV. (e) *Maff. To.* VI. *Oſſ. let. p.* 93. 97.

fuiſſe exiſtimat, in tabulis fortaſſe roboreis, aut ex duriore ligno, ſi quod erat, perſcripta, quemadmodum leges Athenienſium ſcriptas novimus ex Plutarco (*a*), & Gellio (*b*), & verſus etiam ſaliares, qui propterea videntur axamenta olim appellati, quod in axibus, ſive tabulis ligneis exſtarent (*c*). Iis porro tabulis, partim vi temporis, partim longo uſu paulatim corruptis, ſacra illa religionis monumenta aereis tabulis inſculpta ſunt, ne umquam perirent. Nitida autem literarum Latinarum forma, quae in tabulis duabus apparet, vix ante extrema Romanae reipublicae tempora, ſcribi potuiſſe demonſtrat. Reliquarum ſcriptura antiquior videtur, ſed cum ipſa quoque ſatis concinna ſit, non eſt cur ſumma eis antiquitas tribuatur. Porro tam duas illas, quae Latinis literis, quam reliquas, quae Etruſcis ſcriptae ſunt, non autographas, ſed ex aliis antiquioribus deſcriptas, & quidem eo tempore, cum illa vetus lingua jam defecerat, ingenioſe admodum oſtendit idem vir praeſtantiſſimus (*d*), quem omnino conſulere debebunt, qui haec accuratius noſſe cupiunt.

XV. Occurrit ſaepiſſime in his tabulis Eugubinorum nomen, alio atque alio flexu, & terminatione, ut veteris illius linguae ratio ferebat. In iis, quae ſunt literis Etruſco more ſcriptae, eſt *Ikuvina*, *Ikuvine*, *Ikuvinſa*, *Ikuvini*, *Ikuvinus*, *Iuvina*, *Iuvinus*. At in duabus longioribus, quarum literae Latinae ſunt, *Iiovina*, *Iiovinam*, *Iiovinar*, *Iiovine* (*e*): nec dubium eſt, quin poſteriores iſtae voces prioribus illis reſpondeant; quid enim ſimilius, quam *tute ikuvine*, *tutaper iiuvine*, *tutaper ikuvina*, *tutas iiuvinas*, quae paſſim leguntur in tabulis Etruſco more ſcriptis, ac *tota iiovina*, *totam iiovina*, *tutaper iiovina*, *tote iioveine*, *totam iiovinam*, quae centies occurrunt in duabus tabulis prolixioribus, quae more Latino ſcriptae ſunt? Ex hac una obſervatione manifeſtum fit, propria Eugubinorum monumenta iis tabulis contineri, quae propterea a Paſſerio *indigitamenta* pontificum ejus populi ſcitiſſime dicta ſunt.

XVI. Saepe etiam in iiſdem tabulis Jovis nomen elucet, & ad ipſum referri videntur quaecumque ibi praeſcripta ſunt, plerumque ſolum, aliquando cum Marte. In Etruſcis *Iupater* dicitur, ſive *Iuvepatre*, *Iuve*, *Iuvi*, *Iuvie*, *Iuvip. Iuviu*; in Latinis vero *Iovi*, *Iovia*, *Iovie*, *Iovies*, & nomine etiam Dei *Grabovi* crebro in iiſdem Latinis tabulis indicatur. Non mirum autem in tabulis Latine ſcriptis Jovis nomen efferri per O, in ceteris autem

(a) *Plutarc. in vit. Solon.* (b) *A. Gell. l. II. c.* XII. (c) *Vid. Pitiſc. V.* Axamenta. (d) *Paſſeri let.* XVI. *ap. Coleg. To.* XXVII. (e) *Vid. lenic. Paſſer. Opuſc. Calog. To.* XXVI.

per V, quod etiam in vocibus *tute*, *tutas*, *tutaper*, aliisque supra allatis contingit; Etrusci enim litera O carebant, pro qua usurpabant V, ut ex Festo observat Oliverius (*a*). Ex multis porro nominibus, plerumque ignotis, & arcanis, quae Jovi tribuuntur in his tabulis, illud perfrequens, neque hoc loco praetereundum, quod OKRIPER, OKRIFER, VKRIFER dicitur. Agnoscit hic Cl. Passerius Jovem montanum; est enim *okriper* ex *ocre*, ut in tabulis, quae scriptae sunt literis Latinis, sive *ukriper* ex *ukre*, ut in iis, quarum scriptura est Etruscis literis, quae scribendi ratio literam O ignorat, ut ante dictum est. At *ocrem antiqui montem confragosum vocabant*, ut animadvertit idem Passerius (*b*) ex Festo, qui auctore utitur Attejo philologo in libro glossematum. Atque hinc duae civitates Ocriculum, & Interocrea nomen sumpsere, quod illud in monte, haec inter montes posita esset. Est igitur IOVIE, seu IVVIE OKRIPER, OKRIFER, VKRIFER, quem habemus in tabulis Eugubinis, *Jupiter montanus*, atque, ut postea dixerunt, *Jupiter apeninus*, cujus nomen in antiqua epigraphe expressum supra vidimus. Erat ejus templum in alto apenini jugo, unde *Jupiter apeninus* dicebatur, ut Jupiter Casius ex Casio monte in Syria (*c*), Capitolinus ex Capitolino in urbe Roma. Fuit autem longe antiquissima haec religio colendi Deum summum in celsissimis montium verticibus, propterea, quod ita homines ad eum propius viderentur accedere, quem coeli culmen tenere credebant. Ita Persas, editissimis quibusque conscensis montibus, Jovi hostias immolasse, ex Herodoto accipimus (*d*). Id etiam observarunt Judaei, quos sacrae literae non uno loco narrant, colendo numini, altos montes saepius destinasse. Imo Deus ipse hunc morem probasse videtur, cum montem Moriam delegerit, in quo, pro universa gente Judaeorum, a Salomone templum excitaretur (*e*), & Abraham jussit filium Isaac, in monte, quem ipse monstrasset, immolare. Hunc ergo morem credibile est primos homines servasse ante idololatriae exordia, ut verum Deum in praecelsis montibus adorarent. Post autem, obcaecatis animis, & inducto politheismo, illud saltem pristinae religionis restasse videtur, ut non quemcumque Deum, sed summum omnium, quique Deorum pater, atque hominum rex diceretur, editissimis locis potissimum adorarent. Hunc ipsum esse puto *Deum Peninum*, notum ex hac

(*a*) *Oliver. Spieg. d' alcuni monum. p.* 16. (*b*) *Passer. let.* XIV. *Opusc. Caleg. T* XXVI. *p.* 367. (c) Casius est mons quidam accumulatus in promontorii modum. In eo Jovis Casii Templum. *Strabo geograph. l.* XVI. *p.* 526. *edit. Basil.* 1523. (*d*) *Herod. l. I. p. m.* 132. (*e*) 2. *Paralip.* 3. 1.

Digitized by Google

ex hac antiqua inſcriptione, olim reperta in monte magno S. Bernardi: LVCIVS. LVCILIVS. DEO. PENINO. OPTIMO. MAXIMO. DONVM. DEDIT (*a*). Idem ejus montis, & Dei nomen, ut de Carmelo narrat Tacitus (*b*). Sed cum *Peninus* iſte *optimi*, *maximi*que nominibus dicatur, quae eſſe ſolent praecipua Jovis attributa, vix alium eſſe puto ab Jove ipſo, quem Veragri, aliaequae vicinae gentes, eadem ex cauſa, *Peninum* appellarent, ac Eugubini noſtri *apeninum*; jamdiu enim eruditi ad hanc rem obſervarunt *pen*, ſive *pin*, unde *peninus*, vel *apeninus*, *pinna*, *pinaculum*, ſummum quemque verticem ſignificare, ſive ea vox Celticae, ſive Hebraicae originis ſit, aut Latinae (*c*). Hinc fateor me non ſatis intelligere, quid ſibi velit Livius, cum Veragrorum jugo *nomen inditum* ait *ab eo* (Maſſejus legendum monet *a Deo*,) *quem in ſummo ſacratum vertice Penninum* (*l. Peninum* ex allata epigraphe) *montani appellant* (*d*); potius enim ex loco Deus, imo ex loci altitudine, & mons *Peninus*, & Deus *Peninus*, nomen traxiſſe videntur.

XVII. Ex loco, ubi eruta eſt antiqua inſcriptio, Jovis apenini nomine inſignis, conſtare dixi, quo loco ſitum eſſet ejus templum, non equidem in eo monte, qui civitati Eugubinae imminet, ſed in praealto apenini vertice, qua viae Flaminiae tranſitus eſt, citra Schigiam oppidulum paſſibus plus minus mille quingentis. Ibi quippe, praeter rariſſimum, & ſingularem lapidem *Jovi apenino* inſcriptum, illuſtria antiquorum aedificiorum veſtigia, & ſubterraneae concamerationes detectae ſunt, ad eum maxime locum, qui accolis eſt *la piaggia de' bagni*, quod vocabulum loco haeſiſſe videtur ex balineis, quae olim prope templum illud fuerint, ut erant ad templum Fortunae Praeneſtinae (*e*). Vidi ego in aedibus Orlandiorum, apud Schigiam, plura antiquarum ſtatuarum fragmenta, cruſtaſque marmoreas, & hermam quoque bicipitem ex marmore, capite altero virili, altero foemineo, quae indidem eruta eſſe conſtabat, cum ſedente Clemente XI. viam Flaminiam reſtaurari contigiſſet, ac multo etiam plura, quae pretioſiora putabantur, alio aſportata eſſe audivi. Tantus vero neglectus ejuſmodi antiquarum reliquiarum eo loco fuit, ut inſcripti lapides olim promiſcue adhibiti ſint, in via ipſa reficienda, & ſternenda, quemadmodum ex

(a) *Spon. miſcell. p.* 85. (b) *Eſt* Judaeam inter Syriamque Carmelus: ita vocant montem, Deumque. *Tacit. hiſtor. l.* II. (c) *Vid Maffei. Veron. illuſtr. p.* 176. *Roſchman de Veldid. urb.* c. XXI. *Paſſer. T.* XXVI. *Opuſc. Calog. p.* 373. *Bini let.* XV. *Gualfond.* (d) *Liv. dec.* III. *l. c.* XIV. [e] *Suareſ. Praeneſt. antiq. l. I. c.* XV.

dum ex eorum fragmentis hodie dum exſtantibus apparet. Quid plura? Indicat etiam hujus fani ſitum Claudianus, Honorii auguſti iter, Ravenna Romam, deſcribens, his verſibus:

Dixit, & antiquae muros egreſſa Ravennae
Signa movet: jamque ora Padi, portuſque relinquit
Flumineos &c.
Laetior hinc fano recipit fortuna vetuſto,
Deſpiciturque vagus, praerupta valle, Metaurus,
Qua mons arte patens vivo ſe perforat arcu,
Admittitque viam ſectae per viſcera rupis.
Exſuperat delubra Jovis, ſaxoque minantes
Apeninigenis cultas paſtoribus aras,
Quin & Clitumni, ſacras victoribus, undas,
Candida quae Latiis praebent armenta triumphis,
Viſere cura fuit (a):

Si hoc fanum Jovis prope civitatem, vel in civitate ipſa fuiſſet, ut eos velle exiſtimo, qui Eugubium vetus in monte ſitum autumant, inſcite Claudianus dixiſſet cultas paſtoribus apeninigenis eas aras. Honorio autem Romam, cum exercitu, & regio comitatu properanti, ad decennalia celebranda, & conſulatum ineundum, ex regia via ſeptenis, ut minimum, millibus paſſuum divertendum fuiſſet, quantum a via Flaminia Eugubium diſtat, quod ſane credibile non eſt, media praeſertim hyeme, atque itinere perincommodo, & difficili, quale inter montes eo anni tempore eſſe ſolet.

XVIII. In Peutingeri tabula hoc Jovis templum ſupra montes, qua viae Flaminiae tranſitus eſt, in hunc modum notatur: *Jovis penninus idem agubio*, addita templi icone. Malim legere *item agubio*, ut duae res loco diverſae ibi deſignentur, Jovis templum, & civitas Eugubium. Qui norunt quot mendis, multo graviſſimis, ea tabula foedata ſit, haud magnum facinus judicabunt leve hoc erratum in ea ſuſpicari. Ex appicta vero templi figura intelligimus, quae fuerit Jovis apenini celebritas; non plures enim, quam tres hujuſmodi templorum icones in longiſſimo tractu tabulae Peutingerianae cernuntur, quo maxima Italiae pars, ex urbe Placentia Romam ultra, aliaeque ſeptentrionales provinciae continentur (*b*). Sunt haec noſtrum *Jovis apenini* templum, *Fanum Fortunae*, & *Fanum Fugitivi*, quinque millibus paſſuum ultra Spoletium, de quo nihil, praeter nomen, ex hac tabula affert

(a) *Claud. de* VI. *conſ. Honor.* [b] *Vid. tab. Peuting. ſegm.* III.

affert Cluverius, ſed Jovi dicatum fuiſſe videtur, quem *fugitivi* nomine antiquitus dictum, conſtat ex Lycophronis Caſſandra, & Apollonio in IV. Argonauticae, ut obſervat Cl. Paſſerius (*a*), qui *Jovem fugitivum* agnoſcit etiam in tabulis Eugubinis, ubi haec duo Jovis attributa ſaepiſſime conjuncta leguntur OKRIPER, ſive OKRIFER, & FISIV, quae vox FISIV φύγιος *fugitivus* Graecorum eſſe videtur.

XIX. Stabat igitur adhuc incolume hoc Jovis templum, Honorio imperante, conſulatu ejus VI., hoc eſt anno CDIV., quamvis Chriſtiana religio latiſſime jam propagata eſſet. Favebat nimirum ipſius Honorii lex, quae licet ſacrificia vetaret, *aedes tamen inlicitis rebus, ideſt idolis, vacuas, cavebat, ne quis conaretur evertere. Dat. III. Kal. ſept. Patavii Theodoro V. C. Conſ.* (*b*), anno ſcilicet CCCIC. Quod ſi Peutingeri tabula VI. ſaeculo, aut fortaſſe etiam ſerius concinnata eſt, ut quidam opinantur, diu etiam poſt Honorii auguſti aetatem Jovis apenini templum, tam nitide in ea tabula deſignatum, ſtetiſſe oportet. Ad Jovem apeninum, de quo agimus, pertinere videntur ſortes apeninae, de quibus in Firmo Vopiſcus: *In qua Jupiter aureus, & gemmatus ſederet cum praetexta, ponendus in templo Solis, apeninis ſortibus additis* (*c*). Earum etiam meminit Trebellius Pollio in Claudio: *Cum in apenino de ſe conſuleret, reſponſum hujuſmodi accepit* (*d*). Sunt qui utrumque hunc Vopiſci, & Trebellii Pollionis locum pervertere velint, & apud Vopiſcum legere *Aponis*, apud Pollionem *Aponino* (*e*), quaſi vero ſortes Jovi non convenirent, cum narret Livius *Alexandrum Epiri regem ab exule Lucano interfectum, ſortes Dodonaei Jovis affirmaſſe* (*f*). Sed aliqua iis venia non neganda, quod, & ad Aponi fontem vaticinium per ſortes aliquando captum fuiſſe noverant ex Svetonio (*g*), nec dum Jovis apenini luculentum adeo monumentum, quale eſt inſcriptio ſupra allata, videre potuerant.

XX. Sed redeo ad tabulas Eugubinas, in quibus, cum tam frequens ſit Jovis montani mentio, non dubito, quin ad hunc ipſum Jovem apeninum pertineant, in cujus templo praecipuus fuiſſe videtur earum uſus. Cl. Paſſerius in poſtica parte ejus tabulae, literis Latinis ſcriptae, quae incipit ESTE. PERSCLO, praeter Iguvinos, plures populos agnovit, quos, ſi eorum quidem nomina Latino more inflectere velis, poſſis dicere Tarſinates Triforos, Tarſinates Thuſcos, Naartes, Jabuſcos &c. Eo fit non pro ſolis Iguvinis, ſed pro

[a] *Paſſer. l. cit. p.* 374. [b] *Cod. Theod. t. de pagan. l.* 19. [c] *Vopiſc. in Firm. c.* 3. [d] *Tr. Pol. in Claud. c.* 10. [e] *Ap. Pitiſc.* V. Sortes Apenninae. [f] *Liv. dec. I. l.* VIII. c. XXI. [g] *Svet. in Tiber. c.* 14.

ſed pro aliis quoque Umbriae populis ea indigitamenta ſcripta fuiſſe, quibus ſocietate ſacrorum inter ſe conjunctis, commune eſſet illud Jovis apenini templum, ut Romanis, & Latinis templum Jovis Latialis in monte Albano commune fuit, ubi Latinae feriae agebantur, de quibus Dionyſius Halicarnaſſeus: *Conferunt in eas populi ſacrorum participes, quidam agnos, quidam caſeos, quidam lactis certum modum, quidam conſimile liborum genus. Communis omnium victima eſt taurus unus, de quo cuique populo ſua certa portio tribuitur* (*a*). Etruſci quoque commune quondam conſilium ad fanum Volturnae habere ſolebant, quo non minus rerum publicarum, quam ſacrorum cauſa ab omni Etruria iretur. Tale quidpiam agitaſſe Eugubinos, cum aliis Umbriae populis, qui eadem ſacrorum lege tenebantur, veroſimillimum judico, idque ex tabulis Eugubinis elucere videtur.

XXI. Reſtaret nunc, ut de lingua, qua tabulae Eugubinae ſcriptae ſunt, ne id prorſus omiſiſſe viderer, aliquid dicerem. Sed neque inſtituti mei eſt de his rebus copioſe diſſerere, neque id paucis explicari poteſt, in quo eſt incredibilis opinionum varietas. Tantum dicam tabulas Eugubinas vetuſta Umbrorum lingua videri ſcriptas: vetuſta inquam, quae, rebus ejus populi florentibus, vigebat, non quam Eugubini loquebantur, cum tabulae ſcriptae ſunt. Eas enim poſterioris aevi opus eſſe probabili conjectura demonſtratum eſt (*b*). Id autem Umbris accidiſſe oportet, quod reliquis Italiae populis, qui poſtquam in poteſtatem populi Romani venerunt, paulatim lingua, moribuſque Romani effecti ſunt, praeſertim poſt tot colonias civium Romanorum quoquoverſus deductas, & civitatem Romanam Italicis communicatam. Cum ergo eae tabulae ſcriptae ſunt, vel plane obſoleverat ea lingua vetus, vel in eum ſtatum erat adducta, ut vix ejus uſum in ſacris retinerent, quemadmodum Latinae poſtea contigit, cum ab Italica, aliiſque vulgaribus linguis e gradu dejecta eſt. Licet autem duae ex his tabulis, ut dictum eſt, Latinis literis ſcriptae ſint, quas Pelaſgicas aliqui appellarunt, quod a Pelaſgis invectas putabant, quinque autem iis literis, quas vulgo Etruſcas dicimus, omnium tamen una eademque lingua eſt, illa ſcilicet antiquiſſima Umbrorum, quo fit, ut non magis inter monumenta Latina, aut Pelaſgica duae illae tabulae, quae Latinas, aut Pelaſgicas literas habent, enumerandae ſint, quam quae literas habent Etruſcas. Quamvis enim

(*a*) *Dionyſ. Halic. l. IV. p. 230.* (*b*) *Vid. Paſſer. lect. Roncagl. XIII. To. XXVI. Opuſc. Calog. p. 246. &c.*

enim iiſdem uterentur literis Umbri, & Etruſci, cum tamen non una eſſet utriuſque populi origo, & alii, atque alii mores, legeſque, & inſtituta, non minima etiam fuiſſe videtur linguae, & ſermonis diverſitas.

XXII. Ac literas quidem, quibus Umbri, & Etruſci utebantur, jam obſervatum eſt a viris doctis, non exiguam ſimilitudinem gerere cum vetuſtiſſimis Graecorum literis, quales ſunt in inſcriptione Sigea a Chiſullio, & in Deliaca a Turnefortio primum edita (*a*). Cum iiſdem Graecorum literis antiquiſſimis miram fuiſſe Latinarum ſimilitudinem conſtat, idque tradit Tacitus in annalium undecimo (*b*). Eadem ergo earum literarum origo, & fortaſſe etiam linguarum. Sed, ut eaedem literae, ex uno fonte propagatae, longo annorum decurſu, a variis gentibus vario modo reformatae ſunt, & certam quamdam ſcripturae rationem, quae cujuſque gentis propria eſſet, effecerunt, ut aliae jam a Graecis Latinae, aliae ab utriſque ſint Etruſcae; idem linguis etiam accidiſſe oportet. Sive ergo Graecam, Latinam, & quae Etruſca vulgo dicitur, diverſas linguas eſſe velis, ſive unius primigeniae linguae diverſas dialectos, non multum contendam. Sed commodius tamen ejuſdem linguae dialecti diverſae dicendi videntur in iis populis, qui eadem ſcriptura, literiſque utuntur. Atque ita, quoniam iiſdem literis Etruſci, & Samnites, & Umbri (*c*), & alii fortaſſe Italiae populi utebantur, eamdem iſtorum linguam, quadam tantum forma, & dialecto diverſam fuiſſe dixerim. Sed tamen haec diverſitas tanta erat, ut plerique Italiae populi aeque moribus, ac lingua diſſoni antiquitus crederentur. Ita viſum Livio, qui hac potiſſimum de cauſa futurum negavit, ut Numa Pompilius potuiſſet Pythagoram Samium audire, quamquam fuiſſent aetate aequales: *Auctorem*, ait, *doctrinae ejus (Numae Pompilii) quia non extat alius, falſo Samium Pythagoram edunt, quem Servio Tullio regnante Romae, centum amplius poſt annos, in ultima Italiae ora circa Metapontum, Heracleamque, & Crotonem juvenum aemulantium ſtudia coetus habuiſſe conſtat. Ex quibus locis, etſi ejuſdem aetatis fuiſſet, qua fama in Sabinos, aut quo linguae commercio quemquam ad cupiditatem diſcendi exciviſſet? quove praeſidio unus per tot gentes, diſſonas ſermone, moribuſque perveniſſet (d)?* Erant igitur pleraeque ſaltem Italiae gentes ſermone diſſonae, cum res Ro-

(a) *Gori diſeſa dell' alfab. Etruſc. p.* CXIV. *ſeq.* (b) Et forma literis Latinis, quae veterrimis Graecorum. *Tacit. annal. l. X. c.* IX. (c) *De Samnitibus liquet ex eorum nummis a Cl. Oliver. primum obſervatis, & feliciſſime explicatis. De Umbris conſtat ex noſtris tabulis Eugubinis.* (d) *Liv. L. 7.*

res Romana florere coepit, nec deſunt plura ſcriptorum teſtimonia, quibus oſtendi poteſt Samnitium, & Etruſcorum linguam Romanis auribus peregrinam, & ignotam fuiſſe. An aeque Etruſci, Umbri, Samnites, & ſi qui erant praeterea, qui eadem ſcriptura, & iiſdem literis uterentur, ſermone inter ſe diſcreparent, dicere non auſim. Credibile videtur, non magis tunc inter eas gentes ſermone conveniſſe, quam nunc Itali, Galli, Hiſpani, qui aeque Latinis literis utuntur, & a ſe invicem, & a Latinis differunt. Sicuti ergo, ſi quis Italicam linguam probe calleat, aut Latinam, Gallica monumenta, aut Hiſpanica literis conſignata, ſolerti ſtudio, & conſideratione, propter iſtarum linguarum affinitatem, intelliget, in Graecis vero monumentis fere omnino caecutiet; ſic, ſi quis unam ex eorum populorum linguis, puta Etruſcam, probe cognitam haberet, Umbrorum, & Samnitium, quotquot eſſent monumenta, non inutili opera ſcrutari poſſet, aliarum vero linguarum, Latinae, Graecae, &, ſi placet etiam Hebraicae, & Chaldaicae praeſidiis, quantumvis maximis, inſtructi, cum nondum conſtiterit, an ulla illarum certam affinitatem, cum Etruſca, & Umbra habeat; ſpiſſas ubique tenebras offendunt, ubi tabulas Eugubinas, & monumenta Etruſcorum explicare aggrediuntur. Eo factum eſt, ut alii alia via in ſacra haec adyta penetrare tentaverint, alii ſcilicet Orientalium linguarum praeſidio, Graecae in primis, & Hebraicae, alii Latinae antiquiſſimae, cui majorem forte affinitatem cum Etruſca, & Umbra tribuunt, quam literarum, & ſcriptutae diverſitas patiatur, quae in hiſce populis fuit. Alii fortaſſe melius, & prudentius, non ex una linguarum veterum, ſed ex omnibus earum gentium, ex quibus, vel propter originem, vel propter conſuetudinem, & commercium, aliquid in linguam Umbram, ſive Etruſcam manaſſe ſuſpicantur, lucem ſibi quaerunt ad eam obſcuritatem utcumque vincendam. Quod ſi non plane aſſequuntur id, quod volunt, tamen laudandi ſunt eorum conatus, & quidpiam etiam efficiunt, & aliquid, licet haud ſane multum, vident in iis monumentis, in quibus ante hanc aetatem, nemo niſi mira monſtra ſomniaverat.

XXIII. Nam, quod aliquis tandem repertus ſit, qui, ſpreta tot hominum eruditiſſimorum induſtria, qui hactenus Graeca, ceteriſque doctis linguis adiuti, tabulas Eugubinas, aliaque monumenta Etruſca tentarunt, auſus ſit negare, & tabulas, & monumenta illa omnia, quae, prope innumera, jam detecta ſunt, & deteguntur in dies, ad Etruſcos, ſive Umbros noſtros ullo modo

pertine-

pertinere, ſed pura puta Gothica eſſe, Gothis nimirum Italiae vaſtatoribus tribuenda; id vero nemo, qui ſapiat, ſerio dictum putabit ab homine ſapiente. Leguntur haec in brevi lucubratiuncula, quae anno MDCCLI. prodiit, ſuppreſſo nomine auctoris, & typographi (*a*). Sed auctor ipſe ante providit quod futurum eſſet judicium doctorum de hac inaudita ejus opinione, eamque propterea, in ſomnii modum, poeticis floribus, & leporibus conveſtitam, propoſuit. Sed ei nuper pro meritis, ab acerrimo vindice Etruſcae antiquitatis reſponſum eſt, a quo ſemel expergefactus numquam, opinor, ejuſmodi ſomnia ſomniabit. Ad eum autem ſerio refellendum, praeter alia argumenta, illud non minimi faciendum, quod Gothi analphabeti, rudes, inculti in Italiam venerunt: eae vero nationes, quae monumenta illa nobis reliquerunt, elegantes, politae, moribus, literiſque excultae. Hinc nullum umquam Ravennae, quae diu ſedes fuit Gothici regni, repertum monumentum, nullus lapis, nullum antiqui operis fruſtulum iis literis inſcriptum, quas Etruſcas dicimus: cumque in ea civitate multa adhuc exſtent aedificia, Gothorum rebus florentibus, imo a Gothis ipſis, atque ab eorum rege Theodorico, conſtructa, ſi quae in iis inſcriptiones appoſitae fuerunt, eae ſunt literis Latinis, quod maxime obſervare licet in muſivis ſacrae aedis S. Apollinaris novi, olim S. Martini in coelo aureo, ubi praeter plurima ſanctorum nomina literis Latinis expreſſa, pictum etiam exhibetur Theodorici palatium, in cujus zophoro ſupra columnas porticum ſuſtentantes, Latinis literis inſcriptum eſt PALATIUM. Id vero vel dormienti auctori illi in mentem venire debuerat, qui ſomnium illud ſuum paſſibus plus minus ducentis citra Ravennam habuiſſe fingit. Sed de his, ac de Eugubinorum monumentis hactenus.

[a] *Hunc titulum gerit:* Nova trasfigurazione delle lettere Etruſche. MDCCLI.

CAPUT III.

Hiſtorica quaedam rebus Romanorum florentibus. Fortuna varia ad noſtra uſque tempora.

I. EUgubinae civitatis rara admodum mentio eſt in hiſtoria Romana, quod non magnopere miror, praeſertim deperdita ſecunda Livii decade, cujus quinto libro victi Umbri, & in deditionem accepti narrabantur, ut ex ejus epitome intelligimus. In prima vero decade res Umbrorum videri poſſunt exiliter a Livio tractatae. Eos primum narrat populo Ro: paruiſſe ad annum CDXXXIIII., cum, magni Alexandri mentione injecta, eum ait, ſi in Italiam veniſſet cum populo Romano bellaturus, omne Latium cum Sabinis, & Volſcis, & Aequis, & omni Campania, & parte Umbriae, Etruriaeque, alioſque populos inventurum fuiſſe, aut fractos bello hoſtes, aut ſocios validos Romanis. At ante id tempus fruſtra quaeras ex Livio, quomodo Umbriae pars, vel ſponte ſocietatem cum Romanis inierit, vel armis victa in poteſtatem eorum venerit. Poſt autem Umbrorum motus narrans, rarius civitatem aliquam ejus gentis nominat, Eugubinos certe numquam. Eos numerat Silius Italicus cum iis populis, qui in exercitu Romanorum fuerunt, bello Punico ſecundo ante pugnam Cannenſem, iis verſibus:

Sed non ruricolae firmarunt robore caſtra
Deteriore, cavis venientes montibus, Umbri.....
His urbes Arna, & latis Mevania pratis,
Hiſpellum, & duro monti per ſaxa recumbens
Narnia, & infeſtum nebulis humentibus olim
Inginum (l. Iguvium) (*a*).

Sed incertum ad hiſtoriae fidem, an ex ingenio ſuo haec dixerit. Pugna Cannenſis incidit in an. Urbis DXXXVII. Erat etiam neſcio quid ad hanc civitatem pertinens apud Siſennam ſcriptorem antiquum hiſtoriarum, quae perierunt, ex Nonnio, qui hunc locum ex libro quarto affert: *Itaque poſtero die legatos Iguvium redeuntes apiſcitur.* Et rurſum: *Tum proſequam apud Iguvinos, & Peruſinos ejus facti mentionem projecit* (*b*). Verum ex his ambagibus nihil certi elicere licet. Illud ex Livio memorandum quod,

[a] *Sil. Italic. l.* VIII. [b] *Non Marcel. V.* apiſci, *&* V. projicere.

quod, devicto Illirico, Gentius Illyriorum rex, poſtquam cum conjuge, & liberis, & Caravantio fratre ante currum L. Anicii Praetoris triumphantis ductus eſſet, Eugubinis in cuſtodiam traditus eſt. *Ante currum*, inquit, *ducti Gentius rex cum conjuge, & liberis, & Caravantius frater regis, & quatuor nobiles Illyrii*. Ac paulo poſt: *Rex Gentius cum liberis, & conjuge, & fratre Spoletium in cuſtodiam ex S. C. ductus: ceteri captivi Romae in carcerem conjecti, recuſantibuſque cuſtodiam Spoletinis, Iguvium reges tranſducti (a)*. Pleraeque editiones olim habebant *Igiturvium*, ſed *Iguvium* ex fide codicum mſſ., & optima conjectura, reſtituerunt eruditi (*b*). Hinc apparet, quid ſenatus Romanus de fide, & viribus Eugubinorum judicaret, quibus tuto committendam cenſuit eorum regum cuſtodiam, Spoletinorum potentiſſimae coloniae antea decretam.

II. Magni Pompeji, & Julii Caeſaris non diſſimile judicium fuit; uterque enim Eugubii occupandi, & retinendi initio belli civilis cupidiſſimus fuit. Pompejus, ut Umbriam contra Caeſarem tutaretur, Thermum praetorem cum quinque cohortibus ad eam civitatem muniendam, & in fide continendam miſerat, qua de re Tullius ad Atticum initio belli civilis: *Sed ego*, inquit, *nondum habeo quid ad te ex his locis ſcribam. Iſta magis expecto, quid illinc afferatur, quo pacto de Labieno feras, quid agat Domitius in Marſis, Iguvii (c) Thermus, Publius Actius Cinguli (d)*. Scilicet Umbriam pro ſe futuram tamdiu putabat Pompejus, quamdiu Thermus Eugubii fuiſſet, eo autem a Caeſarianis pulſo, Umbriam amiſit, ut eleganter Lucanus: *Jusque ſui, pulſo, jam perdidit Umbria, Thermo (e)*. Et Florus: *Prima Arimino ſigna cecinerunt; tum pulſus Etruria Libo, Umbria Thermus, Domitius Corſinio (f)*. Rem totam narrat Caeſar ipſe: *Itaque* inquit, *ab Arimino M. Antonium cum cohortibus quinque Arretium mittit, ipſe Arimini cum duabus legionibus ſubſiſtit, ibique delectum habere inſtituit. Piſaurum, Fanum, Anconam ſingulis cohortibus occupat. Interea certior factus Iguvium Thermum Praetorem cohortibus quinque tenere, oppidum munire, omniumque eſſe Iguvinorum optimam erga ſe voluntatem, Curionem cum tribus cohortibus, quas Piſauri, & Arimini habebat, mittit; cujus adventu cognito, diffiſus municipij voluntati Thermus, cohortes ex urbe educit, & profugit, milites in itinere ab eo diſcedunt, & domum re-*

[a] *Liv. dec.* v. *l.* v. *c.* xxxvi. (b) *Vid. Turneb. adverſar.* l. xi. c. xviii. (c) *Hic etiam Iguvii nomen corruptum erat, ſed veraе lectioni reſtitutum eſt a Manutio, Steucho, aliiſque.* (d) *M. T. Cic. ad Attic.* l. viii. *ep.* 13. *edit. P. Manut.* (e) *Lucan. de bel. civil.* l. ii. (f) *L. Flor. hiſt. Rom. l.* iv. c. 2.

vertuntur. Curio omnium ſumma voluntate Iguvium recipit (*a*). Antiquae editiones, pro *Iguvium*, *& Iguvinorum*, *Tignium* habebant, & *Tigniorum*, quae monſtra verborum jamdiu diſpunxerunt eruditi (*b*). Cum autem hanc civitatem quinque cohortibus a Pompejo, tribus autem a Caeſare occupatam legimus, qui Fanum, Piſaurum, Anconam ſingulis cohortibus tenebat, de ejus opportunitate ad bellum, quod uterque parabat, certam facere conjecturam licet. Sed haec ex *Iguvino* municipio in patriam ſuam Spoletium transfert Campellus, quem jure carpit, & confutat Marcellus Franciarinus in diſſertatione ſaepius laudata (*c*).

III. Pauca haec de Eugubina civitate ex ſcriptoribus Romanis decerpere licuit: nunc, quae ejus fortuna fuerit, ad noſtra uſque tempora, inveſtigandum. Principio Pelaſgorum coloniam fuiſſe, viri doctiſſimi opinio eſt, quos ad Italiam appuliſſe, & contra Umbros pugnaſſe, ſaeculis multis ante Romam conditam, conſentiunt antiqui ſcriptores. Hinc civitati nomen inditum conjicit ab Ἴκυος, quae Pelaſgorum civitas erat, ex Strabone (*d*). Sed tamen non diffitetur potuiſſe etiam ab Ἰκω *venio Icuvium* eſſe dictum, quo declararent civitatis conditores ſuum in ea loca adventum. Non auſim viro praeſtantiſſimo contradicere, cujus ingenium excellens, & ſummam eruditionem admiror. Sed, ſi Dionyſium Halicarnaſſeum conſulo, qui de hiſce populorum immigrationibus in Italiam non perfunctorie, ut plerique fere, ſed admodum accurate diſſerit, Pelaſgos in Italiam veniſſe non dubito, & cum Umbris etiam bellum agitaſſe, & aliquam terrae Italiae partem iis ademiſſe, in qua ſuas ipſi figerent ſedes; ſed in interiorem Umbriam, ubi incolunt Eugubini, perveniſſe non reperio. Narrat Dionyſius in primo antiquitatum Romanarum, Pelaſgorum plures Theſſaliam patriam linquere coactos in Italiam appuliſſe, ubi ab Aboriginibus recepti, communibus opibus contra Siculos pugnarunt (*e*). Poſt autem, eorum adventum in Italiam latius deſcribens, alios ait applicuiſſe *ad unum ex Padi oſtiis nomine Spineticum*, *ibique naves reliquiſſe*, & civitate condita tamdiu ibi fuiſſe, quoad licuit per Romanos, a quibus tandem deleti ſunt, *atque ita Spinae relictorum Pelaſgorum genus interiit*. De aliis vero Pelaſgis ita dicere pergit Dionyſius: *At illi, qui mediterranea petierunt, ſuperatis Italiae montibus, pervenerunt in Umbriam*

(a) *Caeſ. de bel. civil. l.* 1. (b) *Vid. Cluver. Ital. antiq. l.* II. *c.* 7. (c) *Eſt inter Opuſc. Calog. To.* VII. *p.* 255. 266. (d) *Strab. l.* IX. (e) *Dionyſ. Halicar. l* 1. *antiquit. Rom. ex recenſ. Frid. Sylburg. Francofurd. ap. hered. Wechel.* MDLXXXVI. *pag.* 14.

Umbriam Aboriginibus finitimam. Hunc Pelaſgorum adventum in Italiam accuratiores chronologi accidiſſe docent circa annum periodi Julianae MMMCLXXXVI., ideſt annis DCCLII. ante primam Olympiadem, quam fuiſſe conſtat annis XXIII. ante Romam conditam, juxta Varronianam ſupputationem. *Habitabant tunc Umbri & alios multos Italiae agros, eratque ea gens cum primis antiqua, & ampla. Igitur initio Pelaſgi occuparunt agros, in quibus primum conſederant, potiti quibuſdam Umbrorum oppidulis; ſed, cum adverſus eos conveniſſet ingens exercitus, territi hoſtium multitudine, contulerunt ſe in regionem Aboriginum* (*a*). Itaque Aboriginibus admixti foedus cum iis ineunt, ac bello Siculos, ſaepe jam proſtratos Aboriginum armis, aggrediuntur, & tandem ex Italia pellunt (*b*). Interim Pelaſgi, cum accepti ab Aboriginibus agri non ſufficerent, bellum Umbris inferunt, & urbem eorum florentem, ac magnam, *Crotonem repentino incurſu capiunt, qua mox pro arce belli* utentes, alia quoque loca multa occuparunt, in quibus oppida erant, partim hoſtibus erepta, partim ab ſe recens condita, Caere, Agylla, Piſa, Saturnia, Alſium, & alia quaedam, quae poſtea Tyrrhenis paruerunt, nec non *Falerium, & Faſcenium a Romanis* poſtmodum *habitata, quae etiam meo tempore*, inquit Dionyſius, *parvas quaſdam ſcintillas ſervant Pelaſgici generis* (*c*). Sed tandem variis caſibus afflicti Pelaſgi Italiae incolae, in minimam gentem primo contracti ſunt, dein omnino extincti, ut narrat idem Dionyſius; a quo item accipimus derelictas ab iis urbes occupatas, cum ab aliis multis, ut quique erant finitimi, tum vero maxime a Tyrrhenis plurimas, ac optimas (*d*). Deficere coeperant Pelaſgorum vires in Italia, aetate altera ante bellum Troianum, ait Dionyſius; eorum autem extremae reliquiae apud *Crotonem Umbriae civitatem memorabilem*, quam diutiſſime perſtiterunt, quae non multo ante ipſius Dionyſii aetatem & cives mutavit, & nomen, Cortona vocata, & facta Romanorum colonia (*e*). Haec de Pelaſgis Italiae colonis tradit Dionyſius Halicarnaſſeus, quae ſi vera ſunt, non video, qui potuerint ad intimas fortiſſimae gentis Umbrorum ſedes penetrare, ibique novam condere civitatem *Ikuvium*, aliaſque fortaſſe plures, cum loca ab iis occupata, & a Dionyſio indicata, plurimum a noſtrorum *Ikuvinorum* finibus diſtent. Quod autem de Pelaſgis, idem de Aboriginibus dictum volo, quos narrat Dionyſius in Italiam appulſos decertaſſe cum Umbris, iiſdemque partem agri ademiſſe, ubi ſuas

(*a*) *Ibid. p.* 15. (*b*) *Ibid. p.* 17. (*c*) *Pag.* 16. (*d*) *Pag.* 20. 21. (*e*) *Ibid. p.* 22.

ſuas ſedes fixerunt. Erat autem Aboriginum metropolis, ut idem Dionyſius narrat, non procul a Reate, in eaque vicinia erant plures eorum civitates Curſula, Iſſa, Vatia, Tiora, Cutilia, praeter Liſtram, quam dixi, quibus enumeratis: *Has*, inquit, *primum ſedes, pulſis inde Umbris, habuiſſe dicuntur Aborigines* (*a*).

IV. Cum ergo, aetatibus multis ante Pelaſgorum adventum, Umbrorum gens magnam Italiae partem obtineret, eamque in primis, quae nunc etiam Umbria appellatur, in qua eſt Eugubium, quo neque Pelaſgi, ſi qua Dionyſio Halicarnaſſeo fides, neque ante Pelaſgos Aborigines, ut eodem auctore intelligimus, umquam penetraſſe videntur, ab ipſa ſui origine, Umbram civitatem fuiſſe Eugubium exiſtimo. Umbrorum porro gentem ullis umquam regibus ſubjectam me legiſſe non memini. Liberam ergo, & initio fuiſſe, & perſeveraſſe judico ad extrema uſque tempora, cum Romanorum imperium pertulit, in populos quidem plures diſcretam, ſed qui tamen communi quadam ſocietate conjuncti eſſent, cujus ſocietatis indicium aliquod habemus in antiqua inſcriptione, C. BETVO. PR. VMBRIAE. XV. POPVLORVM poſita, quam ſupra dedimus. Talem ergo fuiſſe oportet priſcis illis temporibus ſtatum Eugubinae civitatis, qualem fas erat in libera gente, quod ejus quoque nummi, ut ante dictum eſt, antiquo *Ikuvini* populi nomine ſignati, demonſtrare videntur.

V. At Umbros armis victos expulere e ſuis ſedibus Etruſci, ut eſt apud Plinium in tertio naturalis hiſtoriae: *Jungitur his ſexta regio Umbriam complexa, agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Ancona Gallica ora incipit, togatae Galliae cognomine. Siculi, & Liburni plurima ejus tractus tenuere, in primis Palmenſem, & Praetutianum, Hadrianumque agrum. Umbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli. Umbrorum gens antiquiſſima Italiae exiſtimatur, ut quos Ombrios a Graecis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent. CCC. eorum oppida Tuſci debelliaſſe reperiuntur* (*b*). In eamdem ſententiam Livius Tuſcorum, ante Romanum imperium, late terra marique opes patuiſſe narrat, mariſque ſuperi, & inferi nomina, quantum potuerint, argumento eſſe, quod alterum Tuſcum communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum ab Hadria Tuſcorum colonia, vocaverint Italicae gentes (*c*). Non igitur inquies Eugubini ſemper, ante Romanos, liberi, ſuique juris fuerunt, ſed cum ceteris Umbris Etruſcorum jugum tulere. Sed, ut haec omnia Plinio, & Livio conceſ-

[a] *Ibid. pag.* 12. [b] *Plin. H. N. l.* III. *c.* XIV. [c] *Liv. dec.* I. *l.* V. *c.* XIX.

conceſſerim, quid tum inde? Umbrorum gens Italicarum antiquiſſima, & maxime potens, ante aliorum populorum adventum, maximam terrae Italiae partem occupaverat; tenebat enim ipſa quoque ab ſupero mari ad inferum, ab ora Liguſtica Ravennam uſque, & Ciſpadanam regionem, & tractum omnem, qui eſt a Ravenna ad Anconam, indeque mediterranea omnia, quae ſunt inter agrum Gallicum, & Etruriam, & Etruriae ipſius non minimam partem, vel fortaſſe omnem. Potuere igitur Etruſci late imperium propagare, devictis Umbris, plurima eorum oppida capere, &, ſi placet, etiam numero CCC. quot a Plinio dicuntur, quod ſupra fidem non erit, ſi, non de magnis urbibus, ſed de parvis *oppidulis*, ut ab Halicarnaſſeo fuiſſe dicuntur, quae Umbris ipſis antea ſurripuerant Pelaſgi, Plinium, ut aequum eſt, interpretari velimus. Gentem denique latiſſime olim dominantem potuere ad anguſtias redigere: ſed non eſt cur dicamus eam plane deletam, atque ex ea interioris Umbriae parte exturbatam, quae ſemper Umbriae nomen retinuit, ubi nulla Etruſci imperii veſtigia reperimus, nullas Etruſcorum colonias, ſecus ac in aliis locis, quae ante Umbris paruere. Quod ſi, diu etiam poſt Romanae reipublicae exordia, Umbrorum gens eadem illa loca dubio procul tenuit, quae ego Umbriam interiorem dico, ubi Narnia, Hiſpellum, Fulginium, Eugubium, Tifernum, aliaeque notiſſimae civitates Umbrorum fuerunt, atque ex illis ipſis locis arma non ſemel in Romanos Umbri moverunt, & foedera cum vicinis gentibus, maxime cum Etruſcis, veluti cum gente prorſus diverſa, inierunt, ut Romanorum creſcenti in dies potentiae obſiſterent; id argumento eſt antiqui Umbrorum populi reliquias ſatis florentes ibidem ſemper ſubſtitiſſe, nec unquam ex iis ſedibus, quas fortaſſe primi mortalium occupaſſent, fuiſſe divulſos.

VI. Quae ergo gens Eugubinam civitatem principio condidit, eamdem tenuiſſe videtur ad illud uſque tempus, cum Umbri Romanis parere coeperunt, vel potius paulatim ipſi quoque Romani effecti ſunt. Sed Romanis Umbriam invadentibus ea civitas non armis domita, & jure belli proſtrata eſt, ut aliis fere accidere ſolebat, ſed in amicitiam populi Romani recepta, aequiſſimo foedere inter utrumque populum icto, propter benefactum aliquod, opinor, civium Eugubinorum in Romanos, cujus memoria ad noſtram aetatem nulla pervenerit. Suadet id Tullii locus inſignis ex oratione pro Cornelio Balbo, ubi Balbum jure demonſtrat civitate Romana donatum a Cn. Pompejo, licet Gadibus natum foederato ex populo, quod Balbi adverſarii fieri potuiſſe negabant. Sed eos

premit

premit Tullius, cum aliis argumentis, tum C. Marii exemplo, qui plures ex foederatis populis in civitatem Romanam ob praeclara merita adſciviſſet. Ait ergo C. Mario dubium *non fuiſſe, quin nullo foedere a republica bene gerenda impediretur: a ſe ex conjunctiſſima, atque amiciſſima civitate fortiſſimum quemque eſſe delectum: neque Iguvinatium, neque Camertium foedere eſſe exceptum, quo minus eorum civibus a populo Romano praemia virtutis tribuerentur* (*a*). Ita locum hunc vexatiſſimum reſtituit doctiſſimus Cellarius ex optimis codicibus mſſ. (*b*).

VII. Neque eſt cur quis opponat libros pleroſque editos, in quibus non *Iguvinatium*, ſed *Fulginatium* legitur: nam primo mſs. codicum auctoritas, quos Chriſtianus Cellarius conſuluit, editis libris praevalere debet. Deinde, ſi libros etiam editos inſpicimus, quamvis in recentioribus fere ſit *Fulginatium*, in antiquioribus res aliter habet. Horum plerique habent: *neque Ignatium, neque Camertium*. Ita in rariſſima editione operum M. Tullii quatuor magnis voluminibus comprehenſa, quae Mediolani prodiit anno MIID. (*c*). Ita etiam in editione admodum eleganti, & rara, quae Romae prodiit *ex domo Petri de Maximis* anno MCCCCLXXI. (*d*), & in illa rurſum, quae ſine temporis nota Baſileae, & Pariſiis anno MDXXXI. cum eruditis animadverſionibus Franciſci Sylvii Ambiani, in qua ad eum locum ita ſcribit Sylvius: *Si emendata lectio eſt, Ignates populi ſunt cum populo Romano aequiſſimo foedere conjuncti, quemadmodum Camertes. Sed Ignates populos dici nullos quum invenio, vide an malis legere, etiam contra fidem exemplarium* Egnatiorum, *nam Egnatium dici pro Egnatiorum non placet. Eſt autem Egnatia urbs Apuliae*. Ita ſe diſcruciat vir eruditus, & Egnatios ex Apulia accerſit, etiam contra fidem exemplarium, ut ſe quoquo modo expediat. Quanto fidentius Iguvinos in ſuum locum reſtituiſſet, ſi in bonae notae codicem incidiſſet, qui *Iguvinatium* haberet? Multo minus ei viro, ceteriſque, qui ſuperiores Tullii editiones curarunt, laborandum fuiſſet, ſi in mſs. codicibus legiſſent *Fulginatium*, quae vox notiſſima eſt. Sed venit id tandem in mentem cuidam editori, ut male feriatis illis *Ignatibus*, quos in codicibus manu exaratis, quid ſibi vellent, non intelligebat, Fulginates ſubſtitueret, eaque, tamquam ſcitiſſima emendatio, paſſim recepta eſt. At in eximia editione, quae cum adnotationibus Lambini, & Gothofredi anno MDCXXXIV. Genevae lucem aſpexit, eſt quidem *neque Fulginatium, neque Camertium*, errore

[a] *Cic. pro Corn. Balb. c.* 20. [b] *Cellar. Geog. antiq. l.* II. *c.* IX. *ſect.* II. *n.* CCXLV. [c] *Exſtat. in biblioth. Claſſ. Raven.* [d] *Exſtat. ibid.*

Digitized by Google

errore ſcilicet jam ſatis recepto, ſed quem non probarent accuratiſſimi editores, qui ad libri oram adſcriptum voluerunt *Ignatiorum*, quo monerentur lectores vulgatae lectioni fidendum non eſſe. Accidit ergo exemplaribus mſs. Tullianae orationis pro Balbo, quod ejuſdem Tullii epiſtolis ad Atticum, quod commentariis Julii Caeſaris de bello civili, quod Silii, quod Ptolemaei, Strabonis, aliorumque libris, in quibus *Iguvinorum* nomen, librariorum inſcitia, miris modis depravatum fuerat, ut capite primo dictum eſt, quod quidem in Fulginatium nomine accidere non potuiſſet, quod ſemper notiſſimum fuit, nec ullam mutationem ſubiit. Hunc ſcopulum caute vitavit, quiſquis ille fuerit, qui Tullii orationes ſcripſit in codice cartaceo bibliothecae Claſſenſis, in quo ad eum locum, ubi alii codices *Ignatium*, aut tale aliquod monſtroſum verbum habent, lacunam reliquit in hunc modum: *neque .... neque Camertium*; ex quo proculdubio poſſumus intelligere, nec *Fulginatium*, nec ſimile aliquod verbum fuiſſe in eo libro, quem deſcribebat; quid enim facilius, quam Fulginatium nomen elicere, etiamſi minus nitide ſcriptum fuiſſet?

VIII. Sed nihil magis me movet ad Fulginates ex eo Tullii loco expungendos, quam quod idem Tullius in oratione pro L. Vareno Fulginium modo municipium, modo praefecturam nominat. Collegit ſingulari libello Sigonius fragmenta operum M. Tullii, quae perierunt. In his eſt oratio pro L. Vareno, ex qua haec affert: *C. Anchārius Rufus fuit ex municipio Fulginate*. Itemque: *in praefectura Fulginate*. Non ergo Fulginium foederata civitas eſſe poterat, & quidem aequiſſimo foedere, quoniam praefecturae nomine a Tullio dicitur; haec enim duo maxime inter ſe pugnant, ut eadem civitas alieno prorſus imperio regatur, quae erat conditio praefecturarum, & ſuis legibus libera vivat, quod proprium erat civitatum foederatarum, earum maxime, quae aequiori foedere tenebantur (*a*). Conſtat enim foedera Romanorum cum aliis populis alia aliis commodiora fuiſſe, quare apud Livium Menippus Antiochi legatus genera foederum tria diſtinguit: *Unum*, inquit, *cum bello victis darentur leges... alterum, cum bello pares, aequo foedere, in pacem, atque amicitiam venirent... tertium, cum qui hoſtes numquam fuerint, ad amicitiam ſociali foedere inter ſe jungendam coeunt*: atque hos ait *neque dicere, neque accipere leges, id enim victoris, & victi eſſe* (*b*).

IX. Extruſis igitur Fulginatibus ex eo Tullianae orationis loco, &

h

(a) *Sigon. de antiqu. jur. Ital. l. II. c. X. ſeq.* (b) *Liv. dec. IV. l. IV. c. XXXI.*

co, & reſtitutis *Iguvinis*, ex hoc poſtremo genere foedus eorum cum Romanis fuiſſe cenſeo, ſanctiſſimum certe, & aequiſſimum. Si enim minus aequo foedere cum Romanis juncti fuiſſent, perperam eos Tullius cum Camertibus copulaſſet, quorum foedus *ſanctiſſimum, atque aequiſſimum* eſſe, in ea ipſa oratione pro L. Cornelio Balbo paulo ante dixerat (*a*). Et haec quidem fuiſſe videtur Eugubinae politiae forma uſque ad bellum Italicum, cum Umbris, & Etruſcis, propterea quod eo bello minime ſe implicuiſſent, a Romanis civitas eſt data (*b*), antequam coteris Italicis, bello confecto, data ſit. Ex eo tempore Eugubina civitas municipium Romanorum jure optimo dici potuit, atque ita revera dictam fuiſſe conſtat ex eo Caeſaris loco in commentariis de bello civili, quem ſupra dedi. Sunt & ejus rei argumentum magiſtratus municipales Eugubini, quos habemus in antiquis ejus populi inſcriptionibus, ut aediles, IIviri, IIIIviri (*c*), tum II, ſive IIIviri ivr. dic. nec non VIviri auguſtales. Eas dedimus capite ſuperiori. Cum autem in iis iterum ac tertio (*d*) tribus CLVſtumina notata ſit, ſi hinc colligere liceat Eugubinos univerſos, poſt civitatem Romanam ipſis communicatam, in ea tribu cenſos fuiſſe, dicendum erit ante bellum ſociale, cum civitas Italicis data eſt, Eugubinos eo beneficio ornatos a populo Romano; neque enim tribus Cluſtumina numeranda eſt inter illas recentes octo, quae pro novis civibus bello ſociali eſt addita, ſed eſt ex antiquioribus illis, quae multo ante bellum ſociale inſtitutae fuerant. Sed haec incerta omnia. Quocumque igitur tempore Eugubini civitatem Romanam adepti ſint, eos certum eſt, quemadmodum & ceteros Umbriae populos, & Italicos omnes, cum civitate linguam quoque, moreſque, & inſtituta Romanorum paulatim ſuſcepiſſe, ut verbo quidem Umbri, re ipſa Romani deinceps evaſerint, quemadmodum Strabo, eam Italiae oram deſcribens, quae olim magna Graecia dicebatur, de Lucanis narrat, & Bruttiis, & Campanis (*e*).

X. Ita ſe habuit civitas Eugubina, quoad res Romana ſtetit. At occupata a barbaris Italia, eadem fuit ejus fortuna ac reliquarum civitatum, ex quibus nullam fuiſſe cenſeo, quae triſtia multa non tulerit, cum multae inſuper proſtratae, & plane deletae fue-

(a) Is igitur (*C. Marius*) M. Annium Appium civitate donavit, cum Camertium foedus ſanctiſſimum, atque aequiſſimum ſciret eſſe. *Cic. pro L. Corn. Balb. l. cit.* (b) *Sigon. de antiq. jur. Ital. l.* III. *c.* I (c) *Primum ac ſupremum magiſtratum in coloniis, & municipiis fuere* IIviri, *ut norunt omnes. Sed, ut ille honor manaret in plures, numerus alicubi auctus eſt, &* IIIIviri *creati, ut alio loco dixi.* (d) N. a. 14. 29. (e) *Strab. l.* VI. *ſub init.*

Digitized by Google

tae fuerint. Gothis tamen Italiam obtinentibus, praeter caſus, & calamitates toti provinciae communes, gravius quidquam Eugubinis accidiſſe non reperio. Sed Graecis ſubinde Flaminiam, & Picenum annonarium, quae poſtea Exarchatum, & Pentapolim dixerunt, contra Langobardos tuentibus, Eugubini ejus fortunae participes fuere; conſtat enim Eugubium intra provinciae Pentapolis fines comprehenſum (*a*), ſi non geographice, cum trans apeninum, & in Umbria ſitum ſit, ſaltem politice, ut inquit accuratiſſimus auctor diſſertationis in tabulam chorographicam Italiae medii aevi apud Muratorium (*b*). Sed cum eo ventum eſſet, ut deteriore conditione eſſe viderentur qui Graecis in Italia, quam qui Langobardis ſubjecti erant, civitates Exarchatus, & Pentapolis univerſae, excuſſo Graecorum jugo, qui ad cetera malefacta bellum atrox ſacris imaginibus, earumque cultoribus intulerant, Romano Pontifici ſe ſe regendas commiſerunt. Eo ſcilicet jure ſanctiſſimo tunc uſi ſunt populi Exarchatus, & Pentapolis, quod iis a natura tributum erat, ſui tuendi ſervandique contra vim tyrannorum, qui nefarie & crudeliter imperium adminiſtrant. Atque haec ſunt initia temporalis dominii Eccleſiae Romanae in Exarchatum, & Pentapolim, quae Sigonius in annum DCCXXV. incidiſſe narrat. Ex eo tempore Eugubini legitimum dominum habuere nullum praeter Romanum Pontificem, aut ſi quis a Romano Pontifice datus eſſet. Sed tamen non ſemel in Italiae motibus, & rerum converſionibus, quae poſtea fuerunt, alienum ferre imperium oportuit. Novam Romani Pontificis ditionem primus armis invaſit, occupavitque Ayſtulfus rex Langobardorum. Sed Pipinus Francorum rex, eo devicto, Exarchatum, & Pentapolim injuria occupatam Romanae Eccleſiae reſtituit ad annum DCCLIV. Ita Eugubini ad Romanum Pontificem rediere, uti pluribus narrat Anaſtaſius in Stephano III. apud Baronium (*c*). Eadem fuit Caroli Magni pietas, & religio in Romanam Eccleſiam, & Hadrianum Pontificem; domito enim Deſiderio rege Langobardorum Ayſtulfi ſucceſſore, occupatum ab eo Eccleſiae Romanae patrimonium, in eoque & civitatem Eugubinam (*d*),

(a) Item de reliquis civitatibus utrarumque Pentapoleos uſque Eugubium omnes &c. *Hadr. I. ep.* LI. *apud Murator. rer. Ital. ſcript. To.* III. *P.* II. (b) *Differt. in tab. chorogr. ſect.* XVII. *n.* 84. *col.* CLXVIII. *To.* X. (c) *Baron. annal. eccl. ad ann.* DCCLV. (d) Nominatus Deſiderius... qua hora praefatas civitates exarchatus Ravennatium abſtulit, confeſtim direxit multitudinem exercitus, & occupare fecit fines civitatum, ideſt Senogallienſis, Monteferetri, Urbini, Eugubii, & ceterarum civitatum Romanorum, p'ura homicidia, & depraedationes, atque incendia in ipſis finibus perpetrantes. *Anaſtaſ. in vit. Hadrian. I. n.* 303. *edit. Rom. apud Salvion.*

armis vindicavit, & rurſum legitimo ejus domino Hadriano I. reddidit, ingenti additione, non civitatum modo, ſed provinciarum facta, ad ea, quae Pipinus tradiderat, ut ex eodem Anaſtaſio apud Baronium (*a*). Addunt aliqui, ſed ſine idonei auctoris teſtimonio, Carolum M. Eugubium veniſſe, ac multis magniſque beneficiis ſibi devinxiſſe Eugubinos. Ac multum ſane abundantem otio hunc magnum principem ſibi aliqui fingunt, ut huc illucque diſcurſare potuerit minimis de rebus, ut qui putant divertiſſe illum ad Cupram Montanam, eique vetus illud nomen ademiſſe, edicto condito, ut de S. Gineſii nomine ea civitas deinceps appellaretur. Ea de re graviter mihi ſuccenſuit nuper neſcio quis, quod verum Cuprae Montanae ſitum apud oppidum Maſſacienſe in Piceno, plaudentibus eruditis, detexerim, & hanc laudem Sangineſino caſtro patriae ſuae imprudens eripuerim. Sed ad Eugubinos redeo, cujus civitatis poſſeſſionem rurſum Eccleſiae Romanae adjudicavit Otto I., ad quem contra Berengarium Italiae regem perfugerat Romanus Pontifex, tum S. Henricus I., ut ex utriuſque imperatoris diplomatibus, in quibus eſt diſerta mentio Eugubii, apud Baronium (*b*).

XI. Sed ex imperatoribus, qui conſecuti ſunt, non defuerunt qui dominatum Eccleſiae Romanae in hanc, aliaſque civitates, quas optimo jure obtinebat, turbare conati ſint, ex quo numero in primis habendi ſunt Fridericus I., & II., Henricus VI., Otto IV., & Ludovicus Bavarus. Habes infra Friderici I. diploma ſub Bonacto epiſcopo. Ex eo apparet quantum ſibi juris in Eugubinos uſui paſſet Fridericus. Apparet etiam clariſſime qui tunc eſſet civitatis Eugubinae ſtatus, & politia. Scilicet, ut in pleriſque omnibus Italiae oppidis, ſpecies, & forma quaedam reipublicae jamdiu inſtituta vigebat apud Eugubinos, qui ſuos ſibi conſules eligebant, penes quos eſſet imperium civitatis. In aliqua tamen parte principatus adhuc erant epiſcopus, & praecipuarum eccleſiarum praelati, quorum injuſſu conſules vetantur juriſdictionem exercere. Id argumento eſt multo plus olim potuiſſe epiſcopum, alioſque praelatos in regimine civitatis, & fortaſſe penes ipſos aliquamdiu poteſtatem omnem fuiſſe, antequam conſules creari coepiſſent. Differit de his copioſe Muratorius in antiquitatibus Italicis medii aevi, ſed aliquanto citius, quam par eſt, hanc epiſcoporum temporalem poteſtatem in civitatum regimine ceſſaſſe exiſtimat (*c*).

XII. Coe-

(a) *Ad ann.* DCCLXXIV. [b] *Ad an.* CMLXII. & MXIV. (c) *Murat. antiq. Ital med. aev. diſſert.* XLVI.

XII. Coeperat autem Friderici I. temporibus civitas Eugubina, poſt ſuperiorum temporum clades, attollere caput, & priſtinum ſqualorem ponere. Certe non minimam partem ſui territorii liberam, & optimo jure ſibi ſubjectam habebat, in qua continebantur caſtella, & loca in diplomate Fridericiano indicata. Narrat Theobaldus vitae S. Ubaldi ſcriptor, & in cathedra Eugubina ſucceſſor, Ubaldo ipſo eccleſiam Eugubinam moderante, murum civitatis exſtructum. *Quodam die*, inquit, *cum murus civitatis aedificaretur* (*a*). Ex eo conjici poſſe videtur, jam tum Eugubinos novae civitati aedificandae animos adieciſſe, quod opus deinde imperante Henrico VI. ſtudioſius curarunt. Exſtat ejus diploma datum anno MCXCI. quod habebis infra, ubi de Bentivolo epiſcopo. Ex eo conſtat Eugubinos naviter egiſſe, ut ſe ab imperiali jugo eximerent. Sed eos ultro in gratiam recepit callidus princeps, abſolvitque a poena, qua damnati fuerant, propterea quod legatis imperialibus parere recuſaverant, & arces montis Eugubini, quae pro imperatore ſtabant, armis aggreſſi diripuerant. Praeterea montem eis ſupra civitatem conceſſit novae civitati aedificandae, quam Eugubini *informare*, & *reformare* ſuo poſſent arbitrio. Iis denique priſtina jura, & caſtra & poſſeſſiones confirmavit, indicto annuo tributo centum librarum monetae Lucenſis. Et conſulibus quidem juriſdictionem in civitate, & territorio amplam attribuit, nulla epiſcopi, aliorumve praelatorum mentione facta, quod argumento eſt eos jam penitus ab adminiſtratione reipublicae remotos. Pari indulgentia in Eugubinos uſus eſt Otto IV., cujus diploma praecedentibus Friderici, & Henrici non multum diſſimile dabitur infra, ubi de Vilano epiſcopo. Confirmantur ab Ottone privilegia Eugubinis conceſſa a Friderico, & Henrico, & nominatim edicitur, ut *liceat civibus ejuſdem civitatis augere civitatem ipſam, & informare, & reformare eorum arbitrio*. Civitatem ſcilicet, pro populi copia nimis anguſtam condere coeperant Eugubini; propterea pomerium dilatare oportuit, ut creſcenti in dies multitudini tecta ſufficerent. Hanc autem civitatis ampliationem cenſeo factam ad eam partem, quae in ſubjectam planitiem porrigitur.

XIII. Datum eſt Ottonis diploma haud multo poſt initium ſaeculi XIII., anno MCCXI., ac multo etiam magis ejus ſaeculi decurſu res Eugubina aucta eſt, ut etiam potuerint nova caſtella, & oppida condi partim pro antiquis, partim pro novis civibus, qua de re, &

[a] *Vit. S. Ubaldi c. 11. §. 2.*

re & capite ſequenti, & ſubinde in ipſa ſucceſſione epiſcoporum, ſecundum temporum rationem digerenda, nonnulla dicentur. Multa etiam, & praeclara opera ad urbis ornatum, & civium commodum facta, quae nunc magnopere miramur. In his platea ingens in declivi ſolo plana, magnis ſubſtructionibus, qua parte ſoli declivitas eſt, ſuſtentata. Supra hanc publicum palatium aſſurgit, grande aedificium, eaque firmitate & ſoliditate, ut magiſtratus, & civitatis adminiſtratores munitiſſimam arcem, nedum ſatis amplas aedes in eo haberent, ad ſubitum quemvis motum civium, aut ſeditionis periculum (*a*). In ſuperiori palatii aula ſaliens eſt aquae, ex publico ductu per fiſtulam emiſſae. Atque hic quidem aquae ductus miraculo eſſe poteſt nova opera publica noſtrarum civitatum cum antiquis comparanti. Ejus initium eſt in monte Calvo, paſſibus circiter bis mille a civitate. Antiquitus aliud habuit initium, vel potius alius fuit ductus, ex quo, quia in civitatem tantum aquae non influebat, quantum ſat eſſet, propterea novam aquam ex monte Calvo immiti oportuit, quae civium uſui ſufficeret. Id actum eſt ad annum MCCCXXVI (*b*). Atque ea nunc tantum aqua in civitatem pertrahitur, antiquiore illa deperdita, vel neglecta. Ducitur autem ex monte Calvo ad montem S. Ubaldi, ad cujus radices ſita eſt civitas, per murum ſtupendae craſſitiei, qui duos illos montes jungens lacum efficit (*c*), quo Caminianus amnis intercipitur, & continetur. Hinc vero maxime apparet veterum Eugubinorum induſtria, qui civitati aquarum inopia laboranti, arte, manuque hoc etiam modo ſuccurrerunt. Aqua enim eo lacu contenta per emiſſarium, in infima muri parte apertum, & ferrea porta munitum, ubi opus eſt educta, molendo frumento, conficiendis pellibus, panniſque ex lana, quibus texendis Eugubini excelluerunt, lavandis purgandiſque utiliſſima eſt. Patet in longum lacus iſte ad pedes CCC., in latum, qua parte muro clauditur, & latiſſimus eſt, pedes CC. Altitudo, ſive profunditas, eſt pedum LXX. totidemque, quod vix credibile videtur, muri craſſities, qua minima eſt, qua maxima pedum LXXVI. Hic ergo murus id etiam praeſtat, ut dixi, ut ſupra eum perennis aquae rivus ex monte Calvo in montem S. Ubaldi ducatur, ut inde in civitatem influat. Labitur ea aqua per formam monti ipſi S. Ubaldi circumductam, & in vivo ſaxo effoſſam, ita amplam, ut per eam juſtae ſtaturae homo

(a) *De palatio Eugubinorum vide infra Petro Gabriellio Epiſcopo.* (b) *Ex lib. reform. civit. Eugub. ad ann.* MCCCXXVI. [c] *Vulgo* il bottaccione.

homo rectus commode reptare poſſit. Ex ea forma in caſtellum prope vetus palatium ducale aqua rite librata defertur, atque inde per fiſtulas ſalientibus quinque publicis, & privatorum etiam uſibus erogatur. De ea Steuchus Eugubinus in diſſertatione de revocanda in urbem aqua virgine in hunc modum loquitur: *Quae igitur, ut ad lymphas redeam, tam abjecta Italiae urbs eſt (nam ſaepe parva magnis, ut ille inquit, comparantur, quae non etiam difficili tranſitu fontes, ſeu flumina ad ſe deduxerit? Aliae ſaxa inter ardua & ſcopulos, praeruptas aſperaſque rupes iter fontibus aperientes, nullis ſumptibus parcentes, quale Iguvii patriae meae aquaeductum ſuſpiciendo obſtupeſces (a).*

XIV. Haec de publicis operibus Eugubinae civitatis commemoraſſe operae pretium fuit, ut appareret, quantum olim ea civitas floruerit. Sed cum ſaeculo XIII., & deinceps, Italia factionibus, ut cum maxime, plena eſſet, iis non ſemel, varia ſe fortuna, implicuefuere, vix tamen ullam civitatem magis fidam erga legitimum dominum Romanum Pontificem reperies. Quod enim quandoque pro imperatore ſteterit, & a Romano Pontifice defecerit, id factum neceſſitate potius, quam voluntate civium, qui non ſemper illatam vim propulſare, & motus a rebellibus concitatos compeſcere potuerunt. Ad regiminis formam quod attinet, aliquid eo ſaeculo novatum eſt; res enim publica a conſulibus ad praetorem, ſive, ut dicere amarunt, poteſtatem pervenit. Jam tum enim anno MCCIII. Hugolinus Frontini Eugubinorum poteſtas ex publicis monumentis innoteſcit (*b*), cui ſcilicet caſtrum Certaltum ſe ſubmiſit Kal. Febr. ejus anni. Sunt etiam in ſecretiore archivo Eugubinorum literae Honorii III. poteſtati, & populo Eugubino inſcriptae, quibus ſcilicet Eugubinos, aliaſque civitates a Romana eccleſia deficientes ad officium revocat. Datae ſunt Honorii literae anno MCCXXIII (*c*). Non multo poſt quam regendae civitati poteſtas eligi coepit, alium quoque magiſtratum crearunt Eugubini, quem populi capitaneum, ſive rectorem appellarunt. Ejus mentionem primum reperio in foedere, quod Eugubini ſanxerunt cum oppido Roccacontrata ad annum MCCXXXVII., ut ex publicis tabulis a cenſore hiſtoriae Pergulanae vulgatis (*d*). At ſaeculo XIV. multo etiam magis varia fuit civitatis fortuna, nec defuere ex civibus, qui ejus imperium affectarint. In his fuit Joannes Gabriellus, qui repentino incurſu civitatem oppreſſit, eamque ſubditam habuit annis quatuor, ab anno

ſcilicet

(a) *Exſtat to. III. oper. A. Steuchi Eugub.* (b) *Archiv. ſecret. Eugub. faſcic. E. n. I.* [c] *Ibid. faſci. B. n. 4.* [d] *Difeſa della Diſam. delle Mem. Ster. di Pergola p. 102.*

ſcilicet MCCCL. ad MCCCLIV., quo anno cum aliis multis civitatibus Pontificiae ditionis, quas tyranni plures occupaverant, ab Aegidio Albornotio ſedis apoſtolicae legato recuperata eſt. Neque multo poſt Gabriel epiſcopus, ex eadem gente Gabriellia, civitatis dominatum arripuit, eoque, poſt annos aliquot dimiſſo, majores turbas in civitate excitavit, quae tandem, ut ſibi a domeſticis periculis caveret, Antonio Monteferetrano Urbinatium principi ſe tradidit, anno MCCCLXXXIV., ac deinceps, probante Bonifacio IX., aliiſque Pontificibus, Monteferetranis dominis Eugubini paruere, quoad ea familia exſtincta, Urbini ducatus ad Romanam Eccleſiam rediit, anno MDCXXXI.

XV. Sub Monteferetranis principibus fuit apud Eugubinos monetaria officina. Hinc Muratorius Eugubinae civitati locum cum tantum nummos Eugubii ſignatos novit: multo plures ponides, [illegible] mariae gazae omnis generis ditiſſimus, Cl Oliverius, quos hic deſcribere juvat beneficio ejuſdem viri humaniſſimi, uno excepto, qui octavum locum tenet, quem communicavit amiciſſimus Repoſatus.

1. COMES. FEDER. *In ſuperiori parte, loco uſitatae cruciculae, exigua aquila. In area nummi* ICVS.
   In parte averſa. DE. EV. GV. BI. *In area* A. (b) *In ſuperiori parte tres monticuli. Hunc nummum ARgenteum protulit etiam Muratorius.*
2. ✠ FEDERICVS. CO. *Inſignia Feretranae gentis.*
   ✠ EV. GV. BI. VM. *Inſignia civitatis. Hunc etiam nummulum Æreum edidit Muratorius, ſed pro monticulis, quae ſunt inſignia civitatis, florem expreſſit.*
3. G. BALDVS * D * *In ſuperiori parte nummi, loco cruciculae, parva aquila. In area inſignia gentis Feretranae.*
   EV * GV * BI * VM * *Protome S. Ubaldi. Æ.*
4. G. VBALDVS. D. VRB. *Ejus inſignia. Superne parva aquila, ut in praecedentibus.*
   EV. GV. BI. VM. *S. Ubaldus ſtans. Æ.*
5. F. MARIA. DVX. I. *Monticuli civitatis inſignia.*
   S. V. VGVBIO. *S. Ubaldus ſtans. Æ.*
6. F. M. DVX. I. *Monticuli, ut in ſuperiori nummo.*
   S. VBALDVS. VG. *S. Ubaldi protome. Æ.*
7. F. M.

[a] *Antiquit. Ital. med. aevi diſſ.* XXVII. (b) DE EVGVBIA. *In vita S Joannis Laudenſis ab anonymo recentiore ſcripta, Eugubium dicitur* Julia Eugubia. *Exſtat mſs. in archivo Arman. Eugub. De ea dixi in diſſert. praev. ad vitam S. Jo. Laud. ſingulari libro a me editam.*

7. F. M. DVX. *In area crux. Superne parva aquila.*
S. VB. DE. VGVBIO. *S. Ubaldus ſtans. Æ.*

8. FRANC. MARIA II. *Caput ducis pectore tenus. Infra* EVGVBII. *In extremo limbo F. G.*
VRBINI DVX VI. *Inſignia gentis Roboreae. Hunc nummum AVreum poſſidet nobilis vir Horatius Zittellius Eugubinus. Ponderе aequat florenum aureum. Siglis F. G. deſignari creditur Franciſcus Galeottus monetariae officinae praefactus, qui etiam in ſequenti occurrit.*

9. FRANC. MARIA II. VRB. DVX VI. ET C. *Inſignia gentis Roboreae. In parte averſa in quodam lemniſco* GROSSI X. *Hinc inde extra lemniſcum* L. X. F. G. *In inferiori limbo* EVGVBII *AR. Siglae* L. X. *ad monetae exagium ſpectare videntur; ſequiori enim aevo auri, argentique* ligam *barbari ſcriptores dixere, quod nobis vulgo eſt* lega. *Id fortaſſe indicat ſigla* L. *Decuſſis vero inſuper addita rationem ipſius exagii, ſive* ligae.

10. F. M. II. VRB. DVX VI. ET C. *Protome ducis.*
FERETRIA. *Regio, quam quercus ingens adumbrat. In inferiori limbo* EVGVBII. *AR.*

11. FRANC. MARIA II. VRB. DVX VI. *Inſignia gentis Roboreae. In corona* Z GROSSI. *Infra in limbo* EVGVBII. *AR.*

12. F. MARIA DVX. *In area quercus.*
S. VB. D. EVGVBIO. *S. Ubaldus ſtans. Æ.*

XVI. Reguntur nunc Eugubini placidiſſimo Romani Pontificis imperio, in ducatu Urbinati comprehenſi, ac nunc etiam habent officinam monetariam, ſed aereis ſolum nummis cudendis. Suis legibus municipalibus utuntur, quae novo, ut appellant, ſtatuto continentur. Eas amplo commentario explicavit Antonius Conciolus ICtus Cantianenſis. Eſt & vetus ſtatutum, quo olim utebantur, nunc antiquatum (*a*), quod ſcribi coeptum eſt ad VI. Kal. Dec. MCCCXXXVIII., ac poſtea confirmatum XVII. Kal. Maj. MCCCLIV. ab Aegidio cardinali Albornotio, quo agente Eugubium, ante a Joanne Gabriellio occupatum, ad Romanam eccleſiam rediit (*b*) In civitate jus dicunt is, quem locumtenentem appellant, & poteſtas, uterque a praeſide, ſeu legato ducatus Urbini creatus. Sunt & magiſtratus urbani, qui rem civitatis publicam adminiſtrant, partim

(a) *Exſtat in cod. membran. in archiv. ſecret. Eugub.* (b) *Rurſum anno* MCCCLXXXI. VII. *Kal. Sept. ſtatutum Eugubinum confirmatum eſt a Petro card. S. M. trans Tiberim Romanae eccleſiae legato.*

ex patriciis, partim ex plebe, veteri more, atque ex ſuarum legum praeſcripto delecti. Qui primum inter eos dignitatis locum obtinet, vexillifer juſtitiae appellatur. Is eſt ex ordine patriciorum, cui alter additur ex eodem ordine, collega vexilliferi dictus. Sex reliqui ex inferiori ordine ſunt, ſcilicet ex artium cultoribus, & vetus illud conſulum nomen retinent. Atque octo hi magiſtratum gerunt bimeſtri ſpatio. Neque vero eorum exigua poteſtas eſt, nec pauca & vulgaria dignitatis inſignia, & ornamenta: ac multo etiam majora ſunt in extraordinario magiſtratu, qui ex primariis patriciis quotannis creatur in feſto S. Ubaldi, cui faſces demittunt ceteri magiſtratus, ac ſummam poteſtatem in civitate permittunt. Coneſtabilem dicunt. Sed haec hujus loci non eſt pluribus enarrare.

CAPUT IV.

Territorium, oppida, & caſtella Eugubinorum.

I. TErritorii Eugubini qui fines fuerint ab antiquiori tempore, cum Romani rerum potiebantur, ac multo magis ante Romanos, fruſtra aliquis quaereret. Id unum liquet ad Eugubinos pertinuiſſe quidquid inter has civitates jacebat, quarum non una erat diſtantia, Sentinum, Tadinum, Nuceriam, Aſſiſium, Peruſium, Tifernum, & Callium. Poſt autem, cum barbari Italiae ſtatum turbaſſent, Tadino deſtructo, aliiſque civitatibus afflictis, id emolumenti ex communi clade Eugubini conſecuti ſunt, ut ultra antiquos fines eorum pertica percurrerit. Itaque pars agri Tadinatis ipſis attributa videtur, quod & de Sentinati, & Callienſi, & aliarum fortaſſe civitatum accidiſſe cenſeo. Nullibi vero magis prolati ſunt fines agri Eugubini, quam ex ea parte, quae eſt inter Callium, & Sentinum, ultra Pergulam oppidum ab ipſis conditum, & Montem Siccum, alias Montem Siconis, quae loca ultra fines Callienſium, & Sentinatium jacebant, & forte ad Suaſanos pertinebant, antiquam civitatem ad ripam amnis cognominis poſitam (*a*), quo nunc amne oppidum Per-

(a) *Cl. Muratorius antiquit. Ital. medii aevi diſſertatione prima hanc inſcriptionem protulit ab eruditis diſcutiendam:*

TANTI KBEM HK KEPNI AIKBOPIΣ KIPKBITBM TEΞI
ΣBAΣA
ΓPAIKOPBM NATA AABΩPBM
AAAPHKBΣ ƎMΠIBΣ ME ΠEPΔAEPE KΩNANΣ

dum Pergulanum alluitur. Atque initio quidem, dilatatis agri Eugubini finibus, unus ſive praeſes, ſive judex, aut comes juriſdictionem in civitatem, & territorium omne exercebat. Sed ne hic quidem rerum ſtatus diu fuit; hic enim mos in Italia invaluit, ut non ſolum praedia, ut olim apud Romanos, in beneficium privatis tribuerentur, ſed villae, caſtella & oppida, eaque demum juriſdictioni civitatum omnino ſubducta ſunt (*a*). Non dubito etiam quin multa a privatis vi & armis occupata ſint, quorum poſſeſſionem facile tueri potuerunt in illa rerum perturbatione, quae per plura ſaecula in Italia fuit. In hunc modum omnis fere *comitatus*, & *diſtrictus* Eugubinorum, ſic enim territoria civitatum appellabantur, diſcerptus eſt, & civitas miſere admodum extenuata & debilitata. At Greſſolinus chronici Eugubini auctor, cujus fragmenta nonnulla exſtant, magni beneficii loco habet, quod, Carolo M. Eugubium adventante, *nonnullos dominos, & comites de exercitu, & aula regis eadem civitas aquiſiverit, qui multas poſſeſſiones, & caſtra, & oppida poſſederunt, & fuerunt magni, & potentes*. Idem recinit de Ottone I (*b*). Sed haec incerta, vel potius ad veri ſpeciem conficta (*c*). Id vero certiſſimum,

TOT ΑΔΙΑΚΕΝΤΙΒΜ ΟΠΠΙΗΑΩΡΒΜ ΜΑΤΡΕΜ
ΚΡΕΑΒΙΤ
ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ

Mere Latina eſt Graecis literis ſcripta; ſic enim legenda eſt: Tanti quem hic cernis aequoris circuitum texi Suaſa Graecorum nata laborum. Alaricus... ipus me perdere conans tot adjacentium oppidorum matrem creavit. Deo gloria. *Ad eam ita ſcribit Muratorius*: Quando, & cur epigraphe haec marmore inſcripta fuerit, nemo facile decernat. Indicare ipſa videtur arcem in mari prominentem, quam Alaricus Gothorum rex fruſtra expugnandam curavit, & quae procedente tempore ad civitatis honorem evecta, adjacentibus etiam oppidis imperavit (*Diſſert. 1. col. 12.*) *Reperta eſt haec inſcriptio in Dioeceſi Senogallienſi ad divi Laurentii in campo prope Suaſannum fluvium, nunc il Ceſano, ſeptem circiter mill. paſſ. infra oppidum Pergulanum, nec longe admodum ab eo loco, ubi olim fuiſſe Suaſam civitatem conſtat. Plana autem videtur ejus ſententia. Sic enim Suaſa ipſa dicens inducitur*: Oram maritimam, *quam hinc cernis, ex alto nimirum colle, ubi lapis poſitus eſſe debuit, optime tutata ſum, quoad fieri incolumiter poſſet autem, ubi Alaricus me perdere & exſcindere conatus eſt, mater evaſi tot adjacentium oppidorum, quae ex meis cineribus nata ſunt. Corinaldum oppidum in edito colle ſitum, ſe ex Suaſae ruinis emerſiſſe gloriatur. Eamdem originem ſibi olim tribuebant adjacentia quoque oppidula multa in monticulis agri Senogallienſis locata. Id ea epigraphe indicari cenſeo, quam veriſimile eſt poſitam fuiſſe, cum Graeci Pentapolim obtinebant, in qua utique tractus ille continebatur agri Gallici, ſive Umbriae, ubi clara Suaſae veſtigia exſtabant. Hinc etiam diſcimus, quae opinio fuerit de Suaſae origine; neque enim fruſtra* ΓΡΑΙΚΟΡΒΜ ΝΑΤΑ ΛΑΒΩΡΒΜ *dicitur. Eam Ptolemaeus recte in Gallis Senonibus collocat cis apeninum. Plinius vero juxta editiones, quas conſulere potui, in recenſendis Umbriae populis pro* Suſanis *habet* Suarrianos. *Sic enim legitur*: Sarſinates, Spoletini, Suarrani, *quod mendum omnino tollendum, Suaſanis in ſuum locum reſtituti.*

(a) *Vid. Murat. antiq. med. aev. diſſ.* XLVII. *col.* 159. (b) *Ap. Conciol. in deſcript. civit. Eugub. praemiſſa commentar. in ſtatutum Eugubin. p.* 68. (c) *Vid. cap. ultimum hujus diſſertat.*

tiſſimum, Eugubinae civitati, ubi tandem caput erigere, & reflo-reſcere coepit, magnopere laborandum fuiſſe, ut diſtracta territorii ſui membra componeret, & amiſſa recuperaret. Haec prima Eugubinorum cura fuit, poſt inductam in civitate reipublicae formam, ſaeculo, ut opinor, XI. Ex eo tempore comites pagenſes, ceteriquae nobiles viri, qui caſtra, arces, turreſque, & munimenta in ſuis fundis, ac praediis exſtruxerant, vel antiquitus exſtructa occupaverant, in civitatem migrare, & in civium numero haberi coeperunt, facta aequis conditionibus caſtrorum, & arcium deditione. Si qui vero obſtinatius repugnarunt, armis domiti: multorum etiam caſtella, & jura juſto pretio a communi coempta. Ita actum quoque cum epiſcopo, & abbatibus, quibus poſt gravia diſſidia neceſſe fuit dominatu caſtrorum, quae in agro Eugubino poſſidebant, abdicare, eaque communi Eugubinorum concedere, qua de re nonnulla dicentur ſuo loco in chronotaxi epiſcoporum, ac plura etiam in antiquitatum Avellanenſium libro ſecundo.

II. In hunc modum, exemplo aliarum civitatum (*a*), paulatim reſtituta eſt res Eugubina, auctus civium numerus, auctae aerarii vires, ac civitas ut cum maxime florere viſa eſt. Friderico I. imperante non minimam territorii partem Eugubini optimo jure obtinebant, in qua haec loca, & caſtra continebantur, quorum tamen aliqua adhuc ad epiſcopatum, & monaſteria S. Petri, & S. Donati pertinuiſſe videntur, nempe Mons Epiſcopi, alias caſtrum Montis Epiſcopalis, Agnanum, Mons Ranaldi, Mons Lulianus, Monticellius, Sanvictorinum, alias Mons S. Victorini, Mons Fragarius, Turris, Collis Palumbi, Glomiſcium, Mons S. Mariae, Cleſium, Petrorium, Sclizza, ſive Schiggia, Collis Caſalis, quae omnia in Friderici diplomate, capite ſuperiori indicato, recenſentur. Datum eſt Friderici diploma, ut dixi, anno MCLXIII. At in altero Henrici VI. diplomate ad annum MCXCI. dato, praeter ea caſtra, duo inſuper habemus, Caſtilionem Ildebrandi, & Vallem Marculam, quae eo temporis intervallo ab Eugubinis aquiſita videntur. Multo plura deinceps aquiſita ſunt, ſed nondum tamen integer comitatus antiquus in jus Eugubinorum rediiſſe videtur initio ſaeculi XIV. ut patet ex ſententia Deoticherii de Lorano, qui dominium Eugubinorum in caſtra territorii Eugubini in legitimo judicio aſſeruit, ſed tamen excipienda declaravit *caſtra S. Chriſtinae, Colcelli, Carpiani, Febini, Portularum, & omnia alia caſtra*,

(*a*) *Vid. Murat. diſſert. cit. col.* 160. *ſeq.*

caſtra, & villas, quae non ſunt de diſtrictu civitatis praedictae, licet in ejus comitatu ſita reperiantur. Hanc ſententiam vide infra ſub Franciſco epiſcopo. Nonnulla etiam caſtra olim Eugubini obtinuere, quae poſtea amiſerunt, ut Pergula, Mons Siccus, Frontonum, Petra longa, & alia fortaſſe plura. Nunc in territorio Eugubino haec caſtra continentur, quorum elenchum damus ex ſtatuti Eugubini rubrica LXX. appoſita ſingulorum diſtantia a civitate, ut ibidem deſcripta eſt.

Terra Cantiani diſtat a civitate Eugub. milliaribus	10.	C. Galgatae	m. 8.
Caſtrum Coſtacciarii	m. 7.	C. Carpiani	m. 7.
Caſtrum Schiggiae	m. 6.	C. Danae	m. 8.
C. Serrae S. Abundii	m. 16.	C. Camporegii	m. 7.
C. Collis Palumbi	m. 8.	C. Serrae Partutii	m. 10.
C. Branchae	m. 7.	C. Sioli	m. 7.
C. Montis Epiſcopi	m. 9.	C. Montisbrevis	m. 10.
C. S. Benedicti	m. 7.	*Quae ſequuntur ſunt de gubernio D. Locumtenentis.*	
Haec habent proprios officiales.		Caſtrum Vallisfabricae	m. 15.
Caſtrum Turris Calzolariorum	m. 5.	C. Petrorii & Scripti	m. 8.
C. Turris Ulmi	m. 6.	C. Febini	m. 9.
C. Paſſelupi	m. 9.	C. Colcelli	m. 9.
C. Serrae Brunamontis	m. 7.	*Quae ex privilegio ſunt ſubjecta privatis perſonis.*	
C. Careſti	m. 9.	Caſtrum Piſcinae	m. 10.
C. Glomeſſi *al.* Glomiſcii	m. 11.	C. Caſtilioni	m. 7.
C. Colognolae	m. 4.	C. Inſulae Fuſariae	m. 12.
C. Valliſingenii	m. 7.	C. Baccharetchae	m. 7.

III. Haec ex ſtatuto Eugubino, unde etiam apparet alia ex his caſtris lociſque per officiales regi a principe datos, octo nempe priora, quae vero ſequuntur quindecim, corpus plane unum cum civitate efficere, quatuor deinde a vicario principis, ſeu locumtenente gubernari, quatuor reliqua privatis nobilibus ſubjecta eſſe. Atque ita ſe res habebant cum ſtatutum Eugubinum conditum eſt. Nunc caſtrum Inſulae Fuſariae, extincta familia, quae in eo dominabatur, pleno jure ad ducatum Urbini pertinet, ibique jus dicit is, qui caſtro Serrae S. Abundii praeeſt. Fuit etiam intra Eugubinorum fines caſtrum Luceolanum, de quo, nunc plane diruto, aliqua dicam ubi de Leontio pſeudepiſcopo. Neque mihi dubium eſt, quin plurima ſint in territorio Eugubino digniſſima quae hic memorentur, & deſcribantur, uti ingens tractus viae Flaminiae, in quo mul-

quo multa adhuc Romanae magnificentiae veſtigia apparent: plurima quoque ad hiſtoriam naturalem pertinentia, praeſertim in montibus, qui maximam territorii Eugubini partem occupant, quorum longe altiſſimus, & maximus eſt Catria, vicino S. Crucis fontis Avellanae monaſterio nobilitatus, naturae inveſtigatoribus non inutiliter adeundus. Sed haec longius perſequi inſtituta brevitas non patitur.

CAPUT V.

Eccleſiae Eugubinae antiquitas inſignis. Status ejus floridus ſub S. Innocentio I. Cathedralis aedes, ejuſque canonici.

I. *Manifeſtum* eſt, inquit S. Innocentius I. in celebri epiſtola ad Decentium epiſcopum Eugubinum, *in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulasque interjacentes, nullum inſtituiſſe eccleſiam, niſi eos, quos venerabilis apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerunt ſacerdotes.* Talem dubio procul eſſe oportuit originem eccleſiae Eugubinae, ſed quandonam fundata ſit, in obſcuro latet. Multorum conjecturam eſſe ait Ughellus, Eugubium Chriſtiana ſacra cum aliis Umbriae nobilioribus civitatibus ſuſcepiſſe, pertuliſſeque graviſſimas tyrannorum perſecutiones, quoad eccleſiae pax data eſt per M. Conſtantinum: tunc proprium ei paſtorem a S. Silveſtro P. M. attributum. Hinc primum in epiſcoporum hujus eccleſiae elenchis Leontium ponit Ughellus, ad annum CCCXXIV. ordinatum a S. Silveſtro. Sed Leontius iſte nullo antiquitatis ſuffragio commendatus, temere irrepſiſſe videtur in album antiſtitum Eugubinorum. Neque ex catalogis eorum antiſtitum, qui circumferuntur, ſive editis, ſive mſs., lux ulla affulgere poteſt ad principia hujus eccleſiae detegenda; ſunt enim recentiores, quam ut in re tam antiqua fidem facere poſſint. In Julii Lazarelli elencho, de quo auctore dicam capite ultimo hujus diſſertationis, prima chriſtianae religionis fundamenta apud Eugubinos jeciſſe dicuntur SS. Secundinus, & Agapitus, alii Agapium vocant, primique Eugubinum epiſcopatum geſſiſſe, a S. Dionyſio R. P. circa annum CCLX. ordinati. Sed haec etiam inepte conficta ſunt, & multis inanibus commentis involuta, quae nullam verae hiſtoriae ſpeciem retinent. De his infra dicendum initio chronotaxis

taxis epiſcoporum, cui haec praeloquimur. Neque etiam initia eccleſiae Eugubinae petenda ſunt ab ſanctis illis duodecim ſociis Anaſtaſio, Eutitio, Briſtio, aliiſque, qui ab apoſtolorum principe in Umbriam miſſi dicuntur; eorum enim commentitium apoſtolatum diſpunxerunt ſolidis rationibus PP. Bollandiani ſingulari diſſertatione hac de re edita (*a*).

II. Sed, ut cetera incerta ſint, illud vero maxime certum videtur, inſignem eſſe eccleſiae Eugubinae antiquitatem, ac multo fortaſſe majorem, quam vulgo perſuaſum erat iis, qui catalogos epiſcoporum ejus eccleſiae conſarcinaverunt. Non video enim cur, ſi non Petrus ipſe, ſaltem aliquis ex primis ejus ſucceſſoribus, epiſcopum huic civitati deſtinare non debuerit, quae & propter opportunitatem loci, & propter celebritatem, & populi frequentiam, eo honore digniſſima erat. Cum autem non longe admodum ab urbe Roma diſtaret, ubi apoſtolorum principes arcem religionis conſtituerant, credibile non eſt admodum cito Chriſtianam religionem apud Eugubinos propagatam non fuiſſe. Anno circiter centeſimo quarto aerae vulgaris in Bithynia is erat credentium numerus, ut, ſi ſuppliciis tollendi fuiſſent, toti provinciae ingentem cladem afferri oportuiſſet. *Viſa eſt mihi*, inquit Plinius junior ad Trajanum, *res digna conſultatione propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis omnis ordinis, utriuſque ſexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates tantum, ſed vicos etiam & agros ſuperſtitionis hujus contagio pervagata eſt.... Prope jam deſolata templa, & ſacra ſolemnia diu intermiſſa* (*b*). Similia per idem tempus de Chriſtianis primae Palaeſtinae narrat Tiberianus, qui ei provinciae ſub Trajano praefuit (*c*), ex quo conjecturam facere de ceteris provinciis licet.

III. Mira ſunt, quae tradit Tertullianus de aucto aetate ſua fidelium numero; ſic enim falſe carpit adverſarios noſtros: *Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, forum: ſola vobis reliquimus templa* (*d*). Haec ſi in Africa Tertullianus dicere potuit, ineunte ſaeculo III., licet Chriſtianum nomen aliquanto ſerius eo invectum ſit, nec ullus apoſtolorum divinam ſementem ibi fecerit, (*e*) quid in Umbria, ideſt in ipſo Italiae meditullio, in tanta urbis Romae vicinia? Quod ſi tam cito auctus ubique fidelium numerus

(a) *Ad Tom.* I. *Junii.* (b) *Plin. l.* X. *epiſt.* 97. (c) *Vid. ejus epiſt. ap. Suidam v.* Trajanus. (d) *Tertul. apolog. c.* XXXVII. (e) *Mamach. orig. & antiq. Chriſt. Tom.* II. *l.* II. *c.* XXV. *p.* 311.

merus, quid ni & fundatae eccleſiae, & inſtituti epiſcopi, qui novam Chriſti ſobolem exciperent, curarentque? Et vero plures ubique epiſcopatus erecti jam inde ab ſaeculo II., ut de Italia maxime liquet ex libro pontificali Eccleſiae Romanae, qui, quod ab Anaſtaſio bibliothecario plurimum auctus ſit, de ejus nomine dici ſolet; in eo enim vix ullus eſt ex Romanis Pontificibus ejus aevi, cui non plures ordinati epiſcopi adſcribantur. At vero, ſaeculo III. ineunte, quantus in Africa epiſcoporum numerus? Non minus quam LXX. cum Agrippino Carthaginenſi convenerunt ſub ejus ſaeculi initium. At circa medium illud ſaeculum ſcribit ad Cornelium Romanum Pontificem Cyprianus, *Privatum veterem haereticum* in Lambeſitana colonia *ante multos fere annos*, ob multa, & gravia delicta nonaginta epiſcoporum ſententia condemnatum (*a*). Contra Novatianum vero idem Cornelius anno CCLI. ſynodum coegit ſexaginta epiſcoporum, ex vicinis utique provinciis. Ac mirum ſane tot potuiſſe in ipſa Urbe Roma epiſcopos convenire, eo tempore, cum *tyrannus infeſtus ſacerdotibus Dei*, nempe Decius auguſtus religioni noſtrae tunc maxime infenſus, *fanda atque infanda comminaretur* (*b*). Quis ergo dubitet multo plures epiſcopos Italicarum provinciarum domi relictos, ut in tanto periculo eccleſias ſibi creditas tuerentur? Neque illud praetereundum, quod de Novatiani ordinatione narrat idem Cornelius ad Fabium Anthiochenum ſcribens: *Duos*, inquit, *ſibi ſocios deploratae ſalutis delegit, quos in exiguam, atque viliſſimam Italiae partem deſtinaret, ut inde accitos epiſcopos tres, homines plane rudes, ac ſimplices, fraudulenta quadam molitione deciperet, affirmans atque conſtanter aſſeverans, ipſos quam primum Romam proficiſci oportere, ut omnis undecumque orta diſcordia ipſorum, cum aliis epiſcopis, interventu, ſedaretur. Qui cum adveniſſent, homines, ut diximus, ſimplicioris ingenii.... temulentos, & crapula oppreſſos, imaginaria quadam manuum impoſitione epiſcopatum ſibi tradere per vim coegit* (*c*).

III. Dum ergo remotiores etiam, & ignobiliores Italiae receſſus cathedras epiſcopales habebant, quis dubitet jamdiu in nobilioribus quibuſque civitatibus fuiſſe erectas, atque in iis maxime, quae non in viliſſima Italiae parte, ſed in ſplendidiſſima provincia inter primas, ac praecipuas numerabantur? Talem fuiſſe civitatem Eugubinam manifeſtum eſt, in qua tanto citius naſcenti Chriſtiano gregi Epiſcopus delegandus videbatur, quanto majore ſucceſſu ethnica ſuper-

(a) *S. Cyprian. ep.* VII. *ad Cornel. Tom.* I. *Concil. Lab. col.* 714. (b) *Epiſt. ad Antonian.* (c) *S. Cornel. ep.* IX. *ad Fab. Anthioch. ex edit P. Conſtant n.* 2. *col.* 147.

ca ſuperſtitio viguerat, maxime ob celebre illud templum Jovis apenini, non Eugubinis ſolum, ut opinor, ſed pleriſque Umbriae populis commune. Nemo igitur mihi jure ſuccenſere debet, quod ex catalogis antiſtitum Eugubinorum tum Ss. Secundinum, & Agapium, qui poſt medium ſaeculum III., tum Leontium, qui poſt initium ſaeculi IV., & aliquot alios, qui ſubinde in cathedra Eugubina ſediſſe dicuntur, eximendos cenſeam; nihil enim propterea detractum volo hujus eccleſiae dignitati, quam multo etiam antiquiorem exiſtimo, quam iis viſum eſt, qui ejus originem repetunt, vel a S. Silveſtro Pontifice, qui Leontium, vel a S. Dionyſio, qui Secundinum, & Agapium primos ordinarit Eugubinorum epiſcopos.

IV. Tempore S. Innocentii I. florebat eccleſia Eugubina ſub Decentio epiſcopo, ad quem eſt celeberrima epiſtola decretalis ejuſdem Innocentii, qua nullum habemus monumentum illuſtrius ad agnoſcendam eorum temporum diſciplinam. Ab eo Decentius, quamquam optime cognoſceret *quem morem, vel in conſecrandis myſteriis, vel in ceteris arcanis*, hoc eſt ſacramentis, *agendis Romana eccleſia teneret*, quippe qui Romam ſaepius adire, & cum Pontifice ad ſacra obeunda convenire ſolebat, multa per literas petierat, quibus ſapientiſſimus Pontifex ſe reſpondere profitetur, non quod aliqua ignorari ab eo exiſtimet, *ſed, ut majore*, inquit, *auctoritate, vel tuos inſtituas, vel ſi qui a Romanae eccleſiae inſtitutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, ut ſcire valeamus, qui ſunt qui, aut novitates inducunt, aut alterius eccleſiae, quam Romanae, exiſtimant conſuetudinem eſſe ſervandam*. Edita eſt a P. Conſtant, Labbe, aliiſque.

V. Ex multis autem, de quibus Innocentium conſuluit Decentius illud eſt, quod ad rem noſtram maxime facit, num dominico die *fermentum* mittendum eſſet ad eccleſias parochiales extra civitatem, quemadmodum ſolebat Romanus Pontifex illud mittere ad titulos, ſive parochiales eccleſias, quae in ipſa urbe Roma erant. Reſpondet Innocentius exemplum fruſtra peti ab eccleſia Romana, quae paroeciis, ideſt titulis ruralibus per illud tempus carebat. *Fermentum* hic interpretantur ſacram euchariſtiam, quam ſolus conſecrabat epiſcopus, & iis presbyteris mittebat, qui adeſſe ſacrificio non poterant, nec cum presbyteris aliis, fidelique populo adſtante communicare (*a*). *De fermento*, inquit, *quod die dominica per titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, cum omnes eccleſiae noſtrae ſint intra urbem conſtitutae: quarum presbyteri, quia die ipſo, propter plebem ſibi*

(a) *Tomaſſin. vet. & nov. diſciplin. P. I. lib. II. c. XXI. n. VI.*

bem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcirco fermentum per acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione, maxime illa die, non judicent ſeparatos. Negat autem per parochias, ideſt rurales eccleſias, id fieri licere, quod minime deceat ſacram euchariſtiam longius aſportare: *Quod per parochias*, inquit, *fieri debere non puto, quia non longe portanda ſunt ſacramenta.* Qua propter concludit parochis ſuburbanis permittendum eſſe, ut ipſi ſacramentum euchariſticum conficiant, ad eum modum, quo id presbyteris in coemeteriis Romanis degentibus licebat. Hinc apparet aetate Innocentii I. habuiſſe epiſcopum Eugubinum paroecias extra urbem, & in agris aliquas, cum Romae omnes adhuc in urbe eſſent, extra urbem nullae. Neque vero ulla eſt ex Italicis eccleſiis, quod ſciam, cujus paroeciae rurales tantam antiquitatem oſtendere poſſint. Agit de origine eccleſiarum parochialium Ludovicus Thomaſſinus, eaſque ſaeculo IV. adhuc recentiſſimas in ipſa urbe Roma fuiſſe putat, quippe quae in agris nec dum eſſent ullae. Prioribus autem ſaeculis facilius Chriſtianos in Italia, & Oriente exiſtimat potuiſſe paroeciis ruralibus carere, quia in minoribus quibuſque urbibus inſtituti eſſent epiſcopi (*a*).

VI. Eſt eccleſia princeps Eugubinorum *Ss.* martyribus Mariano, & Jacobo dicata, quorum corpora, vel certe inſignis corporum pars, ibidem ſub ara maxima condita eſt. Martyrium conſummarunt beati Martyres in Africa ſaeculo Chriſti III., at plane obſcurum eſt quandonam eorum ſacra lipſana in Italiam advecta ſint, & apud Eugubium depoſita. In actis concilii Romani ad annum MXLVI. ſubſcriptus legitur *Theudaldus S. Mariani* epiſcopus. Ita olim appellari amabant epiſcopi Eugubini, ex nomine praecipui patroni ſuae civitatis, more per illud tempus paſſim recepto, de quo videndus Muratorius in antiquitatibus Italicis (*b*). Similiter in antiquis tabulis eccleſiae Eugubinae ſaepius occurrit *epiſcopatus S. Mariani*, pro epiſcopatu Eugubino, *prior eccleſiae S. Mariani*, pro priore eccleſiae cathedralis ejus civitatis. Narrat Vincentius Armannus ſedem epiſcopalem olim fuiſſe ad divi Nicolai (*c*), cujus rei fides apud ipſum ſit. Alii fuiſſe putant ad divi Joannis Baptiſtae, quae eſt eccleſia parochialis plebis nomine dicta, & fonte baptiſmali inſignis, quo ceterae eccleſiae parochiales in urbe carent. Narrat Theobaldus in vita S. Ubaldi, hujus ſanctiſſimi viri tempore, tale Eugubii incendium excitatum eſſe, ut maxima civitatis pars cum eccleſia

(a) *Thomaſſ. l. cit. n.* XI. (b) *Murat. antiquit. Ital. med. aevi diſſert.* LVIII. *col.* 6. (c) *Arman. epiſt. ad Carol. Cartar. To.* I. *p.* 678.

ecclesia cathedrali, & canonicorum aedibus absumpta sit. Erant, opinor, pleraque aedificia per illud tempus lignea, ut in aliis fere Italiae civitatibus (*a*). Sed S. Ubaldus & templum, & aedes adjacentes reficienda curavit: *Atque ita*, inquit Theobaldus, *in brevi tempore divinitus adjutus, non solum omne damnum ecclesiae combustae restituit; sed etiam in praediis, & possessionibus, ceterisque humanae vitae necessariis eam in tantum augmentavit, ut incendium illud non detrimentum intulisse, sed emolumentum potius & religionis, & substantiae probatum sit praestitisse* (*b*). Sed ea, quae nunc exstat cathedralis ecclesia, exeunte saeculo XIII. constructa fuisse videtur, quo nimirum tempore novam civitatem Eugubinos aedificasse novimus. In eam permittente Clemente III. sanctorum reliquiae, ex antiqua civitate illatae sunt, ut ex ejus literis in Laterano datis XIII. Kal. Nov. anno I., idest anno MCLXXXVIII. Eas vidit, atque Italice descripsit in suo codice, quem supra laudavi, Franciscus M. Armannus (*c*). Sed mihi neque earum autographum videre, nec apographum saltem nanciscī licuit. De iis rursum ubi de Bentivolo

(a) *In charta Theobaldi abbatis monasterii S. Liberatoris in comitatu Teatino ad an.* MXIX. *scripta haec lego*: Trigesimo primo anno adventus mei ad eumdem venerabilem locum.... regiminis curam Deo adjuvante, susceпi. Ubi inveni parvam admodum ecclesiam, adque omnino obscuram: aedificia vero alia omnia lignia, atque vetusta. Ubi cum paucis diebus moratus essem, inspirante Deo, atque juvante, cum fratrum adjutorio, quos hic inveneram, & quos ego ipse susceperam, omnia aedificia monasterii ex lapidibus, adque cementis a fundamento construxi, sicut in presens cernitur. (*Apud Murator. antiquit. Italic. To. sv. dissert.* LVI *col.* 767.) *Similia lege in charta fundationis monasterii nostri Pisani ad S. Michaëlis, quam edidit Cl. Grandius in appendice ad epistolam de Pandectis* [*p.* 131.] *& rursum Muratorius in antiquitatibus Italicis medii aevi* [*dissert. cit. col.* 790.] *Sic enim loquitur B. Bonus ejus monasterii Fundator*: Quando veni in ipsam domum, non inveni nisi unam parvam domum; & postquam cepi commorari cum meis monachis, feci levare mansiones ibidem novas, & post decem annos disrumpebantur ipse mansiones quas feci, quoniam erant de ligno de mala generatione, hoc est de cerro. Et dejeci ipse mansiones a fundamentis, & edificavi alias mansiones de castanietis, quas venire feci per mare de Luni... Et post hec edificavi ipsam domum a petra & calcina. *Scripta haec sunt circa annum* MXLVIII. *In histor. Faventina magistri Tolosani, quam mss. nactus edere cogito, cum per otium licebit, ad annum* MCLV. incendium narrarut, quo tota civitas combusta est cum ecclesia matrice, quae tunc cooperta erat canna palustri. Ad annum vero MCLXI. aliud incendium narratur, *quo fere tota civitas combusta est, sed non ecclesia major, quae* jam cooperta erat tegulis. Ad hoc enim, *inquit Tosanus*, ut Faventini pestem ignis possent vitare, conductis aliunde magistris, tegulas, & cuppos ad cooperiendum domos facere illo tempore coeperunt, & sic Deo dante plaga cessavit praedicta. *Huc facit inscriptio, quam observavi in latercule turris lateritiae ad S. Petri in vinculis in agro Ravennati*: ISTE PETRE VENERVNT DE PARTIBVS FAVENTIE A S. LVSA NOMINE, *idest ex loco, cui de S. Lucia nomen inditum: hodie* S. Lusa. (b) *Vit. S. Ubald. c.* 1. *n.* 11. (c) *Exstat. in Arch. Arman. designat.* D. *p.* 111.

tivolo episcopo, cui sunt inscriptae. Jacent autem in ea ecclesia praeter Ss. Mariani, & Jacobi sacras exuvias, corpora S. Joannis Laudensis, & B. Vilani episcoporum, tum B. Fortis Eremitae, integra atque incorrupta, aliaeque insignes reliquiae, atque in primis S. Joannis Baptistae digitus, antiqua theca inclusus.

VII. Apud ecclesiam cathedralem jam inde a saeculo XI. fuere canonici regulares, ac fortasse etiam ante illud tempus, sed monumenta, & tabulae ecclesiae Eugubinae ad majorem antiquitatem non assurgunt. Exstat decretum concilii Ticinensis ad annum DCCCXVIII. coram Carolo Calvo celebrati, quo praescribitur, *ut episcopi in civitatibus suis proximum ecclesiae claustrum instituant, in quo ipsi cum clero secundum canonicam regulam Deo militent* (*a*). Idem paucos post annos synodi Romanae PP. sanxerunt, hoc canone edito: *Necessaria res existit, ut juxta ecclesiam claustra constituantur, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis vacent. Itaque omnibus unum sit refectorium, & dormitorium* (*b*). Refloruit magnopere saeculo Christi undecimo, & sequentibus commendatissimum illud institutum clericorum in communi vitam agentium, a S. Romualdo abbate primum (*c*), tum a Ss. Petro Damiani, Leone IX. Alexandro II. Gregorio VII., aliisque reparatum. Neque solum apud ecclesias cathedrales, sed apud alias etiam, imo & apud ecclesias suburbanas erecta sunt ejusmodi canonicorum regularium collegia (*d*). Tale fuit Eugubii ad divi Secundi, quod ad hanc diem, post varias licet vicissitudines perseverat, de quo non semel postea dicendum erit. Tale & illud S. Joannis Vitisgrossae, cujus mentio est in rescripto quodam Offredi episcopi, quod infra producam, ubi de hoc episcopo sermo erit. Cum S. Petrus Damiani commendatam habuerit a Ro: Pontificibus ecclesiam Eugubinam, qua de re suo loco dicendum est, non dubito, quin, ut in aliis ecclesiis, quae minus ad eum pertinebant, ita in illa communem vitam clericorum, & ecclesiasticae disciplinae studium promovere, & pro viribus tueri sategerit. Par studium fuisse non dubito in S. Joanne Laudensi. Sed non admodum diu episcopatum gessit. Eo tamen brevi tempore fundamenta jecisse dicendus est novae reformationis, per S. Ubaldum postea inductae. Is adhuc infans *traditus est nutriendus sub disciplina ecclesiastici ordinis, & oblatus est priori ecclesiae Ss. Mariani, & Jacobi*,

[a] *Apud Murator. To.* II. *rer. Italic. script. P.* II. *p.* 153. [b] *Concil. Rom. ad an.* DCCCXVI. *cap.* VII. *ap. Labbeum To.* VIII. [c] *S. Petr. Damian. in vit. S. Romualdi abb. c.* XXXV. *Christ. Lup. Synod. gener. & provinc. To.* VI. *p.* 36. *edit. Venet.* [d] *Murator. antiquit. Italic. med. aevi differt.* LXII

cobi, priori ſcilicet canonicorum eccleſiae cathedralis Eugubinae. Ita Theobaldus vitae S. Ubaldi ſcriptor ſynchronus (*a*), ex quo diſcimus canonicis regularibus morem fuiſſe recipiendi adoleſcentulos eccleſiae oblatos, quos in eccleſiaſtico ordine, ideſt canonicali diſciplina inſtituerent, ut apud monachos fieri ſolebat. Sed Ubaldus, cum grandior factus, incompoſitos canonicorum ejus eccleſiae mores obſervaſſet, ad divi Secundi ſe contulit, ubi opportunius pietati ſuae domicilium nactus eſt. At S. Joannes Laudenſis, ut optimum adoleſcentem quaſi in ſuo ſinu aleret, ad eccleſiam cathedralem revocavit, futurum non multo poſt canonicae diſciplinae in ea eccleſia reſtauratorem, ac denique epiſcopum clariſſimum: *Cum autem Dei famulus*, inquit de Ubaldo Theobaldus, *adoleſcentiae annos ſeniliter tranſegiſſet... in praedicta eccleſia Ss. Mm. Mariani, & Jacobi prior efficitur*. Pergit Theobaldus deſcribere quo prolapſa eſſet vetus loci diſciplina, quam ut reſtitueret, tres primum ex iis clericis ſibi adjunxit, *quos benignis ſuaſionibus ſervando ordini ſecum arctius copulavit*, ceteris ſcilicet recuſantibus jugo regularis obſervantiae collum ſubdere: *Poſtmodum vero*, inquit Theobaldus, *ad eccleſiam B. Mariae in Portu perrexit, ubi ſatis honeſte apoſtolicae ſervabatur regula inſtitutionis, & ſplendor in omnibus fulgebat totius ſanctitatis*. Auctor ejus inſtituti B. Petrus peccator, qui apud S. Mariae in Portu apud Ravennam canonicorum regularium familiam inſtituit, datis legibus, quas Paſchalis II. approbavit, confirmavitque (*b*). Cum ibi Ubaldus tres menſes egiſſet ſub diſciplina eorum fratrum, regulam, quam ipſe didicerat, ad ſuos canonicos Eugubinos ſcriptam detulit: *factumque eſt*, inquit Theobaldus, *ut ex illo jam tempore cuncti regulariter viverent, & canonicum ordinem omnes devote cuſtodirent*.

VIII. Aliam reformationem canonicorum eccleſiae Eugubinae inſtituit, ex apoſtolica auctoritate, Philippus epiſcopus Firmanus, annuente in primis Benvenuto epiſcopo Eugubino, quem Nicolaus III. ei eccleſiae epiſcopum dederat, cum canonici hoſtili rabie inter ſe decertarent in eligendo epiſcopo. Haec porro diſſidia in deterrimum locum adduxerant ejus collegii diſciplinam, famamque non leviter obſcuraverant: quibus malis, ut remedium afferret Firmanus antiſtes novum collegii moderatorem inſtituit, ac praepoſitum elegit Lambertum de S. Frigdiano canonicum S. Mariae novae de urbe; florebat enim

(a) *Vit. S. Ubald. c. 1. n. 1.* (b) *Regulam canonicorum Portuenſium edidit ex codice mſs. Conſtantinus Cajetan. To. IV. oper. S. Petri Dam.*

bat enim ad divi Frigdiani apud Lucenſes inſtitutum canonicorum regularium, quorum opera uſus eſt etiam Paſchalis II. ad ſuos Lateranenſes reformandos. Multos etiam canonicos exauctoravit, & e collegio expulit, ſede vacante intruſos: bona omnia in commune conferri voluit: canonicos in plebibus ſuburbanis degentes revocavit: congruam penſionem Octaviano canonico ad quatuor annos conſtituit, cupienti diſciplinis ſcholaſticis operam impendere. Haec ex ipſius Philippi ſanctione, literis apoſtolicis confirmata, apud Ughellum.

IX. Armannus ſatis verborum impendit in iis refellendis, qui S. Ubaldum canonicis regularibus Lateranenſibus adſcribunt, quaſi vero inſtitutum illud, quod canonicorum eccleſiae Lateranenſis proprium fuit, jam inde ab Ubaldi aetate in eccleſia Eugubina floruerit (*a*), cum potius ad normam canonicorum Portuenſium ſuos canonicos Ubaldus inſtituerit, ut ante dictum eſt. In ea porro regula Portuenſi nec S. Auguſtinus ejus inſtituti auctor dicitur, nec qui eam profitentur, ullo modo Auguſtinienſe inſtitutum ſequi ſe gloriantur. Itaque Portuenſes non magis S. Auguſtini, quam alterius cujuſcumque ex Ss. PP. ex quorum ſententiis eorum regula concinnata eſt, ſectatores dicendi videntur. Sed tamen labente ſaeculo XII. canonici eccleſiae Eugubinae, maxime qui ad divi Secundi erant, ex ordine S. Auguſtini appellari coeperunt, ut ex quibuſdam diplomatibus conſtat, quae infra, in chronotaxi epiſcoporum adornanda, afferentur. Liberi tamen, ac ſui juris, nullique congregationi adſcripti ſaeculo adhuc XIII. fuerunt, ut pluribus demonſtrat Armannus (*b*), & colligi etiam poteſt ex actis a Philippo Firmano in eorumdem canonicorum reformatione. Poſtea tamen ſocietatem iniere cum aliis canonicis regularibus Italicarum eccleſiarum, ex quibus inſigne corpus coaluit, atque anno MCCCXLIV. ſub Maii initium comitia ordinis in ipſa cathedrali eccleſia Eugubina celebrarunt, in quibus decretum eſt, ut *prior S. Frigdiani* apud Lucenſes, *viſitare deberet omnes eccleſias, monaſteria, & loca conventualia exiſtentia in civitatibus, & epiſcopatibus civitatis Caſtelli, Eugubii, Urbiſveteris, Viterbii, & Romae. Domnus vero Jacobus prior cathedralis Eugubinae viſitare deberet omnes eccleſias monaſteria, & loca conventualia Peruſii, Cluſii, & Florentiae.* Haec ex actis horum comitiorum apud Pennottum (*c*). Perſeverarunt canonici regulares in eccleſia cathedrali Eugubina uſque ad Leonis X. tempora, cujus auctoritate regulare inſtitutum dimiſerunt, & ſaeculares ſunt facti, qua de re ſuo loco dicendum erit.

X. Quam

(a) *Arman. epiſt. To. III. p. 459.* (b) *Ibid. p. 464. 465.* (c) *Pennot. hiſt. canonic. regul. l. II. c. 44.*

Digitized by Google

X. Quam amplum eſſet patrimonium eccleſiae Eugubinae intelligi utcumque poteſt ex pluribus diplomatibus Ro. Pontificum, quibus bona, ac jura tum epiſcopatus Eugubini, tum eccleſiae cathedralis enumerantur, & apoſtolica auctoritate confirmantur apud Ughellum. Sed plura tamen locorum nomina ibi mendoſiſſime exſcripta ſunt. Primum eſt Innocentii II. ad Benedictum praepoſitum Ss. Mariani & Jacobi, ejuſque fratres, quo iis poſſeſſionem plebis S. Joannis in civitate Eugubina, aliarumque eccleſiarum confirmat. Alterum eſt Coeleſtini II. eidem Benedicto praepoſito inſcriptum. Hoc datum eſt anno MCXLIII., illud anno MCXXXVII., ſed ejus notae chronicae apud Ughellum perperam deſcriptae ſunt. Tertium eſt Alexandri III. eidem Benedicto praepoſito datum anno MCLXX., quo Innocentii, & Coeleſtini diplomata confirmantur. Ex eo apparet non parum auctas eſſe per id tempus opes canonicorum eccleſiae Eugubinae, nam multo plures eccleſiae in eo recenſentur, quam in ſuperioribus. Deinde haec totidem verbis: *Partem, quam habetis in caſtro Caſtellionis, & in eccleſia ejuſdem caſtri, partem caſtri Careſtelli, & in eccleſia ejuſdem caſtri, eccleſiam podii Glodiani, & tertiam partem ejuſdem podii, caſtrum montis Juliani* (legendum *Luliani* ex diplomatibus ſupra allatis Friderici I. & Henrici VI.) *cum curte ſua, caſtrum Galigatae cum curte ſua, caſtrum vallis S. Marculae* (legendum *vallis Marculae*, ut in iiſdem diplomatibus) *cum eccleſia, & curte ſua, caſtrum Agnaniae* (legendum *Agnanae* ex iiſdem diplomatibus) *caſtrum Agelli cum eccleſia*. Tum cavetur, ne Epiſcopo Peruſino liceat novas & indebitas penſiones, ac tributa exigere ab eccleſia S. Mariae Francolinorum, quam Peruſii habebant, aut eam eccleſiaſtico interdicto ſubiicere abſque juſta, & manifeſta cauſa. Ea eccleſia olim pertinuit ad noſtrum monaſterium vallis Caſtri in agro Camerti, nunc Fabrianenſi, ut ex tabulis ejus monaſterii conſtat. Quartum eſt Lucii III. Offredo epiſcopo datum anno MCLXXXI. vel potius MCLXXXII. ex dicendis ubi de Offredo epiſcopo. Quintum eſt Coeleſtini III. ad Bentivolum epiſcopum, quod anno MCXCI. datum eſt. Sextum denique eſt Innocentii III., quod datum ab Ughello dicitur anno MCCV. XI. Kal. Maii indict. VI. anno Innocentii IX. qui characteres minime componi poſſunt, & in annum ſupra dictum convenire; nam anno MCCV. Innocentius III. octavum Pontificatus ſui annum nondum expleverat, & octava indictio decurrebat.

XI. Confirmat in eo diplomate Innocentius epiſcopatui Eugubino *poſſeſſionem Cerri, & Eragnani* (legendum fortaſſe *Cragnani*, ut in di-

in diplomate Coeleſtini III. ſupra indicato apud Ughellum) *eccleſiam S. Cypriani, caſtrum Albanetae, cum pertinentiis ſuis, caſtrum Aneae* (idem, opinor, quod *Ana* dicitur in diplomate Henrici VI. quod ſupra datum eſt) *cum pertinentiis ſuis, caſtrum S. Mariae, caſtrum Salitiae, caſtrum in monte*, (montis nomen deeſſe arbitror) *duas partes caſtri Agnani, caſtrum collis Caſalis, caſtrum Tertiani, caſtrum Caſtellionis Ildibrandi, caſtrum caſtellare Nartiaqle* (legerem *caſtellare Nartianulae*, qui *Nartianulae* locus aliunde mihi notus eſt ex charta vetere archivi Claſſenſis, quam dedi in animadverſionibus ad vitam S. Joannis Laudenſis (*a*) ſeorſim editam.) *Caſtrum Carbonanae, caſtellare Poſtſerram, caſtellare Saſſolere, caſtrum Burani dimidium cum publicis circumjacentibus* (*b*), *caſtrum Arſenii partem, quam Theobaldus dedit epiſcopatui cum dimidia cunctarum poſſeſſionum ſuarum, caſtellare Albaneti, caſtellare Majaulae, caſtellare Senetiani partem cum villa Decimi, caſtellare Scattioli, medietatem caſtellaris montiſcalci, caſtellare Agellionis, curtem Campellionis, eccleſiam S. Donati cum ſuis pertinentiis, collem S. Martini cum ſuis pertinentiis, canonicam S. Secundi prope dictam civitatem cum omnibus ſuis pertinentiis, eccleſiam S. Laurentii, eccleſiam S. Martini, quam tenent filii Carbonis, eccleſiam S. Mariae ad Martam cum ſuis pertinentiis.* Haec ſaeculi XIII. initio poſſidebat eccleſia Eugubina, quibus labente eo ipſo ſaeculo non pauca adjuncta fuerant, anno enim MCCLXXXII. poſt multa diſſidia Benvenutus epiſcopus communi Eugubinorum conceſſit temporale dominium, quod obtinebat in caſtris, & vicis *montis Epiſcopalis, Anae, Agnanae, Sciſſi*, ideſt *Schiggiae*, ſive ut dicere ſolebant *Sclizae, collis Caſalis, Pluſciani, S. Angeli de Aſſino, montis S. Mariae, Tertiani, in villa S. Paterniani, & Cerqueti*, ut ex tabulis in ſecretiore archivo Eugubinorum ad eum annum ſcriptis. Hic autem nonnulla caſtra & loca occurrunt, quae in diplomate Innocentii III. deſunt, quod argumento eſt epiſcopatui Eugubino poſt illud tempus adjuncta fuiſſe. Sed vetus iſtud eccleſiae patrimonium conſequentium temporum clades, factiones in ipſo clero excitatae, & calamitates notiſſimae toti Italiae communes, jamdiu abſumpſerunt, ut vix aliquae ejus reliquiae ſuperfuerint, quibus abbatiam Alfiolanam addi oportuit a Romano Pontifice, ut Epiſcopi Eugubini haberent, unde munus ſuum cum dignitate ſuſtinerent. Nunc autem epiſcopatus Eugubini annuus cenſus eſſe dicitur ſcutorum mille.

CAPUT

[a] *Vit. S. Jo. Laud. pag.* 52. [b] *De caſtro Burano vide ſub Vilano epiſcopo dicenda ad n.* XXIII.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Priſtina libertas eccleſiae Eugubinae, nunc Urbinati metropoli ſubjectae. Dioeceſis extenſio. Monaſteria ejus finibus comprehenſa.

I. ECcleſia Eugubina a prima ſui origine nemini paruit, niſi Romano Pontifici, ſedi apoſtolicae immediate, ut ajunt, ſubjecta; ſemper enim fuit in particulari provincia Romani Pontificis, quae ex ſuburbicariis provinciis coaleſcebat. Eſt id vulgo notiſſimum, ſed tamen Hieronymus Rubeus, in ſuis hiſtoriarum Ravennatium libris, non uno loco eccleſiam Eugubinam numerat inter ſuffraganeas metropolis Ravennatis (*a*). Hunc ego errorem ultro diſſimulare decreveram, ne piis manibus celeberrimi ſcriptoris inſultare viderer, praeſertim cum vix fieri poſſe crederem, ut quiſquam cum Rubeo in ea re conſentiret. Sed nuperrimus auctor hiſtoriae Faneſtris Petrus M. Amianus, Rubeum ſecutus, Faneſtrem eccleſiam, nam idem de Faneſtri eccleſia Rubei judicium fuit, Ravennati metropolitano olim paruiſſe non diffitetur (*b*). Rubeum induxit in craſſum hunc errorem diploma quoddam Caroli M., quo *cuſtodibus* ſanctae eccleſiae Ravennatis, ideſt, ut ipſe interpretatur, *oſtiariis* (*c*), eccleſiam *S. Petri in Eremitario* attribuit, eoſdemque mandat honorifice ſuſcipi ab epiſcopis omnium eccleſiarum, *quarum dona, vel conſecrationes ſanctae Ravennatis eccleſiae largita, largiturave ſunt*, quoties per eorum fines tranſitum habuerint. *Et ut*, inquit, *diligentiſſime ſanctae eccleſiae diurnam, & nocturnam exhibeant curam, praedictis laetandis concedimus talem favorem, ut ab omnibus Epiſcopis eccleſiarum, quarum dona, vel conſecrationes ſanctae Ravennatis eccleſiae largita, largiturave ſunt, honorifice ſuſcipiantur*. Atque hac lege teneri vult etiam minorum eccleſiarum praelatos dioeceſeon nimirum Ariminenſis, Piſaurenſis, Faneſtris, Eugubinae, aliarumque numero XXVI. Affert hoc ipſum diploma Faneſtris hiſtoricus Amianus, ut probet eccleſiam Faneſtrem in metropoli Ravennati comprehenſam fuiſſe, in quo ſane audiendus non eſt. Noti ſunt provinciae eccleſiaſticae Ravennatis termini, qui numquam ad Fanum Fortunae prolati ſunt. Multo minus eccleſiam Eugubinam aliaſ-

[a] *Rub. hiſtor. Raven. l.* v. *p.* 230. *Vid. & Indicem* v. Epiſcopus Eugubinus [b] *Amian. diſſert. praev. ad hiſtor. Faneſtr. p.* XI. *&c.* [c] *Cuſtodes ab oſtiariis diſtinguit S. Iſidorus de eccleſ. offic. Dat iis locum inter diaconos c.* X. *Vide quid de iiſdem dicat in regul. c.* XIX. *apud Cangium* v. Custos.

que circumjacentes exceperunt: nec Agnellus ipſe, qui nimius eſſe ſolet in extollenda ſua eccleſia Ravennati, plus quam epiſcopatus XIV. eidem ſubjectos narrat, quorum unum periiſſe ait deſtructa civitate, in qua ejus cathedra epiſcopalis fundata erat (*a*), cum in eo diplomate dioeceſes ſex & viginti recenſeantur.

II. Neque vero ex eo diplomate, ſi quidem genuinum eſt, de quo valde dubito, rite inferri poteſt, tot illas dioeceſes ad provinciam metropolitani Ravennatis pertinuiſſe. Mandat Carolus M. cuſtodes eccleſiae Ravennatis honorifice excipi ab epiſcopis eccleſiarum, *quarum dona vel conſecrationes ſanctae Ravennatis eccleſiae largita, largiturave ſunt*. Tetra hic ſtribiligo verborum, in qua tamen certa ſublucet ſententia; ex iis enim VI. & XX. eccleſiis aliae dona tantum, & xenia Ravennati eccleſiae debebant, aliae ſuorum epiſcoporum conſecrationes ab ea petebant. Atque hae quidem jure metropolitico ſubjectae erant archiepiſcopo Ravennati, reliquae non item. Potuere autem eccleſiae multae, quae minime eſſent in provincia Ravennati, annua obſequia, ſeu dona, & xenia ſtatis temporibus Ravennati archiepiſcopo rependere, quod ab eo praedia, latifundia, aliave bona ea lege obtinuerint; multa enim in territoriis civitatum Aemiliae, & Pentapolis olim poſſidebat eccleſia Ravennas, quae beneficiario jure ſaepe numero tradita ſunt earum civitatum epiſcopis, ut ex innumeris tabulis archivi eccleſiae metropolitanae Ravennatis, a me viſis, manifeſtum eſt. Potuere aliis multis modis archiepiſcopi Ravennates, qui in Exarchatum, & Pentapolim dominium temporale aliquando exercuerunt, aliquod ſibi jus comparare ad ejuſmodi dona, & obſequia in quibuſdam epiſcopatibus extra ſuam provinciam eccleſiaſticam. At metropoliticam juriſdictionem extra ejuſdem provinciae ſuae fines protendere nec potuerunt, nec vero umquam auſi ſunt: quod ſi tentatum ab iis eſſet, multo majores fuiſſent querelae epiſcoporum, qui talem injuriam paſſi eſſent, quam provincialium epiſcoporum fuerunt, qui ob multo minores auſus Joannis archiepiſcopi, ſeveriſſimum judicium contra eum exerceri voluerunt in Synodo Romana ſub Nicolao I. imperante Ludovico Pio, Caroli M. filio, ut ex ejus actis apud Labbeum (*b*), Muratorium, (*c*) Bacchinium (*d*) alioſque, cui ſynodo & *Dominicus Eugubinus*, & *Joannes Faneſtrienſis* inter ſuffraganeos Ro: Pontificis interfuerunt.

III. Nul-

[a] Uſque in praeſentem diem XIV. civitates cum epiſcopis ſub Ravennae eccleſia redactae ſunt. Una vero deſtructa deeſt, cujus vocabulum Brintum dicitur, non longe a Bononienſe urbe. *Angel. In Jo. Angelopt.* [b] *Labbe To.* X. [c] *Murat. Rer. Ital. ſcript. To.* II. P. I. [d] *Bacchin. in append. ad Angel. p.* 80.

III. Nulla igitur Rubeo, & Amiano fides habenda eſt, dum Eugubinam, & Faneſtrem eccleſiam metropolitae Ravennati paruiſſe narrant; utraque enim ſemper fuit Romani Pontificis ſuffraganea, atque in ejus particulari provincia comprehenſa. Sed, ut aliis temporibus eam provinciam decurtarunt Romani Pontifices, novis in ea creatis archiepiſcopatibus, ita Pius IV. Urbinati archiepiſcopatu erecto, cui ſex ſuffraganeos attribuit, Piſaurenſem, Foroſempronienſem, Callienſem, Senogallienſem, Feretranum, & Eugubinum, quorum conſenſum requiſierat Pontifex, & obtinuerat, praeter quam ab Eugubino, qui novae ſe metropoli ſubmittere recuſavit. Datum eſt hujus erectionis diploma prid. Non Jul. anno MDLXIII. In eo profitetur Pontifex reliquos epiſcopos metropolitano Urbinati ſe non ſubjicere, *niſi eorumdem ad hoc expreſſo accedente conſenſu. Eugubinam vero*, inquit, *eccleſiam ſubjicimus ex nunc pro tunc, & e contra, cum ven. fr. noſtri Mariani epiſcopi Eugubini & cui alias regreſſus, ſeu acceſſus, & ingreſſus ad ipſam eccleſiam Eugubinam, in certos tunc expreſſos eventus, dicta auctoritate conceſſus fuit, dilecti filii noſtri Jacobi S. M. in Coſmedin presbyteri cardinalis de Sabellis nuncupati, acceſſerit conſenſus, alias ipſius eccleſiae Eugubinae vacatione pro tempore occurrente.* In hiſce ultimis verbis telum validiſſimum habuere archiepiſcopi Urbinates, contra epiſcopos Eugubinos, qui fuerunt poſt Marianum, Sabellum. Cum enim numquam conſenſerit, ut Eccleſia Eugubina archiepiſcopo Urbinati ſubjiceretur, epiſcopi, qui poſtea fuerunt, priſtinam libertatem tueri conati ſunt; durum enim videbatur, cum a ceteris epiſcopis quaeſitus eſſet conſenſus, eccleſiam Eugubinam ad hanc qualemcumque ſervitutem, invitam trahi. Inter epiſcopos vero Eugubinos, qui omnium acerrime huic ſubjectioni reſtiterunt, emicuit in primis Alexander Sperellus, vir omnium opinione cum doctrina, tum morum innocentia ſpectatiſſimus. Tenuit is eccleſiam Eugubinam ab anno MDCXLIII., vel MDCXLIV. ad annum MDCLXXI. Eo vivente archiepiſcopus Urbinas a Pontifice impetravit, ut controverſiam hanc cognoſceret, ac definiret ſacra congregatio concilii Tridentini interpres, qua de re exſtat Jo. Baptiſtae de Luca conſilium pro Eugubinis, typis editum, paradoxis pleniſſimum (*a*). Exſtat etiam eruditiſſimum Cl. Fontanini judicium pro libertatae eccleſiae Eugubinae in ea controverſia (*b*). Sed cauſam hanc & rei magnitudo, ac difficultas, & ſtudia partium finiri

(a) *De Luca theat. verit. & juſtit. l. XII. P. XI. diſc. 1.* (b) *Juſti Fontanin. de provinc. particular. Rr. Pont. & de epiſcopatu Eugub. in ea poſito Romae* MDCCXXV.

non ſinebant, cujus fortaſſe judicium adhuc penderet, niſi Benedicti XIII. auctoritas interceſſiſſet, qui abdicante Fabio Mancinforte epiſcopo Eugubino, novum creavit epiſcopum, ultro conſentientem in ſubjectionem illam, adeo ſuis praedeceſſoribus odioſam. Haec ad annum MDCCXXV. acciderunt, de quibus rurſum dicam ubi de Fabio Mancinforte epiſcopo.

IV. Dioeceſis Eugubina late in omnem partem protenditur, ut hinc ad XX., inde ad XXX. & amplius paſſ. mill. excurrat. Quod autem de territorio Eugubino dictum eſt, prolatum invaſiſſe in antiquos fines agri Tadinatis, Sentinatis, Suaſani, aliarumque fortaſſe civitatum, quae vel plane deletae ſunt, vel minima vix ſui parte ſuperſunt in oppidulis, & vicis, quae ex eorum interitu enata ſunt, de dioeceſi Eugubina ſimiliter dicendum puto. Conſtat enim apud Tadinates cathedram epiſcopalem fuiſſe, ac verosimile eſt Sentinates, & Suaſanos eodem honore non caruiſſe, quae civitates ſatis amplae fuiſſe videntur, & latius patentem circa ſe agrum habebant. Neque vero dubium eſt, quin plures civitates cathedra olim epiſcopali ornatae fuerint, quarum nulla nunc memoria exſtat earum monumentis deperditis. Ex eo numero Tuficum fuiſſe cenſeo, cujus rudera non contemnenda apparent prope Albacinam in agro Fabrianenſi, ſecus Aeſim fluvinm, cujus ego civitatis epiſcopum fuiſſe ſuſpicor S. Venantium Albacinenſium patronum, cujus corpus in principe eccleſia ejus caſtri jacere intelligimus ex hac epigraphe, quae quanti facienda ſit, in diſſertatione de Aeſi fluvio, & locis adjacentibus oſtendam; ibi enim de cathedra Tuficana conjecturas meas latius proponam.

VT RESONAT PSALMUS IACET HIC VENANTIVS ALMVS
CORPVS NAM SANCTVM SATIS EST HIC GLORIFICATVM
IN STEPHANI FESTO FVIT INVENTVM BENE PRAESTO
ANNO MILLENO ET CENTENO SIBI PLENO
IPSE CVM PRIMO CORPVS SERVATVR IN HVMO
AD CHRISTI VELLE PVIT INVENTVMQVE NOVELLE
NAM MANIFESTVM VENANTIVS IPSE VOCATVR
EST ALBACINAE DATA SACRA SPESQVE MEDICINAE.

Sed haec obiter. Itaque dioeceſi Eugubinae, extincto epiſcopatu Tadinati, & fortaſſe etiam Sentinati, ac Suaſano, partem earum dioeceſeon attributam, vix quemquam negaturum cenſeo, cui noti ſint earum civitatum ſitus, & dioeceſis Eugubinae extenſio.

V. Ea porro, praeter civitatem ipſam, plura complectitur oppida,

pida, & caſtra, Pergulam ſcilicet ad civitatis honorem clementiſſimo regnantis Pontificis decreto nuper evectam (a), Cantianum, Fractam, quam Peruſinam appellant, quae ad Tiberim jacet, Colleſtacciarium, Schiggiam, aliaque minus populoſa, quae ſupra capite IV. deſcripta ſunt. Sed in eo numero duo ſunt, quae ad dioeceſim Eugubinam minime pertinent, Vallisfabrica, & Inſula Fuſaria; illud enim in Aſſiſinate, iſtud in Nucerina cenſetur. Contra vero dioeceſis Eugubina extra fines agri Eugubini porrigitur, qua parte oppidum Pergulanum, & qua Fractam Peruſinam ad fluvium Tiberim comprehendit. Eſt autem univerſa civitas, & dioeceſis in paroecias LXXXVIII. diſtributa, quamquam parochi tantum LIX. numerantur; oportuit enim earum aliquot uniri, & binas uni parocho adminiſtrandas committi propter cenſus tenuitatem. Ad haec intra fines Eugubinae dioeceſeos IV. ſunt ſaecularium canonicorum collegia, duo in civitate ipſa, tertium apud Pergulenſes, apud Cantianenſes quartum. Praeterea XVIII. regularium monaſteria, ſive conventus; duo ſcilicet canonicorum regularium, alterum congregationis Lateranenſis, Rhenanae alterum: duo monachorum coenobia, meorum Camaldulenſium, & Montis Oliveti, & eremus Camaldulenſium, montis Coronae ad Paſſelupum, alias *Montecucco*. Reliqua ſunt ex ordinibus mendicantium. In his maxime ſpectanda ſunt monaſterium noſtrum S. Crucis Fontis Avellanae apud Catriam montem, in quo cum degerem, ſolitario loco, literiſque, & monaſticae quieti aptiſſimo, hanc ipſam chronotaxim antiſtitum Eugubinorum ſcribere aggreſſus ſum, & illud, quod monachi Montis Oliveti ad ipſam urbem obtinent, ex divi Petri nomine dictum. Sed monaſterium tamen Avellanenſe vulgo nunc perſuaſum eſt ad dioeceſim Eugubinam minime pertinere, ſed ad juriſdictionem abbatis Nonantulani, cui nonnulla minora ſacerdotia intra fines Eugubinorum ſubjecta ſunt. Eſt id aeque injurium eccleſiae Eugubinae, ut ei glorioſum fuit in ejus ſinu aſceterium adeo illuſtre per plura ſaecula floruiſſe, ex quo tot viri ſanctitate illuſtres, imo tot epiſcopi Eugubini prodierunt. Manavit haec inſulſa hominum perſuaſio ex eo, quod epiſcopi Eugubini longo temporis intervallo delegatam ab abbate Nonantulano juriſdictionem in ea quae dixi ſacerdotia exercuerunt, quorum unum, nempe prioratus Serrae S. Abundii, conterminum eſt monaſterio Avellanenſi. Eo factum eſt, ut, cum epiſcopus Eugubinus ab ea delegatione ceſſavit, in conſtituendis finibus dioeceſis Eugubinae, & eorum locorum, quae ad jus abbatis

(a) *Oppidum Pergulenſe in civitatem erectum eſt.* III. *Kal. Mai. anno* MDCCLII. *integro tamen honore cathedrae Epiſcopalis Eugubinae civitati ſervato.*

abbatis Nonantulani pertinent, monaſterium Avellanenſe vulgari quodam errore abbati Nonantulano adſcriptum ſit. Sed propter hunc errorem, hoc ipſo ſaeculo non antiquiorem, nullum jus abbati Nonantulano tributum eſſe poteſt in abbatiam Avellanenſem, quae olim magnis immunitatibus, & privilegiis donata ab epiſcopi Eugubini juriſdictione exempta fuerat. Poſt autem, ceſſante illa veteri exemptione, nativum jus epſcopi Eugubini in eam abbatiam revivi-ſcere debuit, quod privilegiis Pontificiis exſtinctum fuerat. Sed de hac re tota uberius diſſeram in primo antiquitatum Avellanenſium libro. Sunt praeterea in civitate, & dioeceſi Eugubina duo S. Philippi Nerii presbyterorum ſodalitia, & ſanctimonialium perpetuae clauſurae lege adſtrictarum monaſteria XIII., tum orphanotrophium pro puellis in civitate, & xenodochia aliquot, fratriaeque plures, quae omnia adamuſſim deſcribere nimis longum eſſet.

VI. Sed multo plura, quam nunc ſint, in civitate, & dioeceſi Eugubina monachorum aſceteria olim fuerunt. Anonymus poeta ſaeculi XV, qui Italicum carmen ſcripſit, cujus non ſemel deinceps mentio habenda erit, abbatias XII. Benedictini inſtituti, ſua aetate ſuperſtites, hoc ordine enumerat. I. S. Petri. II. S. Mariae de Alfiolo. III. S. Bartholomaei de Petrorio. IV. S. Benedicti de Siolo. V. S. Crucis Fontis Avellanae. VI. S. Mariae Sitriae. VII. S. Bartholomaei de Campo Regiano. VIII. S. Angeli de Claſerna. IX. S. Aemiliani de Conjunctulis. X. S. Verecundi de Spiſſis. XI. S. Rufinae de Monte Salajolo. XII. S. Andreae de Inſula filiorum Manfredi. His addere oportet monaſterium divi Blaſii ad Suaſani fluenta inter Licciam vicum, & Serram S. Abundii, cujus nunc rudera, & vetus eccleſia pene jam profanis uſibus omnino mancipata ſupereſt. Ad hoc monaſterium pertinere arbitror vetus ſacramentarium in codice membranaceo ſaeculi XII., quod penes me habeo, in ea olim vicinia repertum; in eo enim tum in confeſſione, quae ante miſſam dicitur, tum in ipſo miſſae canone S. Blaſii nomen occurrit. Adde monaſterium S. Donati, cujus mentio eſt in diplomatibus Friderici, & Henrici auguſtorum, quae ſupra allata ſunt. De Polpiano dicebatur ex loco, ubi conditum fuerat. Aliud S. Donati, de Fauce dictum, occurrit in antiquis monumentis Eugubinorum. Denique S. Benedicti prope Eugubium, ex quo primus monaſterii Avellanenſis abbas Ubaldus eductus eſt a Joanne XXII. ut ex ejus diplomate in antiquitatibus Avellanenſibus edendo. Haec omnia indicaſſe non inutile futurum puto; eorum enim in hujus operis decurſu mentio identidem occurret.

CAP. VII.

CAPUT VII.

Viri ſanctitate illuſtres, qui in eccleſia Eugubina floruerunt.

ID etiam pertinere arbitror ad eccleſiae Eugubinae commendationem, ut quos in ſuo ſinu aluit viros, foeminaſque ſanctitate illuſtres, hoc loco recenſeam, qui, & numero plures ſunt, & ex iis non pauci in univerſa eccleſia celebratiſſimi. Sed operae pretium erit eos quoque addere, qui quamvis apud Eugubinos nati non ſint, in ea tamen civitate, vel vivi floruerunt, vel ſacras corporum exuvias ibidem depoſitas habent. Eos tamen omnes vix indicaſſe ſat erit; neque enim hic locus eſt eorum acta explicandi, & uberius illuſtrandi, ſi eos excipias, qui cathedram ipſam Eugubinam tenuerunt; de quibus in noſtro opere, cui haec praefamur, paulo copioſius dicendum erit. Interim, ſi quid minus recte conſtitutum ab aliis ſcriptoribus de reliquis Sanctis, & Beatis Eugubinis occurret, id levi manu emendare non praetermittam. Et quoniam ad me nuper acta antiqua, & genuina S. Sperandae pervenerunt, quae neque a Bollandianis ſociis, neque ab alio, quod ſciam, edita ſunt, Eugubinis meis rem gratam facturum judico, ſi ea in publicum emittam. Sed ante quam de ſingulis dico, juvat hic afferre verſus aliquot ex Italico poemate anonymi ſcriptoris, haud ſane elegantis, & politi, qui viſionem cujuſdam monachi Avellanitae a ſe, ut reor, poetica libertate confictam, rudi carmine expreſſit, ſaeculo XV. exeunte, ex qua intelligere licet, quinam potiſſimum Sancti per illud tempus publice apud Eugubinos colerentur (*a*). In eo enim poemate inducitur S. Ubaldus reliquos Sanctos, & Beatos Eugubii maxime cultos, interpellans, ut una Deum exorent pro Eugubinis ſuis, quos atrox peſtilentia per id tempus affligebat. Eſt autem carmen iſtud dicatum Leonardo Grypho epiſcopo, qui eccleſiam Eugubinam tenuit ab anno MCCCCLXXIII. ad annum MCCCCLXXXII. ut ſuo loco dicendum eſt. Habes anonymi poetae noſtri verſus inferne adſcriptos (*b*).

Sed

(a) *Extat Eugubii in archivo. Arman.*

(b) El patre noſtro (1) pien d' ogni bontade
Dubitando ancora non aver grazia,
Per placar la divina maeſtade:
Volſe mandar per più che mai ſe ſazia
Chi deſidera aver qualche gran coſa
Per aver al pregar maggior audacia;
Fece chiamar el ſuo già preceſſore
Giovan da Lodi pien d'ogni ſcienzia
Anni docento (a) prima a noi paſtore.
Chi voleſſe accontar la penitenzia,
Che coſtui fece dal Battiſta a noi,
Mai ci fu uom di tanta continenzia.

1) *S. Ubaldum intellige.* (a) *Imo annis fere* CCCC.

Sed cave putes adeo accuratum fuiſſe in iis recenſendis inſulſum hunc poetam, ut neminem omiſerit. Ego non paucos adjiciam, qui certe praetermittendi non ſunt. Interim hic omittenda non eſt particula Statuti Eugubini ex libri primi rubrica ſecunda, quae eſt de reliquiis & veneratione Ss. In ea enim Sanctorum corpora, & inſigniores reliquiae recenſentur, quae apud Eugubinos aſſervantur in hunc modum: *Imprimis in eccleſia cathedrali ſunt infraſcripta corpora, & reliquiae: In altari majori requieſcunt oſſa Sr. Martyrum Mariani, & Jacobi, quibus, uti patronis, dicta eccleſia dicata eſt; digitus S. Joannis Baptiſtae, qui in die ſuae feſtivitatis de mane proceſſionaliter defertur ab eccleſia cathedrali ad ejus eccleſiam; digitus S. Leonardi confeſſoris; caput S. Cordulae V. & M. corpus S. Joannis Laudenſis epiſcopi Eugubii; corpus B. Villanii Eugubini; corpus B. Fortis eremitae, & aliae plures reliquiae, quae ibidem ſigillatim oſtenduntur tertia die Paſchatis. In eccleſia S. Dominici eſt digitus S. Catherinae V. & M.; per uniur ſanctorum Innocentium, & aliae plures, quae oſtenduntur in die S. Catherinae, & aliis ſolemnibus. In eccleſia S. Franciſci eſt corpus*

Chiamar ſe Piero Damiano poi
Che Pietro peccator feſſi nomare,
E poi ſanto Albertino, che ambidoi
Monaci fur di quella, che dal mare
Adriano al Tiren ſue membra ſtende,
Degna badia a Dio ſervire e amare.
Ch' è Santa Croce per chi non m' intende
Fonte de la Volana, (1) quale onora
Eugubbio, e chi la tien molto li rende (a).
E queſti in quella penitenzia ogni ora
Fean per modo, che ſon ſanti al mondo,
E Gubbin li lor corpi tiene ancora (3).
Santa Rufina chiamar e San Verecondo
Fece, che ancor li corpi e l' oſſa loro
Si tien la patria mia, meſſa mo al fondo.
Fece chiamar queſt' altro con coſtoro
Lo epiſcopo beato San Vilano,
Lucido di miracoli come oro.
Beato Forte, e Pietro Eremitano,
Dal bel ſepulcro Sperandio beato,
Beato Nanni (4) con la fruſta in mano;
E beato Franceſco fu chiamato,
Che non vedeſti lo più bel giammai
Corpo d' alcun, non già canonizzato.
Tomaſſo ſe chiamar da Coſtacciajo
Ver romito, e beato a la rottura,
Qual molti ha liberati da tal guajo.
A far di poi chiamar preſe la cura
Le due beate vergini sì belle
Che della Patria mia ſon fuor di mura
Gennaja, & Margherita (5) dol ſtelle.
Queſti beati tutti hanoo io mia patria
Le lor caroe coo l'oſſa, e con la pelle (6)
Il Padre diſſe, ſo che la gran guerra
Di voſtra e mia città voi la ſapete,
Che la peſte mortal l' affina e afferra ec-

(1) *Abbatia S. Crucis Fontis Avellanae* (a) *Opulentiſſimam per eos dies abbatiam tunc obtinebat Julianus Roboreus, qui poſtea ad Petri ſolium evectus, Julius II. dictus eſt.* (3) *Id verum utcumque eſt de Sr. Joanne Laudenſi, de Albertino, ejus enim corpus Eugubii, hujus autem in eccleſia S. Crucis fontis Avellanae quieſcit. At de S. Petro Damiani non item, cujus corpus Faventiae conditum eſt.* (4) *In aliquo exemplari hujus poematis legi* Beato Vanni; *ſed praeterquamquod beatus iſte plane ignotus eſt Iuceri Eugubinis, in autographo, a me olim viſo, & partim etiam exſcripto, ita legitur, ut ſupra ſcriptum eſt.* (5) *Margaritam non aliunde, quam ex hoc carmine notam habeo, nec quidquam de ea reſcire licuit ab eruditis Eugubinis, quos conſului.* (6) *Id plane de ſingulis verum non eſt, ſaltem enim excipiendus fuerat beatus Thomas e Coſtacciario, cujus corpus minime incorruptum eſt.*

Digitized by Google

corpus B. Franceſchinae, & oſtenduntur multae venerabiles reliquiae prima die Januarii; ſicut etiam in eccleſia S. Bernardini diverſae oſtenduntur in die Nativitatis Domini. In eccleſia S. Auguſtini ſunt corpora BB. Petri generalis ordinis Eremitarum, & Franciſci juris utriuſque doctoris. In eccleſia S. Spiritus ſunt corpora B. Januariae, & Beatae Ceciliae. Extra vero civitatem infraſcripta corpora, & reliquiae & in primis venerabile corpus S. Ubaldi protectoris noſtri, quod integrum, & multis miraculis exornatum in propria eccleſia requieſcit. In eccleſia S. Secundi in altari majori ſunt corpora S. Secundi M. & Ss. Secundini & Agabiti Mm. & PP. Adſunt etiam oſſa S. Aemiliani M. & Antoniae, ac Tertullianae Vv. & Mm., & deinde fuit translatum corpus S. Eraſmi ex propria eccleſia cum aliis reliquiis, quae ibi leguntur in pariete dictae eccleſiae. Corpus S. Verecundi in eccleſia ei dicata. Corpus S. Feliciſſimi in ſua eccleſia. Corpora BB. Archangeli Bononienſis, & Franciſci Senenſis in eccleſia S. Ambroſii. Corpus Ss. Martyrum, & Virginum Rufinae, & Secundae in eccleſia S. Luciae. Corpus S. Albertini in eccleſia S. Crucis fontis Avellanae, in qua aliae plures exiſtunt reliquiae. Sunt etiam alia Ss. corpora, & reliquiae in caſtris dioeceſis, prout in quadam tabella in epiſcopatu exiſtente, omnia ordinatim deſcripta reperiuntur.

I.

Ss. AGAPIUS, ET SECUNDINUS EPISCOPI ET MM. Celeberrimi ſunt in eccleſia Eugubina Ss. Agapius, & Secundinus epiſcopi & mm. De iis copioſe agendum eſt in epiſcopis Eugubinis, quibus aliqui ſcriptores Agapium, & Secundinum adnumerant.

II.

B. AGATHELLA. Floruit Agathella ſanctimonialis virgo in parthenone, quod e paradiſi nomine appellabant. Inde ejus corpus translatum eſt ad Sancti Spiritus, in quod nobiliſſimum monaſterium paradiſiani reliquiae commigrarunt. Ejus corporis translationem curavit Franciſca e caſtro Durantis abbatiſſa ad annum MCCCCLXXXII. permiſſu Sixti IV. Romani Pontificis (*a*).

[a] *Jacobil. To. 1. Ss. Umbriae in B. Franciſca d. XIII. Februar.*

III.

S. ALBERTINUS. Inter ſanctos Eugubinos jure ſibi locum vindicant ii, qui in monaſterio S. Crucis fontis Avellanae vixerunt; eſt enim monaſterium illud in dioeceſi Eugubina, atque ex eo plures monachi ſanctiſſimi ad cathedram Eugubinam aſſumpti ſunt. Celebratur autem in primis inter veteres illos Avellanitas S. Albertinus, qui diu in monaſterio illo vixit, eique monaſterio, & univerſae congregationi Avellanenſi, quae latae propagata erat, ſanctiſſime praefuit. Erat is ex caſtro Montonis in dioeceſi Tifernate, uti demonſtrabimus in *Antiquitatibus Avellanenſibus*, in quibus non exiguum commentarium edemus de S. Albertino. Vixit autem ſaeculo XIII., eoque ad exitum properante, extremum diem obiit in ſuo Avellanenſi aſceterio, ubi ſanctum ejus corpus, quotidianis prope miraculis clarum quieſcit, ad aram ejus nomini ſacram. Tanta eſt autem ejus nominis fama, ut non alio fere apud vulgus hominum S. Crucis fontis Avellanae coenobium, quam S. Albertini nomine appelletur.

IV.

B. ARCHANGELUS CANETOLUS. Jacet ad Divi Ambroſii corpus incorruptum B. Archangeli Canetoli, quem canonici regulares S. Salvatoris inter praecipuos ejus inſtituti ſodales venerantur. Cultus ejus perantiquus nuper auctoritate Romani Pontificis probatus eſt datis apoſtolicis literis die II. Octob. MDCCIIL., quibus conceditur canonicis regularibus ſupra dictae congregationis, ut feſtum B. Archangeli officio & lectionibus propriis, & miſſa etiam ſub ritu duplici celebrare poſſint. Obiit B. Archangelus XVI. Kal. April. MDXIII. Ejus memoriam celebrat ſtatutum Eugubinum (*a*), eſtque hic titulus aureis literis ei poſitus, cum B. Franciſco Nannio communis, in aede D. Ambroſii:

D. O. M.
Corpora
Beatorum Canonicorum
Congreg. D. Salvat.
Franciſci Nanni Senen.
Archangelique Canetoli

Bonon.

(a) *Rubric. cit.*

Bonon. Hic A Nobis Venerанda Conquieſcunt
Animae
Vero Sempiternis In Coelo Gaudiis Perfruuntur
Aug. Zal. Mirand. F. C.
An. Dñi MDXCI.

V.

B. BALDUS. Ejus nomen occurrit in agiologio Franciſcano ad diem XXVI. Julii. Ejus etiam meminit Gonzaga, aliique fortaſſe Franciſcani ſcriptores; eum enim ordinem profeſſus eſt dum viveret. Jacobillus obiiſſe ait circa annum MCCC. in conventu S. M. Angelorum apud Aſſiſium (*a*). Ac de loco conſentiunt ſcriptores, quos laudavi. De tempore fides apud Jacobillum eſto.

VI.

B. BENVENUTUS. De B. Benvenuto, qui ex nobili milite Eugubino humilis Seraphici ordinis laicus evaſit, ab ipſo S. Franciſco ſacro habitu ad annum MCCXXII. induto, poſt Wadingum, & ceteros ejus ordinis ſcriptores, agunt accurate Bollandiani ad diem XXVII. Junii. Inde comperies eum obiiſſe anno circiter MCCXXXII. in Cornetano conventu provinciae Apuliae, miraculis multis, & vitae ſanctimonia illuſtrem: tum juſſu, mandatoque Gregorii IX. non ſegniter actitatum de eo in Ss. album referendo: interim denique permiſſum ab eodem Gregorio Pontifice, ut ei ſacer cultus adhiberetur, & feſtum celebraretur in tribus vicinis epiſcopatibus, ubi ejus fama ſanctitatis illuſtrior. Id nuper conceſſum eſt etiam Eugubinis, ut contribulem ſuum colere poſſint ad diem XXVII. Junii, qui ei ſacer eſt in ſuo ordine Seraphico, Officio ſcilicet eccleſiaſtico, ac Miſſa ſub ritu duplici minori, Oratione & Lectionibus, ac Miſſa e communi Confeſſorum Pontificum ſecundo loco petitis. Id primum in civitate, & dioeceſi Eugubina actum eſt anno MDCCXXXV.

VII.

B. CAECILIA. In paradiſi monaſterio floruit, unde ejus corpus ad

[a] *Jacobil. ad diem* XXVI. *Julii To.* II. *p.* 61.

pus ad S. Spiritus translatum est cum corpore B. Agathellae, annuente Sixto IV., procurante Franciſca abbatiſſa anno MCCCLXXXII (*a*).

VIII.

B. CASTORA. Ex nobiliſſima gente Gabriellia Caſtora prodiit ſaeculo Chriſti XIV., quo nimirum ſaeculo ea gens maxime floruit, & Eugubii patriae ſuae dominatum aliquamdiu geſſit. In florenti aetate nuptui tradita eſt paris nobilitatis viro, quo obeunte tertii ordinis S. Franciſci habitum induit, quem moriens poſuit anno MCCCXCI. die XIII. Junii. Ejus corpus ad hanc diem incorruptum ſervatur apud fratres minores in oppido S. Angeli in Vado ducatus Urbini ad Metaurum flumen. Ejus vita Romae prodiit anno MDCCXXXII. apud Zenobium, quam videre licet, uti & Bollandianos, qui de ea agunt ad diem XIV. Junii.

IX.

S. DOMINICUS LORICATUS. Hunc quoque non immerito Sanctis Eugubinis adſcribimus, quem primo conſtat eremiticam vitam coluiſſe in eremo Luceolana, tum aliquamdiu etiam degiſſe apud monaſterium S. Aemiliani in valle Conjunctuli, denique in monaſterio Avellanenſi ſub S. Petri Damiani diſciplina diu vixiſſe, quae loca omnia ſunt in dioeceſi Eugubina. Ejus nuper vitam copioſe illuſtratam edidit Octavius Turcius Canonicus Piranus Romae apud Antonium de Rubeis anno MDCCXLIX.

X.

I. S. FELICISSIMUS. Eſt S. Feliciſſimi celebris memoria apud Eugubinos, & Nucerinos. Utrobique vetus eſt eccleſia Feliciſſimo dicata, in qua ejus corpus conditum dicitur. Eum Nucerini cum S. Raynaldo patronum civitatis venerantur. Jacobillus de Nucerinorum Feliciſſimo non pauca ſcribit ad XV. Julii diem. Eſt ejus etiam elogium apud Ferrarium, quem totidem verbis exſcripſerunt Bollandiani (*b*), quibus nihil melius de S. Feliciſſimo expiſcari licuit. Sed eumdem eſſe Feliciſſimum, quem Nucerini, atque Eugubini colunt, negat fidenter Jacobillus. Habent etiam Eugubini

(a) *Jacobil. de ſs. Umbriae ad diem* XIII. *Febr. in vit. B. Franciſcae.* (b) *Acta ſs. ad diem XV. Julii.*

gubini narratiunculam de vita, & rebus geſtis ejus S. Feliciſſimi, cujus corpus ſe poſſidere gloriantur. Eam mihi communicavit humaniſſimus Repoſatus. Atque ejus quidem auctor in ea opinione fuiſſe videtur, ut unus idemque fuerit Feliciſſimus in Nucerina, & Eugubina eccleſia cultus. In eam ego ſententiam libentius iverim, ut pars ejuſdem corporis S. Feliciſſimi apud Eugubinos, pars apud Nucerinos ab antiquiſſimis temporibus depoſita jacuerit, de cujus vita, cum nihil certi compertum eſſet, facile fuit, tum apud Nucerinos, tum apud Eugubinos, ſequiori aevo, aliquid confingere, & in vulgus emittere. Certe quae a Ferrario, & Jacobillo narrantur, nullis ſatis certis monumentis nituntur.

II. Ejus eccleſia a civitate diſtat paſſibus circiter mille, ac tota eſt ex antiquorum aedificiorum reliquiis compacta, & ipſi admodum antiqua. S. Ubaldi tempore, qui eam inſigni privilegio ornavit, ſacerdotum collegio illuſtris erat, quod oſtendit S. Feliciſſimi memoriam jam tum apud Eugubinos celebrem admodum fuiſſe. Nunc monaſterio Divi Petri addicta eſt, & fere deſerta. Dolendum ſane ita priſtinam religionem erga ſanctum Feliciſſimum obſoleviſſe, ut ne in ipſa quidem eccleſia ejus feſtum ullo anni die celebretur, ſi quidem vera nunciarunt ii, quos hac de re ſciſcitatus ſum.

III. Anno MDCCVII. ad diem VII. Kal. Mar. ſacra Feliciſſimi lipſana, quae in ejus eccleſia condita ſunt, rite recognita fuere ab Caſtore Nutio patricio Eugubino, abbate S. Donati, & vicario capitulari eccleſiae Eugubinae paſtore carentis ob deceſſum Sebaſtiani Pompilii Bonaventurae. Is enim rogatus ab Hippolyto Vagnotio monacho Montis Oliveti, monaſterii Eugubini camerario, cum ad eccleſiam Divi Feliciſſimi acceſſiſſet, aperta grandi arca ex rudi marmore, quae ſub ara majore ejus eccleſiae antea latuerat, ligneam capſulam in ea reperit, longam pedem unum ſemis, latitudine ſemipedali, ligneo item operculo clauſam, ferroque munitam, in qua erat ligneum vaſculum rotundum, in ſciphi modum conformatum, circa quod haec erant inſcripta SCI FELICISSIMI MERITA. Erant in eo vaſe nonnulla oſſa, & aliquanto etiam plura extra ipſum in lignea capſula, quibus & cineres, & tria thuris grana admixta erant. Atque haec omnia velo ſerico rubeo in duas partes ſciſſo, & vetuſtate corrupto involvebantur, & locata erant ſupra album linteamen ſubobſcuris lineis & punctis variegatum, quod fundum arcae marmoreae tegebat. Quae cum diligenter inſpecta fuiſſent, rurſum intra capſulam ligneam, ubi antea fuerant, condita ſunt, & capſula ipſa rite clauſa & obſignata. Eſt etiam intra eamdem arcam mar-

cam marmoream reperta exigua quaedam arcella, item ex marmore, quae ad uſum altaris portatilis facta videbatur, in qua nonnulla oſſa erant, quae ſubinde clauſa eſt & obſignata, & condita in ligneo gradu, qui eſt ſupra aram de vultus ſancti nomine in eadem eccleſia dictam. Interfuere his omnibus, praeter Vagnotium monachum, Jo. Baptiſta Vulpius canonicus Eugubinus, & Sebaſtianus Peroſinius presbyter item Eugubinus, ut ex publicis tabulis ab Antonio Ghigio notario, & cancellario capitulari conſcriptis.

IV. Dum audis hic *S. Feliciſſimi merita*, ſacra ejus lipſana, ſeu reliquias intellige. Id quippe ea vox olim ſignificare conſuevit, ut palam fit Agnelli Ravennatis auctoritate, qui eccleſiam in honorem beati Stephani protomartyris a S. Maximiano conſtructam narrans, *aedificavit*, inquit, *eccleſiam B. Stephani .... multaſque reliquias ibidem condidit de ſanctorum corporibus, quorum nomina ita exarata invenietis*. Pergit porro, paucis interjectis, in hunc modum: *collocavit autem hic merita apoſtolorum, & martyrum, ideſt S. Petri, S. Pauli, S. Andreae .... S. Stephani* &c. (a). Sunt igitur apoſtolorum, & martyrum *merita* eorumdem reliquiae, quod idem S. Maximianus ſignificare voluit iis verſibus, quos in arcu maximo tribunae ejus eccleſiae inſcribendos voluit, quorum primus hic eſt:

Templa micant Stephani meritis, & nomine ſacra.

In eamdem quoque ſententiam vocem hanc uſurpatam memini in diplomate S. Henrici Imperatoris edito in antiquitatibus Fuldenſibus, quae quidem animadvertiſſe juvat, quoniam inſueta haec illius vocis ſignificatio Cangium fugit.

XI.

B. FELIX a Sancto Gratali, Antonii Mariotti filia, annos quatuordecim nata in parthenone S. Spiritus ſe Deo dicavit anno MCDLXXIII., in quo annos ſeptem & triginta ſanctiſſime tranſegit. Ejus mira fuit patientia in perferendis infimitatibus, quibus propemodum omni vitae ſuae tempore afflicta fuit. Solebat autem ſponſi ſui roſas appellare acerbiſſima ulcera, quibus toto corpore cruciabatur. Spiritum diutina exercitatione expurgatum Deo reddidit anno MDX. VIII. id. Maii, tantaque populi frequentia fuit ad ejus corpus viſendum, ut vix poſt dies ſeptem potuerit ſepultura donari, quo quidem temporis intervallo plura ejus ope miracula divinitus

(a) *Agnel. edit. Bacchin. P. II. p. 88. 89.*

nitus patrata dicuntur. Hae ex Cantalmadii ſchedis (*a*).

XII.

B. FORTIS. Inter antiquiores illos Avellanenſis inſtituti eremitas floruiſſe dicitur B. Fortis, & diem clauſiſſe extremum ſolitario loco in apenini jugis ſupra Schiggiam, viae Flaminiae vicum, ad annum MXL. Eſt ejus corpus incorruptum in cathedrali aede, ubi anno MDCCXL. ejus ſaeculare ſacrum ingenti apparatu celebratum eſt a Gabrielliis, qui nobiliſſimae familiae ſuae praeclarum hunc alumnum vindicant, & nunc magno ſtudio agunt, ut ejus cultus auctoritate apoſtolica confirmetur. Totus eſt in ea re procuranda Fortis Gabriellius Valletta comes, patricius Eugubinus, & Setinus, ex cujus humaniſſimis literis intelligo cauſam felici omine coeptam, feliciorem exitum protendere. Et ſane antiquum omnino eſſe cultum B. Fortis in eccleſia Eugubina oſtendunt in primis acta viſitationis Mariani Sabelli epiſcopi, quae in cathedrali aede exiſtentia ſacra lipſana recenſent, atque in iis *corpus B. Fortis* (*b*).

XIII.

B. FRANCISCUS NANNIUS patria Senenſis, quem congregatio canonicorum regularium S. Salvatoris quaſi parentem alterum cum B. Stephano Agazario item Senenſi agnoſcit. Laboribus innumeris, & poenitentiae exercitationibus fractus, Fabriani vitae curſum complevit. Sed pii ſodales obtenta eremo D. Ambroſii, prope Eugubium, ſacra ejus oſſa ibidem collocarunt, ubi ad hanc diem quieſcunt. De illo Signius, Mozzagrugnus, aliique ſcriptores congregationis Rhenanae. Ejus auſterioris vitae ſtudium commendat auctor Italici carminis ſaepe laudati eo verſu:

Beato Nanni con la fruſta in mano.

XIV.

B. FRANCISCUS. In aede S. Auguſtini quieſcit B. Franciſcus Auguſtiniani ordinis profeſſor, quem paucis verbis non parum laudat auctor Italici poematis, cujus verſus initio hujus capitis attulimus. Ejus quoque memoriam celebrat ſtatutum Eugubinum, ubi eum

(a) *Exſtant in archiv. Arman Eugub.* (b) *Acta Viſit. an.* MDLXXVII. *in cancellar. ep. Eugub.*

bi eum appellat juris utriuſque doctorem. Talem fuiſſe oportet antequam Auguſtinianum inſtitutum amplecteretur. Sed fortaſſe ejus ordinis oblatus, ut ajunt, potius quam profeſſor eſt dicendus, atque huc facere videtur, quod ab Herrera in Alphabeto Auguſtiniano (*a*) ordinis Auguſtiniani *Mantellatus* dicitur. Eum Herrera non ampliore quam *venerabilis* appellatione condecorat, ſed in Italico poemate toties jam nominato *beatus* aperte dicitur, licet ejus auctor fateatur populari potius appellatione, quam Sedis Apoſtolicae decreto talem nuncupari.

X V.

B. FRANCISCA. Franciſca e caſtro Durantino, a Federico Urbinatium principe adhibita ad reſtituendam ſanctimonialium diſciplinam, de qua plura Jacobillus ad diem III. Febr. Beatam appellat, & obiiſſe dicit anno MCDLXXXIV. cum celebri S. Spiritus parthenoni praefuiſſet annos XIX.

X V I.

B. FRANCISCHINA. Scriptores Seraphici ordinis Arturus A monaſterio ad diem IV. Martii, Toſſinianus T. I. hiſt. Seraphic. &, ceteris omiſſis, Wadingus in annalibus ad annum MCCLV. (*b*) B. Franciſchinam memorant Eugubii natam, ibique tertium ordinem S. Franciſci profeſſam, ubi miraculis clara obierit ad annum MCCLV. Bollandiani de ea agunt ad diem VI. Februarii, eamdemque eſſe exiſtimant cum B. Franciſca, pariter Eugubina, idemque inſtitutum profeſſa, de qua Franciſcani ſcriptores agunt. Sed temporis ratio non conſtat; haec enim vixiſſe dicitur ad annum MCCCLX. (*c*) illa autem obiiſſe ad annum MCCLV. (*d*). Hinc non uno die utraque memoratur ab agiologis Franciſcanis, & altera quidem ſecundum, altera tertium S. Franciſci ordinem profeſſa dicitur. Conditum eſt B. Franciſchinae corpus Eugubii ad Divi Franciſci ſub ara S. Carolo Borromaeo ſacra, ut monuit Repoſatus.

X V I I.

B. FRANCISCA. Ea ipſa eſt, quam Bollandiani a B. Franciſchina

(a) *Lit. F. p.* 2. 237. (b) *Wading. ad an.* MCCLV. *n.* XIX. (c) *Wading. ad an.* MCCCLX *n.* III. (d) *Wading. ad an.* MCCLV. *n.* XIX. *cit.*

Digitized by Google

ciſchina non diſtinguunt, de qua modo diximus, ſed diverſa tamen videtur ex dictis. Haec tamen ſubtilius diſquirenda aliis libenter relinquimus.

XVIII.

B. JANUARIA. Inter praetermiſſos, aut in alios dies rejectos nominatur a Bollandianis ad diem XXIV. Martii B. Januaria. Narrat Lancellottus (*a*), ex chronico Gvaldenſi, matrimonio junctam fuiſſe cum B. Sperandeo, cum quo tamen virginitatem integerrimam ſervaverit. Cum is monachum induiſſet ad Divi Petri, Januaria ſacrarum virginum collegio, quod de paradiſi nomine dicebatur, extra urbis moenia ad portam marmoream ſe adjunxit, ubi ſancto fine quieviſſe dicitur ad annum MCCCVIII. XVI. Kal. Febr. Poſtremum hoc de die, & anno emortuali Januariae excepiſſe ſe dicit Lancellottus ex libro manu exarato, qui in parthenone Eugubino S. Spiritus aſſervatur. At monet humaniſſimus Repoſatus in chronico MS. ejus monaſterii B. Januariam mortuam dici anno MCCXCIII. quod ſe legiſſe confirmat etiam in Catalmadii ſchedis, in archivo Armanno aſſervatis. Jacet ſanctum ejus corpus incorruptum in ipſa S. Spiritus eccleſia, prope aram maximam ad cornu evangelii, & venerationi fidelium quotannis exhibetur, & palam oſtenditur tertio Pentecoſtes die. Multa de hac illuſtri virgine in chronico MS. S. Spiritus, cui monaſterio vetus illud de paradiſo dictum, adjunctum eſt. Januariam contribulem ſuam illuſtri elogio ornat Thomas Bozius de ſignis eccleſiae Dei (*b*).

XIX.

S. JOANNES LAUDENSIS. Inter epiſcopos Eugubinos ſanctitate illuſtres inſignis eſt S. Joannes Laudenſis. Ejus acta genuina, ab auctore ſynchrono ſcripta ex antiquo codice aliquot ab hinc annis edidi, & illuſtravi, prout vires ingenii mei ſiverunt. De eo rurſus agendum erit ſuo loco inter ceteros antiſtites Eugubinos.

XX.

Ss. MARIANUS, ET JACOBUS. Horum martyrum corpora, vel certe magna corporum pars, ſub ara maxima eccleſiae cathedra-

n

[a] *Lancellot. Hiſtor. Olivet. ubi de monaſt. Eugub.* [b] *Bozius de ſignis eccleſ. Dei To. II. fgn. 66. l. 15.*

thedralis Eugubinae, quae iis dedicata est, religiose servatur. De iisdem nonnihil supra diximus ubi de ipsa cathedrali ecclesia.

XXI.

B. MARGARITA. Commendatur in Italico poemate saepius laudato una cum B. Januaria, non quod in eodem monasterio vixerint, aut eorum corpora eodem loco quiescant, sed quod utraque extra urbis moenia condita sit. Jacet ibidem ad hanc usque diem hujus beatae Virginis corpus ad Divi Secundi in sacrario, sed de ea nihil aliud rescire licet, quam ceteroqui satis illustrem, & claram fuisse oportet saeculo XV., cum Italicum illud poema scriptum est.

XXII.

S. PETRUS DAMIANUS. Neque hic patria Eugubinus, neque apud Eugubinos obiit; sed potissimum tamen locum obtinet inter sanctos viros in ecclesia Eugubina illustres, nam & majorem vitae suae partem in eremo Avellanensi transegit, & ipsum Avellanense institutum mirum in modum amplificavit, & ecclesiam Eugubinam a Romanis Pontificibus commendatam habuit, ut ipse testatur in epistola ad Alexandrum II. (*a*). Neque dubium est, quin laborarit plurimum in reformatione cleri Eugubini, qua de re dictum est supra (*b*). Hinc merito auctor Italici poematis, toties laudati, eum in primis commemorat inter sanctos Eugubinorum patronos.

XXIII.

B. PETRUS. Floruit B. Petrus inter primos sodales Eremitani ordinis S. Augustini, quo tempore collectis varii instituti eremitis, curante Innocentio IV. hic ordo in unum coaluit. Atque ejus quidem corpus integrum, & corruptionis expers apud sui ordinis sodales, qui Eugubii sunt ad divi Augustini, honorifice asservatur, & populo spectandum ostenditur quotannis feria III. majoris hebdomadae. Ceterum de ejus gestis nihil ad nos pervenit frustra inquirentibus, & sui ordinis scriptoribus, & sociis Bollandianis, qui de eo agunt ad diem XXIII. Martii. Quae autem de eo apud Jacobillum leguntur, nec magni momenti sunt, nec vera judicantur a Bollan-

[a] *S. Petr. Dam. lib. I. ep. XIV.* [b] *Cap. V.*

Bollandianis, qui, ne illud quidem probant, quod quidam ajunt, Petrum generalem praefectum Eremitano ordini praefuiſſe. Quieſcebat olim ſanctum ejus corpus ſub ara Samaritanae appellata, unde translatum eſt ad aram S. Thomae Villanovani magnificentius exſtructam anno MDCLXVI.

XXIV.

S. RAYNALDUS EPISCOPUS NUCERINUS. Celeberrimum hunc Nucerinorum antiſtitem & patronum nemo non aequo animo patietur inter S. Eugubinos recenſeri, quippe qui in monaſterio Avellanenſi diu vixit, & congregationem ipſam Avellanenſem moderatus eſt, antequam ad infulas Nucerinas aſſumeretur. De eo non perfunctorie agam in antiquitatibus Avellanenſibus.

XXV.

S. RAYNERIUS ARCHIEPISCOPUS SPALATENSIS, ET MARTYR. Quo jure monachos S. Crucis fontis Avellanae ſanctitate celebres Eugubinis adjungimus, eodem licebit huc inducere S. Raynerium, ex monacho Avellanenſi primo epiſcopum Callienſem, tum archiepiſcopum Spalatenſem, & martyrem, qui ſaeculo XII. floruit, de quo Bollandiani ad diem IV. Aug. Eum nullo ſanctitatis titulo ornat Ughellus in epiſcopis Callienſibus, nec ullus ei cultus apud Callienſe ipſos. De eo mihi agendum erit in antiquitatibus Avellanenſibus.

XXVI.

I. B. SANTUCCIA. B. Santucciae nomen olim celeberrimum fuit, ob inſtitutam ſanctimonialium congregationem ſub regula S. Benedicti, ſecundum inſtitutiones B. Sperandei, de quo poſtea dicemus. Prolixam ejus vitam conſarcinavit Jacobillus ad diem octavam Septembris, ex variis monumentis, undecumque collectis, quibus digerendis nullum adhibuit judicium, multaque de ſuo infarſit, quibus totam narrationem ſuſpectam reddidit. Non vacat ſingula excutere, & ad trutinam revocare, quod inſtituti mei ratio non patitur. Bollandiani quoque hujus beatae feminae acta producunt ad diem XXI. Martii, quo migravit ad ſuperos. Sed haec etiam recenti opera collecta ſunt ex monumentis, in monaſterio Romano S. Mariae in Julia, nunc S. Annae de Funariis appellato, aſſervatis, ubi diu Santuccia floruit, & diem extremum ſanctiſſime clauſit; nec du-

bito quin potuiſſent accuratius, & uberius eſſe ſcripta. Adhuc igitur expectat haec illuſtris Benedictini inſtituti propagatrix diligentem, & ſolertem auctorem, qui ejus acta, & memoriam illuſtret, & hiſtoriam Santuccianae congregationis, ab ea inſtitutae, ab oblivione vindicet. Ad id autem magno adjumento eſſe poſſent antiqua monumenta, ſane plurima, ad B. Santucciam, ejuſque congregationem ſpectantia, quae nuper vidi apud virum clariſſimum Petrum Paulum Ginannium abbatem S. Vitalis, & in ſua Caſinenſi congregatione ob primaevas dignitates cum laude geſtas, & in literaria republica ob multiplicem eruditionem notiſſimum. Ex iis nonnulla delibavi, eo benigniſſime annuente, quae hic libenter proferam.

II. Ac primo quidem religioſae vitae tirocinium ejuſmodi poſuit Santuccia. Rerum humanarum pertaeſa cum marito ſuo, de cujus nomine nihil explorati habeo, ad celebre Divi Petri monaſterium ſe recepit, ibique aliquamdiu vixit, ejus loci abbati ſubjecta, quin tamen ulli religioſo ordini nomen dederit. Oblatos appellabant id genus homines, quorum ingens erat numerus ſaeculo potiſſimum XIII. & XIV. Poſt autem, cum perfectius aliquod vitae genus amplecti cuperet, permiſſu epiſcopi Eugubini, ſibique adjunctis quibuſdam aliis ejuſdem propoſiti foeminis, monaſticum habitum ſumpſit, & S. Benedicti regulam profeſſa eſt, ſub diſciplina B. Sperandei, Benedictini inſtituti reſtauratoris in patria ſua clariſſimi. Primum ſibi, ſuiſque ſociabus domicilium de ſuo conſtruxit, loco ſolitario, & ab urbe remoto, in vertice montis, quem ex nomine filiorum Hugonis appellabant. Haec, opinor, fuere Santuccianae congregationis primordia, quae alibi poſtea cum in Eugubina, tum in aliis dioeceſibus propagata eſt, ipſius Santucciae opera, quae plura ejuſdem inſtituti, variis locis monaſteria excitavit.

III. Interim abbas Divi Petri, qui Santucciam ab ſe diſcedere permiſerat, & novum illud ſeceſſum in monte filiorum Hugonis ſibi conſtruere, & alias etiam ſui inſtituti colonias deducere tacitus viderat, tandem neſcio quo ſpiritu ductus, eam ad ſe revocare inſtituit, & quaſi contra priſtini ſacramenti religionem, Divi Petri monaſterium deſeruiſſet, anathemate perculit. Hic vero Santuccia ad Rodulphum cardinalem, epiſcopum Sabinenſem, & majorem poenitentiarium acceſſit, ad quem, cum nihil ſe, niſi majorem animae ſuae profectum, Deique gloriam, cum in ſua illa diſceſſione a monaſterio Divi Petri, tum in novo montis Hugonis, ceteriſque poſtea monaſteriis condendis ſpectaſſe, nihilque a ſe niſi optima fide geſtum eſſe ſignificaſſet, petiiſſetque, uti ſe a priſtina religione, ſi qua teneretur,

neretur, erga abbatem Eugubinum, abſolveret, annuit Rodulphus, ac datis literis epiſcopo Camerti pro poteſtate mandavit, ut Santucciam abſolveret, ſuaque ſententia eam ab omni abbatis juriſdictione immunem, atque liberam declararet. Earum ego literarum exemplar vidi apud clariſſimum Ginannium, quem hic rurſum honoris cauſa nominatum volo. Atque in his quidem literis ſingula narrantur, quae hucuſque de Santuccia dicta ſunt, quae literae cum datae ſint anno MCCLXVI. (*a*) multo ante eum annum figenda ſunt Santuccianae congregationis initia, praeſertim cum iiſdem in literis Santuccia dicatur primum *aliquamdiu vixiſſe ad Divi Petri* (*b*), tum *per plures annos* in monte filiorum Hugonis degiſſe (*c*) & *poſtmodum in diverſis dioeceſibus quaedam loca conſtruxiſſe* (*d*), quibus condendis non minimum temporis ſpatium impendi oportuit.

IV. Non eſt autem cur quis dubitet, quin Santuccia B. Sperandei inſtitutum initio ſuſceperit in monte filiorum Hugonis, atque illud alibi poſtea propagaverit. Quamvis enim in memoratis Rodulphi Sabinenſis epiſcopi literis altum de Sperandeo ſilentium ſit, & Santuccia dicatur *in manibus cujusdam religioſi regulam S. Benedicti* profeſſa eſſe, & *habitum religionis* aſſumpſiſſe; id fortaſſe factum eſt, quod Sperandeus adhuc eſſet in vivis, nec propterea nominandus videretur, quaſi novi inſtituti auctor. At enim vero Santuccia ipſa cum ſuis ſodalibus, ſe vivere profitebatur ſecundum regulam S. Benedicti, & *vitam ſanctae memoriae fratris Sperandei*, quem ſucceſſu temporis & beati, imo & ſancti titulo decoratum diximus (*e*). Hinc autem manifeſtum eſt, Sperandeum ipſum per id tempus, quo Santuccia congregationi ſuae amplificandae intenta erat, abbatem Eugubini monaſterii divi Petri non fuiſſe, ſecus ac Jaco-

[a] *Dat. Peruſ.* XII. *cal. jan. pontific. Clementis* IV. *a.* I. [b] Ipſa olim religioſe vivere proponens, una cum viro ſuo ad monaſterium S. Petri, obedientia eidem abbati facta, perrexit, & ſine ulla approbata religione aliquamdiu ibi vixit. *Ex lit. Rodulphi Sabinen. ad ep. Camert.* [c] Poſtea cupiens ſuam vitam mutare in melius, & ſub religionis habitu perpetuo Domino famulari, in domo quadam, ſita in vertice montis filiorum Hugonis Eugubinae dioeceſis, quam ipſa de aſſenſu ven. P. Eugubini epiſcopi propriis conſtruxerat ſumptibus, cum quibuſdam aliis ſororibus in manibus cujuſdam religioſi regulam B. Benedicti ſervare promiſit, & ab eo habitum religionis aſſumpſit, & jam per plures annos vixit ibidem laudabiliter ſub eodem habitu regulari. *Ex lit. cit.* [d] Et poſtmodum cum Dei adjutorio in diverſis dioeceſibus quaedam loca religioſa conſtruxit, in quorum quolibet plures religioſae mulieres ſub iiſdem habitu, & regula virtutum Domino famulantur. *Ex lit. cit.* [e] *In actis comitiorum generalium congregationis Santuccianae celebratis Arretii poſtridie Kal. Mali An.* MCCLXX. *Santuccianae ipſae moniales dicuntur ordinis S. Benedicti, & vitae fratris, quondam celebris memoriae Sperandei. Ea acta vidi apud Cl. Ginannium. Vide & infra in adnotatis ad §.* VII.

Jacobillo eſt viſum (*a*). Haec enim duo conciliari non poſſunt, ut quem auctorem, & ducem ſancti ejus inſtituti capeſſendi habuerat, eumdem adverſarium acerbiſſimum in eo propagando pateretur.

V. Santuccia igitur, ſublata abbatis Eugubini moleſtia, libere potuit novis monaſteriis condendis, ceteriſque, quae condita fuerant, regendis ſe totam impendere. Ea enim fuit primaeva Santuccianae congregationis forma, ut non modo ſingula monaſteria iiſdem legibus, & inſtitutis viverent, ſed omnia communi quodam vinculo inter ſe continerentur, atque in unum corpus coaleſcerent, quod a ſuprema una moderatrice gubernaretur, ad eum modum, quo plerique religioſorum hominum ordines, aut congregationes ſub uno capite, ac generali praefecto militant. Abbatiſſa generalis ea dicebatur, quae Santuccianae congregationi univerſae praeerat, atque ejus erat ſingula monaſteria ſtatis temporibus viſitare (*b*), ſontes ſodales corrigere, comitia generalia, ubi opus eſſet, indicere, iiſque, ut opinor, praeſidere, ac cetera decernere, quae ad ejus ordinis diſciplinam pertinerent. Geſſit id munus quoad vixit Santuccia ipſa, quae tandem, aucta jam mirum in modum, & florente congregatione ſua, migravit ad ſuperos die XXI. Martii anno MCCCV. in monaſterio Romano S. Mariae in Julia, nunc S. Annae de Funariis appellato, quod ipſa congregationi ſuae adjunxerat anno MCCXCIII. concedentibus Templariis, quorum jus ſummum erat in illud monaſterium.

VI. Eſt apud clariſſimum Ginannium exemplum ejus epiſtolae, quam Donata prioriſſa ejus monaſterii, & totius congregationis vicaria generalis perſcripſit, ut univerſae congregationi obitum Santucciae nunciaret, & ſingulorum monaſteriorum abbatiſſas convocaret ad generalem conventum, in quo & nova crearetur antiſtita, & communi conſilio de aliis, quae ad Congregationis ſtatum pertinerent, deliberaretur. Itaque Romam frequentes convenerunt ad comitia exeunte Majo ejuſdem anni, ac primo loco irritarunt decretum, in comitiis Arretii celebratis anno MCCLXX. editum, quo cautum erat, ut abbatiſſa S. Mariae in Aſio Pozzogemoli in agro Eugubino, eſſet ſuprema moderatrix, & monaſterium ipſum totius ordinis caput haberetur. Hic porro primatus ei monaſterio abrogatus eſt, ob eam in primis cauſam, quod incommodo loco ſitum eſſet

[a] *Jacobill. vit. B. Speraudei To. 1. Ss. Umbriae pag.* 78. [b] A. MCCCVI. Id April. Clemens V. mandat generali abbatiſſae Santucciarum, ut ſui ordinis monaſteriis viſitandis incumbat, non obſtante Bonifacii VIII. conſtitutione. *Ex Cl. Ginannii ſchedis.*

eſſet ad generales conventus habendos. Itaque id honoris monaſterio S. Mariae in Julia decretum eſt, & omnium ſuffragiis ſancitum, ut deinceps ejus monaſterii abbatiſſa univerſo ordini praeeſſet.

VII. His porro comitiis interfuerunt, praeter vicariam generalem, abbatiſſae plures aliorum monaſteriorum, ſive earum procuratrices, ſcilicet S. M. Magdalenae in Curte Flavia Callienſis dioeceſis, S. M. Magdalenae prope Peruſium in Bulgatiano, S. Mariae novae prope Ariminum ad pontem Maſdegnae, S. M. Magdalenae de Maſſa S. Cerbonii ad Roccam Falconis, S. M. Vallis viridis prope Arretium, S. Mariae Magdalenae prope arcem Cortonae Arretinae dioeceſis, S. M. Magdalenae prope muros Burgi S. Sepulchri, Ss. Jacobi, & Philippi prope muros civitatis Caſtelli, S. Matthiae apoſtoli, & S. Mariae Vallis viridis Caeſenae, Ss. Jacobi, & Philippi apud Forum Livii in via Ravaldina, S. Mariae Vallis viridis Mutinae, S. Benedicti prope caſtrum Montis Falchi Spoletanae dioeceſis, S. Bartholomaei apud Saxoferratum Nucerinae dioeceſis, S. Mariae de Via nova prope caſtrum Coſtacciarium Eugubinae dioeceſis (*a*), & S. Mariae prope Faventiam, quibus ſi addas procuratricem monialium S. Mariae in Julia, in quibus conventus iſte celebrabatur, habebis ſeptemdecim tantum monaſteriorum Santuccianas ſuffragii ferendi cauſa ad conventum iſtum confluxiſſe.

VIII. Sed erant alia monaſteria ejuſdem inſtituti non pauca, quorum abbatiſſae, neque ipſae per ſeſe, neque per procuratrices a ſe delectas, cum ceteris coiverunt. His fortaſſe non placebat monaſterium Eugubinum S. Mariae in Pozzogemolo e gradu deici, & Romanum S. Mariae in Julia ceteris anteferri, atque ita priſtinum ordinis ſtatum, in conventu Arretino compoſitum, turbari. Et ſane, neque ex eo monaſterio Pozzogemoli, neque ex eo, quod in monte filiorum Hugonis omnium primum conditum diximus, neque ex Fabrianenſi S. Andreae de Vineis, neque ex aliis, quae tum Eugubii, tum Romae, & aliis locis ſita erant Santucciarum monaſteria, ad ea comitia itum eſt. Num autem ea monaſteria ſubinde cum ceteris coaluerint, & quibus de cauſis ea congregatio, quam multis ſaeculis poſt illud tempus floruiſſe conſtat, tandem diſſoluta, & extincta ſit, diutius inquirere non vacat.

IX. Sed

(*a*) Venerabilis religionis dominae, honeſtae matronae ſanctimoniales de regula B. Benedicti, & vitae quondam ſanctae memoriae fratris Sperandei, & ordinis Santucciarum, videlicet domina ſoror Donata de Aritio vicaria generalis, loco abbatiſſae totius ordinis &c. *Ita incipiunt acta conventus Romae habiti in monaſterio S. Mariae in Julia apud clariſſimum Ginannium.*

IX. Sed hic tamen notare juvat insigne Archangeli Gianii erratum, qui in prima centuria annalium ordinis fratrum servorum B. M. Virginis, suo ordini adjudicat congregationem Santuccianam (*a*), eo scilicet argumento permotus, quod Santuccia primas instituti sui socias *S. Mariae servas* appellaret. Et Gianius quidem aliqua fortasse venia donandus videretur, nisi Aloysius Maria Garbius in suis adnotationibus, & castigationibus ad annales sui ordinis indicasset, quo ex fonte ea petita essent, quae de B. Santuccia a Gianio dicuntur. Ait enim ea in primis accepta esse ex monumentis monasterii Romani S. Annae de Funariis, quod illud ipsum est, olim S. Mariae in Julia nuncupatum (*b*). At ejus monasterii monumenta, quorum aliqua, a clarissimo Ginannio communicata, jam indicavimus, aperte demonstrant Santuccianam familiam sub regula S. Benedicti, & institutis B. Sperandei militasse. Non potuit ergo Gianius ex iis monumentis colligere Santuccianas sorores ad suum ordinem servorum B. Mariae pertinere. Erat igitur a Garbio emendandus Gianii error, non autem suo calculo confirmandus.

XXVII.

I. S. SPERANDEA. Cum haec jam praelo parata essent, prodiit III. Tomus Septembris Bollandiani, in quo ad diem XI. ejus mensis de S. Sperandea Cingulanorum patrona agitur. Sed dolet merito Cl. Constantinus Suyskenus, unus ex sociis Bollandianis, qui hujus beatae ascetriae memoriam illustravit, genuina ejus acta ad se non perveniisse, quam jacturam deploratam ait a Tito Franceschinio, qui ex variis monumentis collectam S. Sperandeae vitam Italice edidit anno MDCII. (*c*) Itaque integris, & incorruptis actis destitutus, edidit Suyskenus *vitam mutilam*, cujus geminum apud se exemplar exstare ait, alterum ab altero non nihil diversum. Hymnum quoque, sive sequentiam edidit, olim fortasse in Missa recitari solitam, quae ex eadem illa *vita mutila* expressa est, adjecta ad calcem plurium miraculorum narratione, quae S. Sperandeae patrocinio patrata sunt. Denique vitam commemorat Suyskenus, ex eodem Franceschinio, annis ducentis post sanctae virginis obitum, ab auctore non parum imperito, metrice scriptam, cujus ipse jacturam minimi facit (*d*). Nihil attinet dicere, quam accurate cetera expendat vir doctissimus, quae ad S. Sperandeae memoriam pertinent,

(a) *Annal. Servor. Centur.* 1. *l.* VI. *c.* IV. (b) *Adnot. in cap.* IV. *cit.* §. 6. (c) *Acta Ss. Sept. To.* III. *de S. Sperand. §.* 1. *n.* 5. (d) *Loc. cit. n.* 8.

tinent, tum in praelongo commentario praevio, tum in adnotatis ad ejus acta ab ſe edita.

II. Neque etiam dubito, quin magis ipſe ſibi placuiſſet, ſi antiqua S. Sperandeae acta, utcumque mutila, habuiſſet in promptu, qualia olim a Franceſchinio viſa ſunt. Eorum ego exemplar nuper nactus ſum a viro nobiliſſimo, nec humanitate minus, quam eruditione commendando, Franciſco M. Raphaelio, patricio Cingulano, & Eugubino, qui ea diligentiſſime exſcripſit ex vetuſto codice membranaceo ſecretioris archivi communis Cingulanorum (*a*). Ea hic edere operae pretium fuerit, ex hoc enim fonte reliqua manarunt. Hinc enim fluxerunt quae a Franceſchinio ſcripta ſunt: hinc hymnus ille, quem ſupra commemoravimus: hinc denique *vita mutila* a Suyskeno edita, quam ſi quis cum hiſce actis contulerit, non alia re comperiet ab iis differre, quam quod, cum acta ipſa ſimplici, verius dicam, rudi, & plane impolito, ac barbaro ſermone ſcripta ſint, vita a Suyskeno edita, minus incompto ſtilo procedat. Dempto enim brevi prologo, quem novus iſte ſcribillator initio praefixit, idem utrobique rerum ordo, idem exitus, vel potius nullus utrobique exitus; tam enim acta illa antiqua, quam novus hic foetus mancus eſt, & imperfectus; ſed illa vetera acta ſua ſe ſimplicitate commendant, cum Suyskeni vita nullibi non lectorum animos offendat. Ita enim factum exiſtimo, ut cum acta illa antiqua in ſcioli cujuſpiam manus veniſſent, dilicatulus iſte, qui tantam ſcriptionis barbariem ferre non poſſet, de illis perpoliendis cogitaverit. Sed, ut erat in veteri ſcriptura legenda imperitus, non uno in loco ceſpitavit, veramque ſententiam non eſt aſſecutus. Saepe etiam judicio eſt lapſus, pluraque intervertit, mutilavit, & corrupit. Omiſit etiam nonnulla, quae ad ejus ſtomachum non faciebant. Verbo dicam: cum acta haec ſanare cogitaret, foedavit miſerrime, ut non mirum ſit ea a Cl. Suyskeno parvi habita fuiſſe.

III. Sed pluribus verbis opus non eſt; ipſa enim primigenia, & antiqua acta, quae hic in lucem nunc primum emittuntur, inepti illius grammaticuli inſcitiam ſatis per ſe oſtendunt. In iis noſtrae virginis religioſiſſimae nomen non aliud eſt, quam *Spera in Deo*. In eumdem modum effertur in narratione miraculorum, quae paulo poſt ejus obitum patrata ſunt, quae narratio actis ipſis, mox edendis, ſubjecta eſt in codice Cingulano. Non videtur igitur dubitandum, quin ejus verum, ac primigenium nomen hoc ipſum ſit,

(a) *Lib.* 11. *Miſcellan.*

quamquam Suyskeno ſecus videatur. Sed quoniam uſus jam obtinuit, ut Sperandea, noſtris vulgo *Sperandia*, vocetur, commodiorem hanc ejus nominis conformationem non eſt cur rejiciam.

IV. Quod ſi de auctore quaeras horum actorum, non diſplicet quod Franceſchinius ſuſpicatur, ea ſcilicet a Sperandea ipſa conſcripta fuiſſe. Movetur Franceſchinius maxime ex eo, quod acta haec initio, & fine careant. Atque hanc quidem conjecturam non improbo, ſed validius aliquid mihi in promptu eſt, quod acta ipſa ſuppeditant. *Item oſtenſa fuit ei una menſa:* Sic habent acta ad §. V. Tum paucis interjectis: *Poſtea* AVDIVI *vocem dicentem* MIHI: *tu es electa &c.* Rurſum: *Miſit eam in unam civitatem, & audivit loquentem* MIHI: *pauci ſunt per hanc viam ambulantes.* Eadem ſyntaxis occurrit §. VI. *Item apparuit dominus crucifixus in cella &c. & dixit* MIHI: *reſpice &c.* Nemo hic non agnoſcit Sperandeam ipſam de ſe loquentem. Sic autem accidiſſe exiſtimo, ut ipſa primum, vel confeſſarii ſui juſſu, vel ſuperiori quodam inſtinctu, quae ſibi divinitus oſtenſa, & revelata fuerant, literis mandarit, quae poſtea in cujuſdam manum venerint, qui miracula plura ejuſdem meritis, atque ope geſta collegerit, & acta haec, de quibus diſſerimus, utcumque conſarcinarit. Fuit is fortaſſe frater ille Leonardus, qui ſuum nomen prodit in hiſce actis, ubi Blancae curatio narratur his verbis (*a*): *Item Blanca mulier quaedam habebat tortum os, & totam faciem, & fecit ei ſignum crucis, & liberata fuit. Et illa mulier retulit fatri Leonardo, qui hoc miraculum ſcripſit.* Sed quiſquis ille fuerit, non ipſe omnium primus S. Sperandeae viſiones deſcripſiſſe, ſed Sperandea ipſa ſcriptori huic materiam ſuppeditaſſe videtur. Et nemo ſane, praeter Sperandeam ipſam, diutinum illud commercium, quod cum ſuperis habuit, in quo tam multa, ac varia ſibi divinitus oſtenſa ſunt, tam multa Deum, ac beatos coelites, ſibi in viſu apparentes, ipſa interrogavit, tam multa ab iis reſponſa accepit, adeo accurate, ac diſtincte narrare potuiſſet. Ejus ergo commentariolum cum obtinuiſſet bonus ille vir, multa adjecit de miraculis, ea vivente patratis, plura additurus, ſi ei ſcriptiunculae manum extremam appoſuiſſet, quod fortaſſe morte praeventus non potuit. Haec ſi non undequaque vera ſunt, ad verum tamen ita videntur accedere, ut nihil veroſimilius poſſit excogitari.

V. De patria S. Sperandeae plura Cl. Suyskenus, cui nullum eſt dubium, quin Eugubii nata ſit, in quo ſcriptorum omnium, qui de illa

(a) §. XV.

de illa egerunt, mirus conſenſus eſt, idque habet ea vita metrica paulo ante indicata, quamvis altum ea de re ſilentium in actis noſtris. Sed nemo id jure miretur; ſunt enim hic quidem multa de coeleſtibus viſis, multa de Sperandeae miraculis, non pauca etiam de ſummo ejus poenitentiae ſtudio, ac praeterea nihil. Quare ne de religioſo quidem inſtituto, quod vivens amplexa eſt, quidquam ex hiſce actis conjicere licet, in quo tamen a Suyskeno non recedimus, qui eam Benedictinis noſtris adſcribit. Quod autem de ejus patria dictum eſt mirifice confirmatur ex narratione miraculoſae curationis ad ejus tumulum paulo poſt ejus obitum impetratae, in qua Sperandea, conceptis verbis, Eugubina dicitur a Golzone notario. Vide infra appendicem ad acta S. Sperandeae n. XIII.

VI. Ex his porro actis haec univerſim de Sperandeae aſceſi habemus, novennem coepiſſe divinis illuſtrationibus recreari, & excitari ad contemptum mundi. Hinc abdicatis ſaeculi pompis, poenitentiae habitum aſſumpſiſſe, quod ſaeculo praeſertim XIII. quo Sperandea floruit, uſitatiſſimum fuit, & erat quaſi quoddam veſtigium veteris canonicae poenitentiae, quam qui ex eccleſiae praeſcripto agebant, veſtem in primis mutare ſolebant. Ss. porro Dominico, & Franciſco eximiis poenitentiae praeconibus, eo turbatiſſimo ſaeculo, pium hoc inſtitutum poenitentiam profitendi, plurimum auctum eſſe non dubito. Dein patria excedens Sperandea, ex Dei monitu, homines palam coepit ad poenitentiam, & ſanctiorem vitam & voce, & auſteriſſimae vitae exemplis incitare. Nullibi certam ſedem fixiſſe videtur, ſed huc illucque, prout divino ſpiritu agebatur, commigrans, non exiguum animarum lucrum ferebat. Saepe autem ex hominum frequentia ad ſolitudinem avolabat, ſeque deſertis locis abdebat, in ſpecubus, aut cellulis peranguſtis deliteſcens, ubi quadragenarium jejunium, in ſumma auſteritate, peragere ſolebat. Atque in hoc etiam veteris anachoreſeos veſtigium non leve apparet; conſtat enim majores noſtros, qui ſolitariam vitam colebant, viros, feminaſque quadrageſimali tempore cellulis incluſos degere conſueviſſe. Idque non ſolum per quadrageſimam, quae Paſchalia feſta praecedit, quaeve ante Natale dominicum agebatur, quam de S. Martini nomine appellabant, ſed aliis quoque anni temporibus, quadraginta dierum recluſionem ſuſcipiebant, ut eo tempore orationi impenſius incumberent, ſeque ob Dei amorem ſeveriori diſciplina macerarent. De hoc veteri inſtituto, deque acerba illa poenitentium *carina*, hoc eſt quadraginta dierum maceratione, qua graviorum criminum rei exercebantur, quamque ſancti

viri, feminaeque imitari ſolebant, nonnulla dicta ſunt a me in animadverſionibus ad vitam S. Joannis Laudenſis (*a*). De cellulis vero ſolitariis, in quibus religioſae feminae, poenitentiae ſtudio addictae, degere ſolebant, quaeque ſaeculo potiſſimum XIII. & XIV. frequentiſſimae erant maxime apud Picentes, & Umbros, aliquid infra dicendum erit, ubi de Franciſco epiſcopo, qui cathedram Eugubinam initio ſaeculi XIV. adeptus eſt.

VII. Cum primum Sperandea hoc vivendi genus amplexa eſt, vix crediderim ullum peculiare inſtitutum eſſe profeſſam; non dubito tamen, quin poſtea Benedictinam regulam amplexa ſit, ſub qua nimirum ſemper floruit monaſterium Cingulanum, a Sperandea ipſa conditum, in quo obiit, & ubi ſanctum ejus corpus incorruptum honorificentiſſime colitur. Ejus monaſterii cujuſmodi initium fuerit, quoniam luculentiora monumenta non ſuppetunt, licet utcumque colligere ex antiquis tabulis, quibus deſcriptae ſunt curationes prodigioſae plures ad beatae Sperandeae ſepulchrum, paulo poſt ejus obitum, impetratae. Eas produxit Suyskenus, ſed his etiam dum imperitus aliquis veterem barbariem excutere voluit, majorem labem induxit. Ego integerrimas ab eodem Raphaelio accepi, & partem non minimam actis S. Sperandeae ſubnectam. Sic igitur in iis indigitatur novum S. Sperandeae monaſterium: *Actum Cinguli in tranſanna domus mulierum commorantium in loco, & domibus, ubi fecerat poenitentiam venerabilis mulier ſoror Spera in Deo, praeſentibus &c.* Scriptae ſunt tabulae iſtae anno MCCLXXVIII. die XVI. octobris, anno uno, ad ſummum altero, ab obitu S. Sperandeae, quam facile intelliges eo loci, ubi nunc amplum, & magnificum illud monaſterium, ex ejus nomine dictum, aſſurgit, extra Cinguli moenia, aliquamdiu conſuetis poenitentiae exercitationibus intentam conſtitiſſe, ad eamque pari ſtudio auſterioris vitae illectas, plures feminas confluxiſſe, quae Sperandeae ipſi ultro ſe inſtituendas, regendaſque tradiderint. Quod autem, non improbante Papebrochio, & Suyskeno, ceteri fere ſcriptores conſentiunt, eam B. Sperandei inſtituta ſuſcepiſſe, atque in ſuo illo Cingulano monaſterio Santucciarum congregationem propagaſſe, id eſſe admodum incertum judico. In antiquis enim monumentis Santuccianae congregationis, quae apud clariſſimum Ginannium vidi, nulla Cingulani monaſterii mentio occurrit. Atque haec quidem ad acta S. Sperandeae praefari juverit; reliqua enim de ejus religioſo cultu, deque aliis multis ad ejus

[a] *Vit. S. Jo. Laud. obſervat.* VII.

ad ejus memoriam concelebrandam, copioſe, accurateque a Suyskeno tractata ſunt, neque hic actum agere juvat. En igitur acta illa, quae dixi, in quibus edendis ab ortographia codicis Cingulani paſſim recedere oportuit, quae ipſam ſtili barbariem vincere videtur.

VITA S. SPERANDEAE

Ex antiquo codice Cingulano

I. *IN Dei nomine Amen. Cum B. Spera in Deo eſſet circiter* (a) VIIII. *annorum, Chriſtus dedit ipſi beatae Spera in Deo ſuum deſiderium, & oſtendit ſibi, ut* nudus (b) *remaneret; & revelavit ſibi, ut faceret poenitentiam. Stando ipſa una nocte* praeſenſit (c), *quod una manus coepit; & parum poſt Chriſtus fecit eam induere pannos poenitentiae* (d), *& ſtatim habuit multas tribulationes a patre ſuo, & aliis conſanguineis multis, & ipſa meditando paſſionem Domini induxit eam in abſtinentiam, & in oratione, & in caritate pauperum, & induere eam in coreo* (l. corio) *porcino* (e) *& in corpore circulum ferreum, & oſtendit ei, ut ſecederet a ſuis parentibus, & a terrenis rebus, & ſtatim ab eis ſeceſſit; & prima nocte vidit unum ſplendorem abundabilem, & magnum. Chriſtus fecit eam nudam ire* (f): *fecit clamari eam in oratione, ut contemneret mundum, & ſe ipſam. Adhuc fecit ipſam ire ligatam per brachios, velatam etiam facie de terra in terram, & de civitate in civitatem, ſpargendo cinerem ſuper ſe ipſam, & conſequendo multas tribulationes.*

II. *Et poſtea ivit peregre* (g). *Et poſtea fecit unam quadrageſimam S. Martini in monte uno in cella de ſtoreis* (h). *Ibi tribulata fuit, & ab adverſariis, & Daemoniis. Item fecit aliam quadrageſimam ſuper unam ſepulturam mortui, & ibi fuit a ſpiritibus flagellata, & ab aliis multis tribulationibus, & propter timorem corporis toto tempore illius quadrageſimae tentata erat relinquere cellam, & ſe ipſa ligavit cuidam columnae. Item fecit aliam quadrageſimam in ſentis* (i) *civitatis Spoleti. Item aliam quadrageſimam in quadam tana* (k) *unius ſaxi.*

III. *Et his temporibus Dominus permiſit multas tribulationes, & quando fuit peregre Chriſtus dedit ei memoriam ſuae paſſionis, & ideo bene fuit habere abſtinentiam, & omnem diſciplinam, vilitatem, & paupertatem, & poenas. Et Dominus fecit eam videre unum angelum, & dixit ſibi recommendo tibi paupertatem. Et vidit poſtea unam reginam cum uno angelo, & tracta fuit ad videndum, & ita, quod non poſſet loqui. Et vidit unum dominum tantae pulchritudinis, cujus viſio erat ſicut ſol, &*

altitu-

altitudo ejus infinita. Et vidit unam mensam virginum, & ipsa desiderabat esse inter eas. Ille dixit sibi: non potes introire sine calceamentis. Et quidam sanctus (l) *vocavit eam, & dedit sibi sua calceamenta, & postea intravit.*

IV. *Item vidit unam fontem.... viridem, in capite cujus fontis erat quaedam domina in una sede sedendo. Et ipsa volebat ascendere cum ea ad sedendum. Et ipsa dixit, quod non, si non amitteret de sanguine. Item vidit una dominam cum una lampada in manu ardente magni luminis, & dixit sibi: lege ea, quae scripta sunt super eam. Et ipsa dixit: nescio legere. Et ipsa dixit: ego, & filius meus docebimus te. Et ipsa legit scripturam, quae* (m) *dicebat, ut operaretur misericordiam super pauperes.*

V. *Item ostensa fuit ei una mensa cum multis poculentis, in qua erant dactali* (lege *dactyli.*) *Et ipsa agnoscebat, & dictum fuit ei: isti sunt dactali. Et in medietate mensae erat unum altare, & post ipsam erat Domina cum filio suo in brachiis suis, & recepta fuit ad ipsam mensam. Postea audivi vocem dicentem mihi: tu es electa* cardinalis (n) *veni ad mensam, quae parata est. Item vidi unam viam angustam plenam spinis, & acutis rasoribus, & testalis acutis ruborum, & acuis vitrei, & rupis....* (o) *ita quod non poterat videre profundum, & ambulando per eam madebant pedes, & sanguis decurrebat, & indumenta deficiebant, & ita erat fexa* (l. fessa) *quod non poterat ambulare. Et vidit unum dominum dicentem sibi, ut expleret viam illam, & iterum ambulabat, & iterum deficiebat. Et iterum dicebat ut expleret, & deficiebat per totum corpus, & vocavit eam, & confortavit ut expleret, & venit ad finem in unum pratum plenum rosarum, & violarum. Et vidit unum dominum nuptialibus indumentis indutum, & reddit sibi integritatem corporis. Et misit eam in unam civitatem, & audivit loquentem mihi: pauci sunt per hanc viam ambulantes.*

VI. *Item apparuit ei Dominus crucifixus in cella. Et ipsa dixit, es tu Deus meus? Et dixit: sum. Quid me vis facere? Et ostendit sibi stigmata, & tetigit se una manu cum altera, & dixit mihi: respice huc* (p) *& haec recommendo tibi. Item ostensa fuerunt ei* IIII. *specula* (q), *in quorum uno erat Dominus ligatus ad columnam. In alio positus in cruce. In alio divina majestas; In ultimo solum vitreum* (r).

VII. *Item vidit unam mensam virginum cum coronis trium circulorum, & vestimentis inferius albis, & superius rubeis, & annulis in digitis ad modum desponsatorum, adstantes ad serviendum, & illorum similitudinem induti erant. Item vidit Petrum, & Paulum indutos vestimentis albis, & stetit ante eos ab eis recipiens benedictionem. Item ex eorum tibia exierunt* XII. *columbae, & post columbas ex eodem loco ema-*

co emanavit lac, & mel, oleum, & ſanguis. Et in loco, ubi quieverat, ibi erat eſca, eſca ſicut flores. Et quanto magis capiebant, tanto magis eſca creſcebat.

VIII. *Item ſtando in cella quadam in contemplatione, vidit tres juvenes aetate quaſi* XXV. *annorum, quilibet eorum habens quamdam crucem in fronte, & ſubito illi tres in unum redacti ſunt, & dictum fuit ei, quia erat Trinitas. Item quadam die ſtans in monte audivit quamdam vocem ei dicentem: primum donum, quod tibi dabo, erit titulum* (ſ). *Item quadam die ſtans in monte vidit quamdam ſuper coeli* (t) *planetam a medietate inferius ſubtus planetam pendebat, & a medietate ſuperius ſuper planetas, tenens in una manu quamdam coronam, in reliqua annulum, & porrigebat ei. Item quadam nocte ſtans in monte, cogitans de Deo coepit ſedere, & quieſcere in Deo: audivit quamdam vocem dicentem: aſcende ſurſum, & reſpexit, & vidit quamdam arborem ſine ramis, cupiens aſcendere, & non poterat. Et illi porrexit manum, eam capiens per capillos extraxit ſurſum. Item quadam nocte ſtans juxta arborem ad orationem quieſcens, & reſpexit, & vidit Dominum noſtrum venientem, ſuper ſua brachia agnum quemdam deferentem, & ſibi porrexit, & accepit per caput. Qui ita ſaliebat, quod non poterat retinere. Chriſtus confortans, & accepit, & Dominus requiſivit, & ſubito diſparuit.*

IX *Item in montem aſcendens invenit quemdam agnum, & procidens adoravit, & ſurſum tranſiens, & ad eumdem locum rediens, eum non invenit. Item in nocte paraſceve ſtans ante crucem, & meditans in paſſione Chriſti, apparuit quaedam lux, quam oculi ejus vix ſuſferre poterant. Item vidit quamdam dominam purpureis indumentis indutam, & cingulo ſuperius ſe oſtendit, & cingulo inferius occultavit. Et procidens ante eam dixit: facies ut veniam ad bonum? Domina illa imponens manum ſuper caput ejus dixit: faciam.*

X. *Item unam quadrageſimam fecit in cella de ſtoratiis, & ibi tormentata fuit a frigore. Et una nocte cecidit nix magna, & intravit in cella, & cecidit ſuper eam tota, quanta tonderabat, ita quod vix poterat ſuſtinere. Et in viſione apparuit ei Deus indutus veſtimentis rubeis, & qui cum eo erant, induti erant veſtimentis albis, & conſolavit eam multum. Item in eodem loco apparuit ſibi Dominus ſuper caput ejus, & facies & manus erant alba ſicut nix, & tanta erat claritas, quod vix poterant oculi ſuſtinere. Et faciebat ei ſignum crucis. Et ſaepe ſaepe dixit: fac mihi in corde, & expelle omnes zizanias.*

XI. *Item manendo in oratione dicendo: Domine quid mibi? Et ſubito apparuit ei crux rubea, & columba alba, & dictum fuit ei inconti-*

continenti: Quod vidisti ostende aliis. Et secunda vice mutavit se in alio loco quaerendo Dominum quid esset. Et iterum affirmatum fuit ei. Et tertio ascendit in montem, & dedit se in orationem, & ei affirmatum fuit. Et fecit fieri unam crucem rubeam, & emit unam columbam albam, & ivit per civitatem cum pueris. In una manu portabat crucem, & in alia columbam dicendo Domino laudem. Et hoc fecit in Pentecosten coadunatis pueris, dicentes Kyrie eleyson (t).

XII. *Item in Marchia occasione partium* (u) *in civitate Recaneti occisi sunt de majoribus terrae, & uxores occisorum nolebant indulgere. Et multi religiosi, & episcopi volebant mittere pacem, & non poterant. Et ipsa ivit ad unam earum, & dixit ei, ut parceret eis, & contempsit verba ejus. Et ipsa dixit: videbis alia nova. In nocte sequenti illa domina vidit in visione in coelum unam malum habentem mala aurea, & videbatur, ut ipsa daret ei. Facto mane venit ad eam, & dixit; volo facere quidquid vis me facere. Et ipsa dixit: volo te ire ad fratres minores, & assumere poenitentiam, & corpus Christi, & parcere omnibus, & fecit sic. Et quaedam alia fecit similiter. Item quaedam mulier erat sterilis: & ipsa sterilis dixit ei, ut rogaret Deum, ut daret sibi filium; & obtinuit quod petebat.*

XIII. *Item quaedam mulier erat ydropica, & habebat ventrem magnum, & per signum crucis, quod ipsa fecit, fuit liberata. Item domina Grana, uxor Brunamontis, habebat infirmitatem in brachio. Fecit ei signum crucis, & liberata est. Item Virdutia uxor Fabritii habebat gulam inflammatam ultra modum. Tetigit eam, & fuit liberata. Item una mulier habebat nascentiam unam in ubere, & ita erat tumefacta, & tosta, quod volebat facere incidere, & fecit ei signum crucis, & fuit liberata, & duae aliae fuerunt liberatae simili modo patientes in uberibus. Una earum habebat tastam* (x), *& fuerunt liberatae per signum crucis, quod eis fecit. Item quaedam puella cecidit ex magno saxo. Ita omnes qui erant, dicebant mortuam esse, & ipsa ivit ad sororem, & dixit ei sic accidit, & reversa fuit ad illum locum, & recepit puellam in brachiis, & dixit: Domina redde mihi. Et venit soror illius puellae, & dixit. Quae intuita si habebat pulsum, nihil habebat. Et ipsa dixit: habet pulsum, si est mortua? Et liberavit eam.*

XIV. *Item cuidam mulieri dedit unam vestam,* (l. vittam) *& ipsa habebat multas infirmitates in membris. Et ligavit sibi vestam in omnibus membris. Et cum ligabat, statim cessabat dolor, & ita fuit liberata. Item quaedam mulier ibat ad medicum, & dixit sibi: fac mihi signum crucis, quae habebat quamdam infirmitatem, & cum fecit, & teti-*

& tetigit, liberata fuit. Item quidam homo cauponarius vendebat vinum, & ibi congregati erant mali homines blasphemantes, & jurantes Deum. Et ipsa dixit, ut demonstraretur vinum illud, & fuit mutatum statim, ita quod remisit in docem (y). *Et ille venit, & dixit sibi ut rogaret Dominum, ut reactaretur vinum. Et pauper erat, & fuit reactatum. Item redeundo Roma, corpus ejus erat fexum* (l. fessum) *quod non poterat pergere. Quidam homo praeparavit se in via, & posuit eam in bestia, quam habebat, & dixit sibi, quod habuit in visione, quod praepararet se in via: quia ancilla mea transit fexa* (l. fessa) *adjuva eam.*

XV. *Item Blanca mulier quaedam habebat tortum os, & totam faciem, & fecit ei signum crucis, & liberata fuit. Et illa mulier retulit fatri Leonardo, qui hoc miraculum scripsit. Item quaedam mulier nil videbat ex uno oculo. Fecit ei signum crucis, & fuit liberata. Item Venetiis quidam infirmus jacebat in lecto, & recommendavit se ei, & visa fuit. Iverunt postea peregrini de civitate Egubii. Dic Sperae in Deo, quod ego fui liberatus de infirmitate, quam habebam. Item quaedam mulier habebat manum contractam, & fecit signum crucis, & liberata fuit. Item quaedam mulier, quae vitam habebat contractam, quod non poterat ambulare sine baculo, venit ad eam, & reversa fuit sine baculo.*

XVI. *Item quaedam puella, Alexandrina nomine, habebat galgule* (z) *in gula turpissimae & magnae, & multae. Tangendo, & faciendo signum crucis disparuerunt. Item quaedam puella, Saviola nomine, habebat pocros* (*), *& brucas in manibus, & tangendo ei disparuerunt die tertio, & nihil videbantur, & sic retulit cuidam suae vicinae. Item filia Finae habebat fistulam in manu, quod dicebant medici, quod oportebat incidere manum, & erat incurabilis. Fecit ei signum crucis, & fuit liberata. Item quidam homo, Angelus nomine, qui habebat unam infirmitatem sub.... Fecit ei signum crucis, & fuit liberatus. Item petiit uni mulieri eleemosynam, quam ipsa habebat, & celavit ei. Et ivit ubi reposuit eleemosynam, & ipsa eleemosyna erat fracida* (aa); *& ipsa dixit: numquam celabo tibi eleemosynam. Item quidam homo in castro Fabriani detinebatur in captivitate, & recommendavit se sibi, & secunda nocte catenae ceciderunt de pedibus ejus, & dimisit se per unam fenestram excelsam cadere, & evasit, quia condemnatus erat in capite, qui retulit ei: Ego sum, qui evasi tuis orationibus.*

XVII. *Item quidam captivus detinebatur in civitate Egubii, & dixit: dic matri meae ut sumat sententiam pro anima mea. Et ductus*

fuit ad locum ubi erat decollandus. Et ille, qui debebat eum decollare, non poterat extendere manum ſuper eum, quia ipſe recommendavit ſe ei, & promiſit ei, quod ſi evaderet, faceret poenitentiam. Et evaſit oratione illius, & ipſa invenit eum peregre per mundum. Item quaedam mulier erat in captivitate, & petiit a poteſtate, ut redderet ei, & non fecit. Et ipſa dixit: confide in Domino, & eris liberata, & ſequenti nocte Domino juvante eam, pro oratione illius fuit liberata. Item quidam captivus erat in captivitate, qui vocabatur Joannes, qui habuit Divina revelatione, quod ipſa deberet eum liberare. Et per eam miſit, & petiit conſilio, & datus fuit ſine pecunia, & in civitate praedicta, & aliis civitatibus multi ei redditi fuerunt amore Dei, qui in capite judicati fuerant.

XVIII. *Item quaedam mulier receperat virum cuidam mulieri, & ipſa dixit: quod non faceret amplius. Et ipſa vilipendit eam: & ſtatim detortum fuit ſibi os. Et ipſa rogavit Deum pro ea, & liberata fuit. Item in caſtro Fabriani in menſa pauperum ſervientes dixerunt: non eſt vinum amplius. Et ipſa dixit: Dominus providebit. Et dedit ſe in oratione, & vaſa, in quibus miſerant aquam, aqua converſa eſt in vino, & odor vini vitae erat in loco, ubi erant ſedentes. Item in civitate Egubii Jacobus dominae Mariae infirmatus erat fortiter in pede. Et ipſe habuit.... & multas alias infirmitates, & numquam fuit ita paſſus fortiter. Et miſit pro ea, ut rogaret Deum pro eo, & fecit ei ſignum crucis, & fuit liberatus. Item quaedam dedit ſibi pecuniam ad reponendum, & ipſa dedit pauperibus. Et ipſa ivit ad locum, ubi repoſuerat, & invenit totam pecuniam, neque plus, neque minus.*

XIX. *Item in caſtro Foſſati Peruſiae capitaneus receperat cuidam ruſtico uxorem ejus, & ipſa dixit, ut mitteret, & eam non dimiſit. Et ipſa dixit: judicium Dei ſuper te veniet cito in teſtimonio Chriſti. Et ſtatim venit ei magna infirmitas, & recordatus eſt de verbis, quae dixerat ei illa, & dimiſit illam, & ſtatim liberatus eſt. Item in civitate Peruſiae erat quidam ricus* (bb) *nomine Sebaſtianus; vidit ipſum, & dixit, ei: praepara te cum confeſſione, & ſacramentis eccleſiae, quia tu es prope finem. Et ipſe ivit, & fecit ſic, & miſit ſe ad lectum, & in capite octo dierum fuit defunctus. Item quaedam mulier miſerat aquam in vaſculum, & ipſa ut accepit in manu converſa eſt in vinum. Item manendo cum una in oratione, illa quae cum ea erat, vidit lampadem extinctam, & poſtea vidit accenſam.*

XX. *Item fecit quadrageſimam S. Martini in ſaxo Citoniae ſine tunica: in capite, & in pede nihil habuit, in cella de ſtoratiis, & ibi fuit*

Digitized by Google

ibi fuit multum flagellata a frigore, & a daemoniis, qui clamabant, & percutiebant ipſam. Item in civitate Egubii Rainerius Philippi fecit ei multam verecundiam: haec eſt illa captiva (cc), *quae ivit nuda per civitatem. Et dicendo ei multam verecundiam, & verba turpiſſima, ita quod, ſi homo diceret uni meretrici, ſic eſſet turpiſſima.... portavit, & voluit, & ſabbato ſequenti occiſus fuit juxta illum locum, ubi dixerat, & extracta fuit lingua ex ore....* (dd).

XXI. *Item vidit unam menſam poſt oram,* (*Ora* Italica vox pro *umbra.*) *in qua erat Chriſtus & mater ejus juxta eam, & ſanctus Joannes evangeliſta, & apoſtolus juxta ipſam dominam, & a pede dicti vidit unam animam. Item quidem ſanctus dedit ſibi unam ſclavinam,* (ee) *ita operatam intus, ſicut & extra, & dixit ſibi: ita oportet te operare. Item quadam vice veniebat a civitate Calie* (ff), *& ibat ad civitatem Egubii, & tranſeundo per unam ſilvam venerunt latrones, & voluerunt capere eam, & facere ſibi verecundiam. Quando ipſi ibant ad capiendum eam, omnes effecti ſunt coeci, & nihil videbant. Cogitantes inter ſemetipſos dicebant ad invicem: forte amica Dei eſt: clamemus, & rogemus eam, ut oret pro nobis ad Deum. Clamantibus ipſis, ea ipſa reſpondit eis: quid vultis? Rogamus te, ut ores Deum pro nobis, quia nos volebamus capere te, & facere tibi verecundiam. Illa, ut audivit, ſtatim flexis genibus, & manibus cancellatis, oravit Deum, ut redderet eis lumen, & Deus exaudivit eam, & reddidit eis lumen.*

I. „ In Dei nomine amen. Anno Domini MCCLXXVII. „ indict. V. apoſtolica ſede vacante. Actum Cinguli in monaſte„ rio ſororis Spera in Deo, die XVII. Septembris praeſentibns fratre „ Philippo de .... & ſorore Margarita de Exio (gg) & aliis plu„ ribus teſtibus. Domna Caroſella uxor Valiantis coram dictis te„ ſtibus, & me notario aſſeruit & dixit pro conſtanti, quod filius „ dictae Caroſellae capiebatur a quadam infirmitate duabus vicibus „ inter diem & noctem, videlicet paraliſia, cujus occaſione non po„ terat loqui, nec erat ſenſatus. Qui puer fuit ad locum, ſive ad „ monaſterium dictae ſororis Speraindeo, & ſtetit ad ſepulturam „ ejus, & gratia Dei, & precibus factis ipſi ſorori Speraindeo, i„ pſe puer ab ipſa infirmitate extitit liberatus. Ego magiſter Ma„ thaeus notarius rogatus.

„ II. Anno Domini MCCLXXVII. indict. V. die XIII. menſis „ Octobris apoſtolica ſede vacante paſtore. Hoc actum fuit in caſtro „ Cinguli apud monaſterium ſororis Speraindeo praeſentibus Deuta„ jute Petri, & Compagnono Bardelloni teſtibus de bis rogatis.

 „ Chri-

„ Chriſtina Benvenuti de Ripis aſſeruit, & dixit pro conſtanti, „ quod corpus reverendae ſororis Spereindeo, & noſter Dominus „ Jeſus Chriſtus, ejuſdem ſororis Spereindeo precibus, eam deliberaverat de quadam infirmitate, quam habebat in genibus, cujus infirmitatis occaſione non poterat ſurgere, nec ſine magno labore „ ambulare, & modo nullum ſentiebat dolorem, & deliberata erat. Ego Jacomellus Notarius rogatus.

III. „ In Dei nomine amen. Anno Domini MCCLXXVII. „ indict. V. apoſtolica ſede vacante die XXIII. menſis Octobris. Actum Cinguli in monaſterio ſororis Speraindeo praeſentibus magiſtro Laurentio notario, & Albriculo Grimaldi Zarroni. Verdutia Raynaldi Martinelli coram dictis teſtibus, & me notario aſſeruit, & dixit pro conſtanti corpus ſuum habentem plenum dolearum, & ex ipſa occaſione non poterat pergere: ſtando & veniendo ad monaſterium, ſive ſepulturam dictae ſororis Spereindeo, „ & dixit valde melioratam de dictis infirmitatibus. Ego Boncompagnus notarius.

IV. „ In Dei nomine amen. Anno Domini MCCLXXVIII. „ indict. VI. tempore D. Nicolai Pp. tertii die XII. menſis Octobris, in burgo caſtri Cinguli in oratorio dominarum loci ſororis „ Speraindeo, praeſentibus Berardino Actonis domini Jacomelli, „ Philippo Albertutii & ..... de Cingulo, Jentelutio Benvenuti Joannis Nicolai, & Nicolao campanario de Ripa Tranſuni (*bb*) teſtibus. Martina de Camurano, quae habitat apud Recanetum (*ii*) aſſerens ſe eſſe ſub obedientia fratrum minorum, „ quae portabat habitum monialium, coram dictis teſtibus, & „ me notario, dixit aſſerens, & parata erat ſuo ſacramento jurare, „ & firmare, & ad ſancta Dei evangelia jurare, quod cum ipſa „ veniret ad magiſtrum Deutajute, magiſtrum, & medicum oculorum, & ad dominam Jacovinam Joannis, qui ſunt de Cingulo, „ exercentes artem oculorum (*kk*), occaſione infirmitatis, quam habebat in oculo, de uno eorum oculorum, & per ipſam ſpecialiter de ſiniſtro oculo nihil videbat, & dictus magiſter Deutajute „ dubitabat, & dicta Jacovina ſperaret, & confideret de medicamine dextri oculi, & de ſiniſtro oculo diffideret, die mercurii VII. „ Octobris intrante menſe, ſupradicto die, in hora nonae, venit ad „ dictam ſepulturam dictae ſororis Spereindeo confidens in Deo, ut „ Deus, precibus dictae Spereindeo mortuae, liberaret; dormivit in „ dicta hora juxta dictam ſepulturam, & exurgns a ſomno liberata eſt ab infirmitate dicta de ſiniſtro oculo, ac ſi nullam infirmi-

„ tatem

tatem haberet, & haec teſtificata fuit in dicto loco dicens praedicta, praeſentibus teſtibus praedictis ſupra.

V. In Dei nomine amen. Anno Domini MCCLXXVIII. indictione VI. die XVI. menſis octobris, tempore D. Nicolai Pp. tertii, actum eſt Cinguli in tranſanna domus mulierum commorantium in loco, & domibus, ubi fecerat poenitentiam venerabilis mulier ſoror Speraindeo, praeſentibus Vandino Actonis domini Jacobelli, & Franzono Amabilis, & quibuſdam aliis mulieribus. Domna Grana uxor Thomaſini de monte Turris aſſeruit in veritate, quod cum anno proximo praeterito de menſe Auguſti, quaedam ſua filia, nomine Berardutia, pateretur infirmitate valida longo ſpatio, ſcilicet duorum menſium, & ultra, ita quod vix poterat loqui, & quidam ſuus filius, nomine Andreas, de menſe ſupradicto, fuerit correptus a quadam valetudine, aegritudinae valida, & tenuerit eum per XX. dies, de quibus uterque ipſorum numquam videbatur convaleſcere; tandem ipſa mulier rogavit Deum, & recommendavit ipſos Deo, & devotae, ac venerabili ſorori Spereindeo, ut ſuis interceſſionibus a dictis aegritudinibus liberarentur, & ſicut Deo placuit, ab ipſis aegritudinibus liberati ſunt, & promiſit facere & portare ad locum, ubi ſepulta erat, unam candelam. Ego Acto notarius rogatus.

VI. „ In Dei nomine amen. Anno Domini MCCLXXVIII. indict VI. tempore D. Nicolai Pp. III. die VIII. exeunte martio. Domna Flordaliſia, uxor olim Actonis Clotii de Cingulo, aſſeruit in veritate, quod cum de menſe Martii pateretur valida infirmitate paletici longo tempore, ita quod non poſſet loqui apte, & dicta mulier habens devotionem in beata virgo, & ſorore Speraindeo, quod precibus illius liberaretur ab infirmitate praedicta, ivit ad oratorium reverendae ſororis praedictae, & jacuit ante ſepulturam praedictae ſororis, ſtando per noctem. In mane ſe revigilavit; & ab infirmitate praedicta liberata fuit, & reverſa fuit domi, ſicut nullam aegritudinem pateretur.

VII. „ In Dei nomine amen. Anno Domini MCCLXXVIII. indict. VI tempore D. Nicolai Pp. tertii, die V. exeunte Junio, in oratorio olim ſanctae Speraindeo praeſentibus domno Ventura converſo, & capellano eccleſiae S. Exuperantii, & domno Benvenuto, & magiſtro Actone Albrici notario, & aliis pluribus. Berta Grimaldi Adae, cum non poſſet liberate pergere cum baculo, nec ſine baculo, ſpatio VII. annorum, & ipſo ſpatio loquela careret, & accedens ad oratorium praedictae ſanctae Speraindeo,

„ libere

„ libere coram me notario, & teſtibus loquebatur, & pergebat libe-
„ re. Ego Moricus Notarius.

VIII. „ Anno Domini MCCLXXVIII. indict. VI. tempore
„ D. Nicolai Pp. tertii praeſentibus magiſtro Philippo Albertutii,
„ Rainaldo Thebaldi, Condeulo Rainaldi Aegidii teſtibus, & aliis
„ pluribus. Pamphilia uxor quondam Thomae Joannis de civitate
„ Exina, ſtans in oratorio reverendi corporis ſororis Spereindeo co-
„ ram dictis teſtibus & me ſubſcripto notario; quae cum parum
„ poſt migrationem ſororis Spereindeo pateretur in brachio acerrimum
„ morbum, ita quod videbantur omnes nervi ſui brachii, & vo-
„ veret ſe viſitaturam praedictum corpus, & eidem obtulit, &
„ tranſmiſit in devotionem unum brachium cerae, ut eam deliberа-
„ ret ab ipſa infirmitate, & ſic in continenti ad plenum liberata
„ fuit, & oſtendit, & oculata fide monſtravit dictum brachium
„ ſuum ſanum valde, & locum ubi dictum morbum habuerat, &
„ dixit etiam, quod medicus, quem habebat ad curandum eam,
„ extraxit ſibi de nervis brachii, & non potuit eam aliquo modo
„ liberare. Item hi teſtes interfuerunt praedictis videlicet dom-
„ nus Benvenutus Actonis Paſchalis, domnus Benvenutus Acto-
„ nis capellanus eccleſiae S. Gregorii. Ego Corradus notarius ro-
„ gatus.

IX. „ In Dei nomine amen. Anno Domini MCCLXXVIII.
„ indict. VI. die II. Septembris tempore D. Nicolai Pp. III. A-
„ ctum Cinguli apud infraſcripta ſanctae ſororis Speraindeo eccle-
„ ſia, & praeſentibus Golzone Rainaldi, Benvenuto Actonis Ofre-
„ dutii, & aliis pluribus. Hoc eſt miraculum, quod fecit ſancta
„ Speraindeo de Eugubio, ſcilicet inter alia, quae fecit deliberavit
„ Joannutium Benvenuti Actonis Ofredutii de Cingulo de infirmi-
„ tate petrae, de qua infirmitate liberavit eum. Ego Golzo nota-
„ rius ſcripſi, & publicavi.

(a) *Vocula hic deeſt, quae in codice Cingulano haud clare percipi poteſt.*

(b) *Hic etiam vox occurrit difficilimae lectionis. Literae ipſae* nudium, *vel* nudius *prodire videntur. Malim* nudus, *ut haec ſententia ſit, Chriſtum Dominum puellae innocenti ſuam nuditatem monſtraſſe, ut ad rerum humanarum contemptum, & poenitentiam alliceret.*

(c) *Hic etiam ſalebroſa lectio codicis Cingulani, qui habere videtur* preſcit. *Reformavi in* praeſenſit, *quaſi haec ibi ſententia ſubſit:* ſenſit ſe ab una manu prehenſam. *Deſunt ibi, opinor, duae iſtae voculae* in oratione, *atque ita legendum:* ſtando ipſa una nocte in oratione, praeſenſit, quod una manus cepit, *quod Italico reſpondet:* ſi ſenti preſa da una mano.

(d) *Titus Franceſchinus haec ita narrat; ut appareat prae oculis habuiſſe haec ipſa a-*

Ba S.

Act. S. Sperandeae. At ſciolus ille, qui haec eadem acta deformavit, cum ignoraret quid ſit habitam poenitentiae ſamere, ita hunc locum corrupit: Terrenis bonis praetermiſſis, & omnino neglectis, poenitentiam agere cepit. *Acta Ss. Sept. To. III. p. 901. col. 2.*

(e) *Id interpretatur aliquis de cilicio ex ſetis porcinis, ſed quale indumentum fuerit, docent acta S. Humilitatis abbatiſſae ab anonymo auctore ſcripta, & a Bollandianis edita, in quibus ſic legitur*: Corpore ſupra nudo ſetis equinis, aut coeio porci, veſtis ſetis inciſis ad carnem, ſemper omni caſu, modo, & tempore veſtita ſterit. *(Act. Ss. ad diem XXII. Mart. in vit. S. Humilit. c. I. n. 11.) Fuit autem S. Humilitas aequalis S. Sperandeae, & vitae genus haud multum diſſimile tenuit.*

(f) *Hanc nuditatem exprobravit caſtiſſimae virgini Rainerius Philippi, de quo infra ſermo eſt § XX. Sed non id tamen ita intelligendum eſt, quaſi omnino nuda in propatulo inceſſerit. Potuit enim ita ſe, ex Dei juſſu, uſitato veſtium cultu, & ornatu ſpoliare, ad ſummum rerum humanarum contemptum oſtendendum, ut tamen pudori conſuleret. Franciſchinus vero non bene hinc ſe expedit; ſcribit enim Sperandeam ingentem lucem in viſa vidiſſe, & ſibi eandem apparuiſſe. At conſarcinator vitae a Suyskeno editae haec prorſus omiſit, atque ita facillime omnem difficultatem evaſit.*

(g) *Franceſchinus more ſuo haec plurimum amplificat. Sperandeam ſcribit peregrinationem Jeroſolymitanam ſuſcepiſſe, aliaque addit, quae Suyskeno non ſatis probantur. Sed Jeroſolymitanum iter agnovit etiam auctor hymni, ſeu ſequentiae a Suyskeno editae.* Non te teneat longa via, ubi Chriſtus, & Maria ambularunt ambulas.

(h) *In codice eſt* Stol. *quae vox nihili eſt. Porro Quadrageſimo Sancti Martini incipiebat ab octava omnium Ss. & ad natale Domini perducebatur. Vide Cangium V.* Quadrageſima S. Martini.

(i) *Ita apographum meum Cingulo tranſmiſſum. Sed hic nihil video, niſi forte intelligendus ſit ſcaticoſus locus, & aſper, qui prope Spoletanum civitatem eſſet, poenitentiae & ſolitudini, vel in ipſa civitatis victoria, aptiſſimus.*

(k) *Italica plane vox, quae latibulum, cryptam, ſpecum ſignificat.*

(l) *Franceſchinus hic ſanctum Benedictum intelligit, levi ſane conjectura permotus.*

(m) *Hanc voculam conjectura ſupplevi, ut ſyntaxeos ratio conſtaret, quod & alibi factum eſt.*

(n) *Ita codex Cingulanus. Divinabunt alii quid myſterii hic lateat.*

(o) *Mira hic verborum confuſio, quibus tamen nemo non intelliget viam deſignari in arduam rupe difficilem, multiplici ferrea cuſpide, & acutis teſtulis, & rubis, ac ſcatebris, vitreiſque fragminibus aſperatam.*

(p) *Hanc quoque voculam divinando ſupplevi.*

(q) *An* vitrum? *Ut intelligere oporteat in eo ſpeculo nihil expreſſum, & repraeſentatum fuiſſe.*

(r) *Hanc quoque vocem divinando expreſſi.*

(ſ) *Ita apographum meum, in quo hic plane evecutio.* (t) *Quid ni coelum legerim?*

(t) *In codice, quantum ex apographo colligere poſſum, ita eſt* K ē. *quod melius interpretari non licuit.*

(u) *Occaſione ſcilicet factionum. Vix enim in Italia civitatem reperies, quae magis inteſtinis odiis, & civilibus diſſenſionibus divexata ſit, ut ea etiam de cauſa epiſcopali honore ſpoliata ſit ab Urbano IV., qua de re videndus Ughellius in epiſcopis Reatinis. Hos tamen civiles Reatinenſium motus vix memorat nuperus Reatinarum hiſtoriographus Didacus Calcagnius.*

(x) *Intelligo linamentum illud ex filis, quod in ulcus immitti ſolet a medico. Turundam appellat Cato cap.* XLIX.

(y) *Ita apographum meum, fortaſſe haud ſine modo. Dolium intelligere promum eſt.*

(z) *Strumas interpretor.* (*) *Ita vulgo verrucas dicimus.*

(aa) *Vox omnino Italica pro* marcida. (bb) Ricus, *ſive* riccus *Italica plane vox pro* dives.

(cc) *Haec vox fortaſſe ex Italica* cattiva *latine reddita eſt.*

(dd) *Hic locus miſere mutilatus eſt. Facile tamen intelliges, quid ſententiae ſubſit, Sperandeam ſcilicet ab impuriſſimo nebulone ludibrio habitam, quod aliquando prope*

I. B. SPE-

XXVIII.

I. B. SPERANDEUS. Monasticen professus est Sperandeus in patrio monasterio ad Divi Petri, ejusque nomen inter eos celebrari aequum est, qui restituendae monasticae disciplinae insudarunt. Eo enim auctore prodiit Santucciana congregatio sub regula S. P. Benedicti, de qua ante diximus. Nec feminae solum, sed viri etiam ejus institutis informari voluerunt ad sanctiorem vitam, & severiorem disciplinam. Eorum mentio est in antiquis tabulis apud Lancellottum in historia Olivetana (*a*), quarum aliae sunt ad annum MCCLXIV. scriptae, aliae ad annum MCCCII. Atque in postremis istis non beati solum, sed & sancti titulo Sperandeus insignitur. Easdem infra videbis, suo loco & tempore, in nostra chronotaxi antistitum Eugubinorum.

II. Non defuere etiam alicubi sanctimonialium monasteria, Santucciarum scilicet, quae quia Sperandei instituta sequebantur, non alio, quam S. Sperandei nomine dici consueverunt. Tale fuit Perusinum S. Sperandei monasterium, cujus ego tabulas, hanc appellationem praeferentes vidi, ad annum MCCCVIII. scriptas. Eae sunt apud clarissimum Ginannium. Porro ex prioribus illis tabulis a Lancellotto relatis, constat Sperandeum jam tum anno MCCLXIV. quo illae scriptae sunt, ex humanis excessisse. Sunt hae literae quaedam Guidonis Sabinensis episcopi ad abbatem Eugubini monasterii Divi Petri, cui aliae Urbani IV. literae insertae sunt, quarum id est initium: *Urbanus episcopus &c. Significavit nobis dilectus filius Joannes monachus S. Petri Eugubini ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ord. S. Benedicti, quod quibusdam laicis Eugubinis asserentibus, se velle secundum regulam dicti ordinis, & vitam & mores quondam fratris Sperandei Domino deservire, sibique a dilecto filio .... abbate praefati monasterii supradictum fratrem Joannem in priorem, seu pa-*

---

nuda incesserit, ad eum scilicet modum, quo supra diximus ad §. 1., quod is tamen haud impune tulerit, paucis post diebus ipso in loco, ubi in castissimam virginem spurcissima scommata evomuerat, occisus, & lingua multatus.

(ee) *Vulgarem loquendi formam ex Italico* schiavina.

(ff) *Callium civitas est ducatus Urbinatis in via Flaminia.*

(gg) *Aesium Picent civitas.* (hh) *Ripa Transona notissima item Picent civitas.*

(ii) *Recinetum alia Picentum civitas.*

(kk) *Medici ocularii noti ab antiquioribus saeculis. Talis fuit* P. Numitorius Asclepiades *apud Veronenses.* [*Maffei Veron. Illustr. p.* 355.] *Talis & ille* P. Eros. Decimius. Medicus Clinicus. Chirurgus. Ocularius *apud Pitisc.* V. Testamentum. *Vide etiam* V. Ocularius.

(a) *Lancellott. Hist. Olivet. de monast. Eugub. pag.* 313.

seu pastorem concedi petentibus, idem abbas fratrem ipsum in priorem, seu praelatum dictis laicis concessit &c.

III. Obierat igitur Sperandeus anno MCCLXIV., quo literae istae Urbani IV. datae sunt, sed illud tamen, quod tradit Jacobillus Sperandeum ex humanis excessisse anno MCCLX. ad XV. Januarii diem, plane incertum arbitror, quemadmodum & illud, quod addit, Sperandeum aliquamdiu monachis Benedectinis ad Divi Petri abbatem praefuisse.

IV. Uxorem habuerat Sperandeus, antequam monasticae vitae nomen daret Januariam, feminam religiosissimam, quae, si vera sunt quae ex chronico Gualdensi corrasit Lancellotus (*a*), marito dux fuit ad eam vitae rationem suscipiendam. Ea est B. Januaria, de qua ante diximus.

V. Jacet nunc B. Sperandei corpus in templo Divi Petri, sui scilicet Eugubini monasterii, ad aram ex Crucifixi nomine dictam, & palam venerationi fidelium proponitur die tertia Maii. Olim in antiquiore aedicula ejus templi, Lancellotto auctore (*b*), servabatur in elegantissimo sarcophago marmoreo antiqui operis, in quo ethnica superstitione Eugubii vigente, virum aliquem primarium, cujus effigies in sarcophagi fronte insculpta cernitur, sepultum fuisse non dubito. Visitur nunc praeclarum hoc monumentum inane & vacuum in monasterio Divi Petri, ubi etiam a clarissimo Maffejo observatum est (*c*). Cum in eo conditum esset B. Sperandei corpus, nil mirum, quod Sperandeum ipsum eximio spectandum sepulchro indigitet auctor Italici carminis, quem non semel jam nominavimus, eo versu:

Dal bel sepulcro Sperandio beato.

Bollandiani Sperandeum omnino praetereunt, sed de eo tamen se acturos pollicentur (*d*) in supplementis, quae magno operi subnectent.

XXIX.

B. THOMAS A COSTACCIARIO. De B. Thoma eremita Camaldulensi, quem vulgo a Costacciario appellant, eo quod in castro Costacciario agri Eugubini secus viam Flaminiam, ejus sacrum corpus quiescat, pluribus agunt, praeter scriptores Camaldulenses, Bollandiani socii ad diem XXV. Martii. Crebra ad ejus

[a] *Loc. cit. pag.* 314. [b] *Loc. cit.* [c] *Maffei Osserv. Leter. To.* V. *p.* 208. [d] *Acta Ss. XI. sept. de S. Sperandeo in Commentar. praev. n.* 14.

tumulum divinitus patrantur miracula, quorum multa narrant Bollandiani. Iis ego plura addere poſſem his ſuperioribus annis geſta, quae ſumma fide deſcripta nuper inde accepi, curante viro humaniſſimo Joanne Oriolio, ſacerdote Ravennati, qui tunc epiſcopo Eugubino erat a ſecretis, nunc publicam ſchŏlam Ravennatium cum laude moderatur. Quieſcit B. Thomae corpus in eccleſia fratrum minorum, qui ejus cultum, religionemque quam diligentiſſime promovere ſtudent, quare & ejus imaginem non inelegantem, fidelibus diſtribuendam, nuper aere incidendam curarunt.

Sunt alii plures Eugubini ſanctioris vitae fama commendati, quos hic poſſem afferre, atque in his maxime ANDREAS ex primis B. Joannis Columbini alumnis, & Jeſuatorum ordinis ſodalibus (*a*); BARTHOLOMAEUS ex ordine minorum, cujus corpus cum aliis duobus ſub ara familiae Conventinae ad Divi Franciſci diu quievit, poſt autem omnia ſimul in ſacrarium delata ſunt anno MDCXL. XV. Kal. Jan. (*b*) BERNARDINUS ex ordine Capuccinorum laicus, de quo Boverus in ſui ordinis annalibus ad annum MDLXXX. 46. GUIDO ex Jeſuatis ab Armanno laudatus (*c*); JOSEPH ex ordine minorum ab Arturo ad diem XI. Nov. in ſuo agiologio memoratus, & a Wadingo ad an. MCCCCLIV. n. LIII. LXXII. LXIII. a Gonzaga, aliiſque ſui ordinis ſcriptoribus, qui Beatum palam appellant. JORDANUS ex eodem ordine a Wadingo item laudatus ad an. MCCCVI. n. XXIII. PALMERIUS ex ordine praedicatorum, de quo Ractius, & Bzovius (*d*). THOMAS ex ordine minorum, cujus memoriam celebrat Arturus in agiologio Franciſcano ad diem XXIV. Maii, & Wadingus ad an. MCCLXX. n. XXVII. Atque hunc quoque Beatum aliqui apellant. Hic rurſus addere liceret THOMAM BOZIUM, & FRANCISCUM ejus fratrem ex primis S. Philippi Nerii ſodalibus, tum pietate, tum literis, multiſque utiliſſimis libris editis, apprime claros (*e*); AUGUSTINUM MANNIUM S. Philippi Nerii alumnum, DIONYSIUM ſacerdotem Capuccinum, qui exeunte ſuperiori ſaeculo magna pietatis fama ex hac vita migravit; tum feminas plures LAURAM GABRIELLIAM, MARIAM ALEXANDRAM ex tertio ordine S. Franciſci, CATHARINAM REPOSATAM, ex qua gente eſt Raynaldus Re-

[a] *Vid. Paul. Morigia In paradiſ. Jeſuat. l.* II. *c.* 22. *&c.* [b] *V. Armannus ad calcem* I. *vol. epiſtolarum hunc recenſet inter Eugubinos Beati titulo inſignes, ac ſaeculo* XIII. *vixiſſe narrat. Aliis etiam pluribus eumdem honorem defert, in quo plus aequo liberalis videtur.* [c] *Loc. cit.* [d] *In annal. ad. an.* MCCLXXIX. [e] *Utriuſque vitam edidit Jacobus Riccius procurator generalis ordinis praedicatorum; ſed Thomae vita prodierat primum, auctore anonymo, tomo primo annal. antiquit. ejuſdem Thomae Bzii praefixa.*

dus Repoſatus, ſuburbano ſacerdotio S. M. in Padule praefectus, ſaepe mihi cum laude nominatus, ac nominandus, OCTAVIAM GAMBOCCIAM, aliaſque multas. Neque hic omittendi fuiſſent S. VERECUNDUS, S. ERASMUS, ET Ss. RUFINA, ET SECUNDA Vv. & Mm., quorum corpora olim in ſuis quaeque eccleſiis jacuiſſe dicuntur extra urbem, ut ex allata ſtatuti Eugubini rubrica intelligimus, & partim etiam ex anonymo poeta, cujus item verſus ſupra dedimus. Sed quis eſſet finis, ſi de his omnibus ſingillatim differendum eſſet? Praeſtat hanc provinciam doctis Eugubinis relinquere, ex quibus vel unus Raynaldus Repoſatus ea collegit de Eugubinis ſanctitate illuſtribus, quae juſto volumini ſcribendo ſufficerent.

CAPUT VIII.

Kalendarium antiquum eccleſiae Eugubinae aliquot aliis vicinarum eccleſiarum Kalendariis locupletatum, & auctum.

I. KAlendarium, quod hic editurus ſum, petitum eſt ex antiquo breviario mſs., quo olim utebantur canonici regulares eccleſiae cathedralis Eugubinae (*a*). Ejus antiquitas haud inſignis eſt, ſcriptum enim videtur ſaeculo XV., vel ad ſummum exeunte XIV. Sanctis plurimis redundat, tum ex recentioribus, tum ex antiquis, qui in vicinarum eccleſiarum antiquis Kalendariis plerumque non obſervantur, quique canonicorum regularium quodammodo proprii fuiſſe videntur. Nec dubito etiam, quin multi recentiore manu additi ſint, quos propter abſentiam non licuit ad unum omnes expendere. Illud mihi deſcribendum curavit amiciſſimus Repoſatus. Quoniam vero vicinae eccleſiae quadam ſacrorum ſocietate inter ſe teneri ſolent, & Sanctorum feſta invicem communicare, non abs re eſſe duxi aliquot antiqua Kalendaria vicinarum eccleſiarum Kalendario Eugubino ſubjicere, non quidem ab eo ſejuncta, & diviſa, ſed cum ipſo ita copulata, ut ſingulis diebus poſt Sanctorum nomina, quae in Kalendario Eugubino notantur, quae ſemper primum locum obtinebunt, aliarum eccleſiarum Sanctos adjiciam. Sunt autem Kalendaria haec numero ſex, Peruſinum unum, duo Avellanenſia, tria denique, quae Fabrianenſia appello; de quibus pauca hoc loco dicenda.

[a] *Hunc ego codicem, & aliquot alios, quibus eccleſia Eugubina in divinis officiis, & ſacra liturgia olim utebatur, pluſquam centenario pulvere obſitos, blattiſque damnatos fauſto omine detexi, eoſque nunc canonici Eugubini diligenter ſervant.*

Digitized by Google

II. Kalendarium, quod Perusinum appello, exscriptum est ex sacramentario pervetusto saeculi, ut minimum, undecimi, quod in monasterio S. Crucis fontis Avellanae asservatur. Eo autem, quantum conjectura assequi possumus, monachi Avellanenses utebantur, qui in eremo S. Salvatoris de Montemalbo degebant, in agro Perusino. Nam, & monachos Avellanenses eum locum antiquitus incoluisse apparet ex diplomate Innocentii II. dato Laterani ad an. MCXXXIV. & a nobis in antiquitatibus Avellanensibus edendo, in quo scilicet cum ceteris Avellanensium domiciliis, quae variis locis habebant, recensetur etiam *Eremus S. Salvatoris de Montemalbo in comitatu Perusino;* & ecclesia illa, ad quam sacramentarium istud pertinebat, de S. Salvatoris nomine dicebatur. Sic enim in Kalendario hoc ipso legimus ad diem VIII. Kal. Martias: *Dedicatio istius ecclesiae ad honorem S. Salvatoris &c.* Occurrunt autem in hoc Kalendario admodum rara Sanctorum festa, quod ejus antiquitatem declarat; sed tamen successu temporis magna ei accessio facta est, multaque addita Sanctorum nomina, ut ex diversa scripturae forma comperimus. Est vero id maxime animadversione dignum, quod Kalendis Martii, deleto ejus Sancti nomine, quod eam sedem antea occupaverat, S. Herculanus inductus est, paulo recentiori manu. At ejusdem S. Herculani rursum mentio occurrit ad diem VII. id. Novembris, idque argumento est eam S. Salvatoris ecclesiam, ad quam sacramentarium istud pertinuit, in Perusinorum finibus fuisse, praesertim cum in eo etiam occurrat S. Constantius, qui cum S. Herculano in primis Perusinorum patronis numeratur, atque ob hanc causam Kalendarium istud Perusinum appellare placuit. Ejus mihi exemplum nuper curavit, cum ad Avellanense monasterium non tam animi, quam religionis causa divertisset, vir doctus Andreas Joannettus ex nostris, vetere mihi necessitudine conjunctissimus, cujus & docta, & suavi consuetudine annos aliquot usus sum in monasterio Classensi, ubi is nunc sacram theologiam pubblice docet, ac theologi munus apud Ravennatem archipraesulem sustinet.

III. Ex antiquo codice S. Crucis fontis Avellanae hoc quoque kalendarium exscriptum est, quod dico Avellanense primum. Codex, ni mea me fallit opinio, scriptus est saeculo XIII. ad finem vergente. Certe nullius Sancti nomen in hoc kalendario occurrit, quo serius scriptum esse oporteat. Sed cum multa haberent antiqui illi Avellanitae variis locis monasteria, nulla satis certa ratione assequi possum, cuinam eorum codex iste adscribendus sit: nam pro monasterio

ſterio ipſo Avellanenſi ſcriptum non fuiſſe, ſatis ex eo conſtat, quod in Kalendario, codici ipſi praefixo, feſta Sanctorum, qui maxime in dioeceſi Eugubina coluntur, ubi monaſterium Avellanenſe ſitum eſt, prorſus deſiderantur. Eſt in eo S. Arduini, & S. Gaudentii memoria, quae duo nomina apud Ariminenſes ſunt celeberrima, & ſanctiſſima. Hinc oritur ſuſpicio codicem hunc alicui eccleſiae deputatum fuiſſe, quae haud longius ab Ariminenſium finibus diſtaret. Dicere non audeo in dioeceſi ipſa, nam nec ea Sanctorum nomina rubricata ſunt, nec ullum habent adjunctum peculiaris celebritatis indicium.

IV. Aliud habeo Kalendarium antiquum in parvo codice membranaceo, quo B. M. V. officium continetur, atque hoc titulo inſignitus eſt: *Ordo officii Beatiſſimae Virginis Mariae ſecundum conſuetudinem monachorum monaſterii fontis Avellanae*. Modica eſt hujus codicis antiquitas; neque enim ſcriptus videtur ante ſaeculum XV. Praetereundum tamen non fuit Kalendarium huic codici praefixum, propterea quod propius attingit eccleſiam Eugubinam, in cujus ſinu floruit monaſterium Avellanenſe. Quia vero minus antiquum eſt quam ſuperius illud, de quo ante diximus, propterea Avellanenſe ſecundum appellatum eſt.

V. Ex vetuſto ſacramentario monachorum S. Silveſtri petitum eſt Kalendarium, quod Fabrianenſe primum dico. *Incipit Miſſale ſecundum conſuetudinem ordinis S. Benedicti de Montefano*. Ita ei codici eſt inſcriptum. Eſt autem Montisfani locus ſupra Fabrianum Piceni civitatem, ubi ſaeculo Chriſti XIII. ortum habuit monachorum familia, quos nunc Silveſtrinos appellare amant, ex S. Silveſtri nomine, qui fuit ejus inſtituti auctor. Ad calcem ejus codicis eſt Kalendarium, quo hic utimur ad augendum Eugubinum. At cum in eo plures Sancti occurrant, qui a Ciſtercienſibus praecipue coli ſolent, ex aliquo Ciſtercienſi Kalendario exſcriptum arbitror. Hunc codicem habemus in noſtra bibliotheca Claſſenſi, quam Petrus Cannetus V. Cl. cum ei monaſterio praeeſſet, ab ſe conſtructam, optimis libris, & codicibus mſs. ditavit.

VI. Eſt aliud vetuſtum Kalendarium in breviario mſ. quod olim fuit monialium *S. Mariae Virginum* in agro Fabrianenſi, cujus nunc monaſterii, quod ſciam, nullum veſtigium ſupereſt. Ob eam rem non inutile futurum judico, ſi & Kalendarium ipſum protulero, & monaſterii ejus originem indicavero, quae in eo codice in hunc modum deſcripta eſt. *Iſtud Breviarium eſt monaſterii S. Mariae Virginum ſiti in diſtrictu terrae Fabriani Camerinenſis dioece-*

dioeceſis. Quod monaſterium fuit fundatum, conſtructum, & dotatum per magnificum, & ſapientem militem Dñum Perbenedictum natum quondam Aegidii de dicta terra, in jure canonico, & civili peritum, & tempore magnae indulgentiae Romae, videlicet in milleſimo trecenteſimo quinquageſimo, tempore Dñi Clementis Pap. VI., cujus anima requieſcat in pace.

Inſuper praefatus Dñus Perbenedictus, qui patronus eſt dicti monaſterii de ſua propria pecunia iſtud breviarium ſcribi fecit, & quamplura pſalteria emit, ac etiam tabulam, & ſcriptam compoſuit, & conſtitutiones iſtius monaſterii compilavit, & edidit. Et ideo moniales tenentur pro eo ſemper orare, ut ejus anima requieſcat in pace.

Sciant etiam omnes ad perpetuam rei memoriam, quod conventus iſtius moniales dare tenentur annuatim praedicto Dño Perbenedicto, vel ejus antiquiori ſucceſſori mediam libram cerae pro recognitione patronatus praefati. Puellare iſtud *S. M. Virginum* fuſſe conjicimus ex ordine Ciſtercienſi, eo quod Breviarium ipſum, de quo dicimus, haec verba habeat in prima fronte inſcripta: *Incipit Breviarium ſecundum ordinem Ciſtercienſem.* Sed codex tamen, neſcio quo fato, ad Silveſtrinos migravit, ac tandem in bibliothecam noſtram Claſſenſem illatum eſt, curante eodem Canneto, quem ſupra nominavi. Kalendarium inde exſcriptum voco Fabrianenſe ſecundum.

VII. Tertium Kalendarium Fabrianenſe in promptu habemus ex codice antiquo, in eadem noſtra bibliotheca aſſervato, qui ad eoſdem monachos Silveſtrinos Fabrianenſes pertinuit. Eſt uno folio mancum, quo Auguſtus, & Sptember continentur, neque admodum antiquum videtur, ſcriptum ſcilicet ſub finem ſaeculi XIV. vel ſub initium XV. Primo tamen non pro Silveſtrinis, ſed pro Ciſtercienſibus codex iſte fuerat exſcriptus, atque eo fit, ut in Kalendario ipſo frequentes occurrant Sancti, vel Ciſtercienſes, vel a Ciſtercienſibus maxime culti.

VIII. Ex iſtis ſex Kalendariis conflata ſunt auctaria, quae Eugubino ſubjiciuntur, hac lege, ut ſingulis diebus cujuſque menſis primum locum obtineat Sanctus is, qui in Kalendario Eugubino notatur, tum adjiciantur ii, qui in aliis Kalendariis occurrunt, quae quidem Kalendaria brevitatis cauſa his ſiglis deſignantur. P. Peruſinum. A. I. Avellanenſe primum. A. II. Avellanenſe ſecundum. F. I. II. III. Fabrianenſe primum, ſecundum, & tertium.

JANUA-

JANVARIVS (*).

KL. Circumciſio Domini. S. Baſilii ep. conf. & S. Martine v. m. [a]
Circumciſio Domini, & S Baſilii ep. A. II.
IV. Non. Octava S. Stephani.
III. Octava S. Johannis.
II. Octava Innocentium.
Nonis. Vigil. Epiphanie. *Et in* A. I. II.
VIII. Id. Epiphania Domini. Duplex off.
VII.
VI. S. Severini [b] conf.
S. Severini ep. conf. A. I. F. II. III.
V.
IV. S. Pauli primi heremite. *Et in* A. I. II.
Guilielmi ep. Pauli primi heremite F. I.
S. Pauli primi heremite, & S Guilielmi ep. conf. F. II. III. P. *vacat*
III. Iginii Pp. m. *Deeſt in ceteris.*
II.
Idibus. Octava Epiphanie
Octava Epiphanie. S Illarius. P.
Octava Epiphanie Ylarii. Remig'i F. I.
Octave Epiph. Ylarii & Remigii ep. conf. F. II. III
XIX. Kal. Feb. S. Felicis in pincis pbr. m. *Et in* A. II.
S. Felicis conf. P. [c]
Felicis in pincis pbr. F. I.
Felicis in pincis. A. I. F. II.
Felicis in pincis pbr. conf. F. III.
XVIII. S. Mauri ab. conf. *Deeſt in ſolo* A. I.
XVII. Marcelli Pp. m.
S. Marcellini Pp. A I. *Deeſt in ceteris.*
XVI. Antonii ab.
S. Antonii monachi & conf. A. I.
Antonii. Speuſippi. Eleuſippi & Meleuſippi. F. II.
S. Antonii ob. & Sa. Mm. Speoſippi, Eleoſippi, & Incleoſippi. F. II. P. *vacat.*
XV. S. Priſce. v. m.
S. Priſce. A I.
S. Priſce v P.
XIV. Ss Mm. Marii. Marthe. Audifax, & Abacue. *Et in* P.
SS. Marii Martha, & Abaco A. I. *Deſunt in reliquis.*
XIII. S. Fabiani pp. m. S. Sebaſtiani m.
XII. S. Agnetis v. m.
XI. S. Vincentii & Aneſtaſii. *Et in* A. I. II F. I.
S. Vincentii m. P. F. II. III.
X. S. Emerentiane v. m. *Et in* A. I. F. II. III. *Deeſt in reliquis.*
IX. S. Feliciani ep. m. [d]
S Feliciani m. A II. *Deeſt in aliis.*
Euſtethii mon. & Timo. A. I.

VIII. Con-

---

[*] *Ad initium, & finem cujuſque menſis in Kalendario Eugubino ſcripti ſunt incepti quidam verſiculi, ad deſignandos dies atros & infauſtos, aegyptios vulgo appellatos, quos ſuperſtitioſa antiquitas in quolibet menſe geminos timebat, qua de re multa Muratorius in antiquitatibus Italicis diſſert.* LIII.

[a] *Primus dies aegyptius hujus menſis, ejusque hora omnium tetcrrima hoc loco in hunc modum notatur in Kalendario Eugubino D. H. IX., quo monebatur ejus diei horam nenam maxime timendam. Has ineptias conſulto deinecpt omittam.*

[b] *Recte confeſſor dicitur in Peruſino, quod coteros antiquitate ſuperat; oſt enim Severinus ille monachorum pater, & Noricorum apoſtolus, quem male confundunt aliqui cum Severino epiſcopo Septempedano, & alii pejus Neapolitanum epiſcopum fingunt.* Vid. Cl. Mazoch. ad Kal. Neap. ad hunc diem.

[c] *Ex duobus Felicibus Nolano confeſſore, & Romano martyre jamdiu unus coaluit, quem alii propterea confeſſorem, alii martyrem dicunt. Haec eadem confuſio apparet in his Kalendariis. Rectiſſime tamen in Peruſino confeſſor dicitur. Recte etiam in Eugubino Felix in pincis martyr appellatur. At qui hoc die potiſſimum celebratur, non oſt ille Romanus, cujus baſilica erat in pincis, ſed Nolanus a S. Paulino laudatus.* Vid. Mozoch. ad diem XIII. Jan.

[d] *In Mrologio Romano ad hunc diem:* Apud Mindam natalis S. Feliciani ep. m. *Sed cur non Fulginii? Eſt enim Felicianus Fulginienſium patronus. In Uſuardino mſs. quo utebantur fratres praedicatores conventus S. Mariae lacrymarum, quem conventum in civitate, vel dioeceſi Fulginienſi fuiſſe non dubito, ita ad hunc diem:* Eodem die S. Feliciani ep. & m. Totum duplex. *Hunc ipſum jure colebant Eugubini Fulginienſibus vicini. Edidit Aeberius ex pervetuſto codice hiſteriam translationis S. Feliciani, aliorumque plurium ex Italia in Galliam Ottone I. imperante* To II. Anelect. pag. 133. Vid. & Bolland. ad diem 24. Jan. de reliquiis S. Feliciani n. 6.

VIII. Converſio S. Pauli
Converſio S. Pauli. Projecti ep. m. F. I. III.
VII.
S. Policarpi pbr. A. I. *Deeſt in ceteris.*
VI. S. Johis Conſtantinopolitani ep. conf.
S. Johis Criſoſtomi conf. P.
V. S. Agnetis ſecundo. S. Miliani ep. conf. *Et in* A. I.
Octava S. Agnetis P.
Agnetis ſecundo F. I. II. A. II.
Agnetis ſecundo. Juliani ep. conf. F. III.
IV. S. Conſtantii ep. m. *Et in* P. F. II. [a]
Feſtum Ss. mm. Aneſteſii & ſociorum ejus. F. III.
III.
II. Ss. Ciri & Johis mm. S. Geminiani ep. conf.
S. Geminieni conf. P F. II.
S. Geminiani ep. conf. A. I.

FEBRVARIVS.

KL. S. Ignatii ep. m. S. Brigide v. m.
S. Severi Conf. P.
Ignatii & Severini [b] ep. F. I.
S. Brigide v. Ss. Severi & Ignatii F. II.
S. severi ep. conf & Brigide v. A. I.
IV. Non. Purificatio S. M. V. dup. off.
Ipopanti Domini F. I.
III. S. Blaſii ep. m.
II. S. Gilberti conf. [c] *Abeſt a ceteris.*
Nonis. S. Agathe v. m. Sem.
VIII Id.
Ss. Vedeſti & Amandi ep. F. I. II. III.
VII.
S. Juliane v. A. I.
VI.
V. S. Apollonie v. m. *Abeſt a ceteris praeter* A. II.
IV. S. Scolaſtice v. *Et in* P. A. I. II. F. I.
S. Sotheris v. m. Scolaſtice v. F. II. III.
III.
II.
Idibus.
XVI. Kal. Mar. S. Valentini pbr. m. *Et in* A. II.
S. Valentini m. P. F. I.
S. Valentini A. I.
S. Velentini m. Vitalis. Felicule & Zenois mm F. II III.
XV. Ss. mm Fauſtini & Jovitte. *Deſunt in* F. I. II. III. *Et in* A. I.
S. Fauſtini & Jovitte. P.
XIV. S. Juliane v. m. *Eſt in* F. II. III. [d] *Deeſt in ceteris.*
XIII.
XII.
XI.
X.
S. Victoris m. A. I.
IX
VIII. Cathedra S. Petri Ap. *Eſt in ceteris. In P. adduntur haec:* Dedicatio iſtius eccleſie ed honorem Sci Salvatoris & Sce Marie V. & Sci Jecobi & Xpoſori m. & Sci Nicolei.
VII. Vigil. S. Mathie. *Deeſt in* P.
VI. S. Mathie Ap. Sem.
V.
IV.
III.
II. Translatio S. Auguſtini ep. conf. (d) *Deeſt in ceteris.*

MARTIVS.

KL. S. Herculani ep. m. *Et in* A. I. II.
S. Herculani ep. P [e]
Albini ep. conf. F. I. III.
S. Herculani ep. m. & S. Albini ep. conf. F. II.
VI. Non.

V.

---

[a] *Conſtantii cultum Eugubini, & Fabrianenſes a Perusinis vicinis accepere.*

[b] *Etiam in Mrologio Bedae a Bollandianis edito (To. 11. Martii) Severus Ravennae epiſcopus, hac die in tabulis eccleſiaſticis celebratus, Severinus dicitur:* In Ravenna S. Severini epiſcopi.

[c] *Gilbertum hunc canonicum regularem fuiſſe oſtendit Solerius ad Uſuardum hac die, ſecus ac Baronio viſum fuerat, qui illum exiſtimavit nobilis monaſterii Gemblacenſis ordinis S Benedicti fundatorem. Jure igitur hunc colebant canonici regulares eccleſiae cathedralis Eugubinae.*

[d] *Bene eſt. Canonicos regulares Auguſtinianos habebat eccleſia Eugubina, qui translationem S. Auguſtini hac die rite colebant. Ea indicatur primo loco in antiquo Mrologio mſs., quo olim monachi S. Cruets fontis Avellanae utebantur, nunc in bibliotheca Claſſenſi aſſervato. Indicavit Mariangelus Flacchius V. Cl. et bibliothecae praefectus.*

[e] *Eugubini Perusinis affines S. Herculani Perusinorum patroni feſtum hac die celebrabant, translationem ſcilicet, non natale, quod incidit in VII. Id. Nov.*

V.
IV. Canonizatio Beati Ubaldi ep. facta per Celeſtinum Pp. III. Rome in Palatio Lateranenſi ſub MCLXXXII. [a]
III.
II. Ss. Mm. Victoris & Victorini & S. Thome de Aquino conf. *Deſunt in reliquis* [b].
Nonis. S. Mm. Perpetue, & Felicitatis. *Et in* A. II. *Deſunt in ceteris.*
VIII. Id.
Quadraginta Mm. P. A. II.
VII. Ss. Quadraginta Mm. *Deſunt in* F. I. II. III.
VI.
V. Claves Paſce.
IV. S. Gregorii Pp. conf.
III. S. Anſovini ep. conf. *Et in* F. II. III. [c]
II.
Idibus.
XVII. Kal. April.
XVI.
XV.
XIV. S. Joſeph. conf. duplex. *Deeſt in rel.*
XIII.
S. Gutberti ep. conf. F. I. II.
XII. S. Benedicti ab.
XI.
X.
IX.
Joannis a baculo de Fabriano ordinis noſtri. F III. Obitus B. Joannis a baculo F I [d]
VIII. Annuntiati. B M. V. duplex.
Annunciatio S. M. & crucifixio Dñi, P.

VII.
VI.
V.
IV.
S. Martini Pp. & conf. F. II.
III.
II.

APRILIS.

KL.
IV. Non.
S. Ambroſii A. I. F. II.
III.
S Leonis Pp. conf. F. II.
II.
S. Ambroſii F. III.
Nonis. S. Vincentii conf. *Deeſt in rel.*
VIII. Id.
VII.
VI.
V.
IV.
III.
II.
Idibus.
XVIII. Kal. Mad. Ss. Mm. Tiburtii Valeriani & Maximi. *Et in* F. II. III. A. II.
Ss. Tiburtii & Valeriani Mm. P. A. I. F. I.
XVII.
Ss. Olimpiadis & Maximi. A. I.
XVI.
XV. S. Aniceti Pp. m. *Deeſt in rel.*
XIV.
XIII.
XII.

[a] *De ea fuſe Benivolo epiſcopo.*
[b] *In Mologio Avellanenſi, quod ſupra nominavi:* Eodem die S. Thome de Aquino doctoris & conf. ord. predic. *Videſis doctoris titulum Divo Thomae tributum antequam eo donatus ſit a S. Pio V. ad an.* MDLXVII.
[c] *Camertium epiſcopus & patronus ſuae civitatis a Fabrianenſibus, qui erant in dioceſi Camerti, & ab Eugubinis ob locorum vicinitatem.*
[d] *Jam monui eos codices, ex quibus ſumpta ſunt Kalendaria, quae Fabrianenſia dico, a Ciſtercienſibus ad Silveſtrinos perveniſſe. Ad hos pertinet B Joannes a baculo dictus, patria Fabrianenſis, ſeu potius ex pago agri Fabrianenſis Paterno. Ejus nomen pluribus recentiore manu hic additum eſt. Obiit vir beatus ad hunc diem anno* MCCXC., *ejuſque mortales exuviae Fabriani conditae ſunt ad Divi Benedicti, quod eſt primarium ejus inſtituti monaſterium, in ſubterranea crypta ſub ara illi dicata. Non modicus eſt hominum concurſus ad ejus tumulum, & magna ſanctitatis & miraculorum fama celebratur. Eum tamen ignorarunt ſocii Bollandiani, qui inſalutatum quoque praetereunt B Hugonem ejuſdem congregationis alumnum, cujus memoria percelebris eſt ad diem* XXV. *Julii, cum apud ſuos, tum in Saxoferrato Umbriae oppido Eugubinis noſtris contermino, ubi ejus corpus quieſcit.*

XI.
X. Ss. Sotheris & Gaji Pp. Mm. *Deſunt in ceteris.*
IX.
Ss. Georgii & Adhelberti P.
Gregorii & Alberti m. A II.
S. Georgii m. A. I. F. II.
S. Sergi conf. F. III.
VIII. S. Georgii m. *Et in* F. I.
VII. S. Marci Ev. Et letanie maj. Sem.
VI. Ss. Mm. Cleti Pp. & Marcellini Pp. *Deſunt in ceteris.*
S. Uſticini. A. I.
V.
S. Pulionis m. P.
IV. S. Vitalis m. *In nullo deeſt.*
III. S. Petri m. *Et in* A. II.
Roberti Abb. F. I. II. III.
S Germani ep. A. I.
II. Ss. Mm. Mariani & Jacobi.
Mariani & Jacobi Mm. & Mercurialis ep. & conf. A. II.
S. Merieni P. III.
S Mariani m. & S. Eutrop'i ep. & m. P.
S. Mercurialis & Vg S. Jac. A. I.

MADIVS.

KL. Ss. epi Philippi & Jacobi. Sem. S. Verecundi. *Hæ abeſt a reliquis.* (a)
VI. Non.
V. Inventio S. Crucis. Et Ss. Alexandri Eventii Theodori. Sem.
IV.
S. Paulini A. I.
Pauli ep. conf. & Chiriaci m. & Porfirii pbr. m. F. III.
Ss. Quirici & Florieni Mm. & Paulini ep. conf. F. II.
Floriani & Pauli & Quirici F. I. (b)
III.
S. Pantaleonis A. I. II. P.
II. S. Johis ante portam latinam. Et feſtum S. Viliani ep. Eugub. *Hic deeſt in ceteris.*
Nonis.
VIII Id. Apparitio S. Michaelis arch. *Et in* A. I.
Inventio S Micheel's F. I. II.
Viſio S. Johis evangeliſte. Apparitio S. Micheelis arch [c] P.
Petri ep. conf. Apparitio S. Micheelis F. III.
Viſio S. Johis. S. Michaelis Arch. A. II.
VII. S. Cetaldi ep. conf. *Deeſt in ceteris.*
Viſio S. Johis evang. A. I.
S. Petri ep. conf F. II.
S. Geronti ep. m. A. II. [d]
Ob nobilis miles dn. Canti de Gebriell. in mill. CCCXXVI. P.
VI.
Ss. Gordiani & Epimachi Mm. A. I. II. F. I II. III.
Ss. Gordieni & Epimachi & S. Chriſtine. P.
V. Ss. Mm. Gordiani Epimachi Secundini Agapiti (e) & Secundi.
S. Ciriaci ep. m P Quiriaci ep. m. A. II.
Mametti ep. conf F I. II.
Mametti ep. & S. Antimi m. F. III.
IV. Ss. Mm. Nerei Achilei & Pancratii.
III. Id.
S Marie ed martires (f) P.
Serventii ep F I. III.
Servatii ep F. II.
II. S. Bonifatii m.
S. Victoris Felicis & Fortunati P. A. II. Victoris ep m. F. II.
Idibus.
S. Valentini. P. S. Velentini conf. F. II.
XVII. S. Ubaldi ep. conf. *Et in* A. II. F. I. II
S. Ubaldi ep. conf. in caſtello Eugubino P (g)
S. Baldi m. (h) F. III.
XVI.
XV. S. Venantii m. *Et in* A. II. F. I. II
Venantii & ſotiorum ejus m. F. III.
Deeſt in P. *Et* A. I. (i)
XIV. S. Pudentiane v. *Et in* F. I.
Potentiane. P. S Potentiane v. m. F. II III
S Potentiane & S. Eullachii A. I.

Poten-

(a) *Verecundum hac die ſilent tabulae eccleſiaſticae. Ejus memoria apud Eugubinos celebris, apud quos ejus ſacrum corpus quieſcebat, ex allata capite ſuperiori ſtatuti Eugubini rubrica, & anonymo poeta.*
(b) *Florianus, opinor, Aeſinatium patronus hac die colebatur a Fabrianenſibus, qui Aeſinatibus conterminti ſunt.* (c) *Apparitio S Michaelis recenti manu in Perufino addita.*
(d) *Geruntium a vicinis Callienſibus acceperunt monachi Avellanitae.*
(e) *Ex Agapio detorti; celebres enim in eccleſia Eugubina Secundinus & Agapius, ex XXIX. April. in hunc diem traducti, fortaſſe ob eorum translationem.*
(f) *Alia manu additum.* (g) *Id etiam alia manu adjectum eſt. Arces montis Eugubini memorantur in diplomate Henrici VI. de quo ſupra capite tertio dictum eſt. In eo ipſo monte jacet S. Ubaldi corpus, atque huc ſpectare opinor, quod hic habemus de caſtello Eugubino, quod aliud plane fuerit ab ipſa civitate, ad pedes ejus montis poſita, ut initio huius diſſertationis dictum eſt.*
(h) *Lege* ep. conf.. (i) *Deeſt in antiquioribus.*

Potentiane v. & Petri de Moroni conf. A. II.

XIII. S. Bernardini conf. *Deeſt in ceteris.*
Euſtachii & ſotiorum ejus. F. III. A. II.

XII.
S. Eleutorii pp. m A. I. II.

XI.

X.
Deſiderii ep. conf. F. I. II III.

IX.
Donatiani & Rogatiani Mm. F. I. II. III.

VIII. S. Urbani Pp. m. *Habent & reliqui codices.*

VII. S. Elentherii m. *Abeſt a ceteris.*
S. Peregrini m. P.
S. Peregrini conf. F. II.

VI. S. Johis Pp. m. *Et in* F. III.
Theodori m. P.

V.
S. Germani A. I.

IV.
S. Superaocii ep conf. A. II.
Feſtum Ss. Mm. mille quingentorum XXVIII. & S. Superantii conf. F. III. S. Eſuperantii m. F. II [a]

III. S. Felicis Pp. m. *Et in* F. III.

II. S. Petronille v.

JVNIVS.

KL. Ss. Mm. Viriani & ſotiorum ejus.
S. Nicomedis m. F. I. II. III.
Nicomedis cum ſotiis ſuis. A II
Ss Marcellini & Petri & Nicomedis. A. I
S. Nicomedis m Juſtini Fauſtini cum ſotiis P.

IV. Non. Ss. Mm. Marcellini Petri & Eraſmi. *Et in* A. II. P.
Marcellini & Petri Mm F I. II. III.

III. Ss. Laurentini & Pergentini. *Et in* A. I.

II.

Nonis.
S. Felicule v. P.

VIII.

VII.

VI.
Madardi ep. conf F. I. II.
Medardi ep Conſecratio S. Severini conf. F. III. (b)

V. Ss. Mm. Primi & Felitiani.

IV.

III. S. Barnabe ap. Sem. S. Honofrii. *Hic deeſt in ceteris.*

II. Ss. Baſilidis Cirini Naboris & Nazarii Mm. *Et in* F. I. II. III.
Baſilidis & Cirini m P.
Baſilidis cum ſotiis ſuis m. A. II.

Idibus. S. Antonii conf. ord. fr. min. *Abeſt a ceteris.*
Felicule v. A. II.

XVIII. Kal. Jul.
Cantii Cantiani & Cantianille. P. A. II.

XVII. Jul. Ss. Mm. Viti Modeſti & Creſcentie. *Et in* A II.
Ss. Viti & Modeſti A. I. P.
S. Viti m. F. I. II. III.

XVI.
Clerici & Julitte.

XV.
Ss Nicandri & Marciani. P. A. II.

XIV. Ss. Marci & Marcelliani.

XIII. Ss. Mm. Gervaſii & Protaſii. *Et in* P. A. I.
Gervaſii. Protaſii. Romualdi. F. I.
Gervaſii & Protaſii Mm. Romualdi conf. [c] A II.
S Romualdi ab. & Ss. Gervaſii & Protaſii Mm. F II.

XII. S. Silverii Pp & m. *Deeſt in ceteris.*
S. Timothei. A. I.

XI.
Ob. Salinguerra anni D. MCCLXIII. P.

X. S. Paulini ep. conf. & S. Juliani m.
S. Juliani m. Ob. Johs Azze P.
Ss. Jacobi (d) & Nicentii ep. A. I.
S Albini m. F. I. II. III.

IX. Vigilia.

VIII. Nativitas S. Johis Baptiſte.

VII.

(a) *Salito vicinae jure Fabrianenſes S. Exuperantium colebant Cingulanorum patronum, cujus corpus jacet in magnifica aede, et ſacra, quam olim Avellanitae noſtri obtinuerunt. Eum propterea in Avellaneuſi II celebratum vides.*

(b) *Liter s rubris hic notata eſt S. Severini conſecratio, dedicatio ſcilicet eccleſiae Septempedanae, quae S. Severino ſacra eſt.*

(c) *S. Romualdus in A. II minio notatus.*

(d) *In pervetuſto ſacramentario mſs. Avellancuſi ad hunc diem agitur de S. Jacobo Alphaei, cuius feſtum ibi, & in aliis antiquis tabulis eccleſiaſticis his verbis praenotatur: Natale S. Jacobi Alphaei. Tres igitur Jacobos apoſtolos tunc colebat Eccleſia, Jacobum Alphaei hac die Jacobum Zebedei, ſive Joannis fratrem, quem die XXIV. Julii veneramur, & Jacobum fratrem Domini cui Kalendae Maii dicatae ſunt. Poſteriores duos jamdiu in unum ſequitur aetas miſcuit.*

VI. Ss. Mm. Johis & Pauli Mm.
V.
IV. S. Leonis Pp. conf. Viglia apl. Petri & Pauli.
III. Ss apl. Petri & Pauli. Dup. offic.
II. Commemoratio S. Pauli ap. *Deeſt in* A I.
Commemoratio S. Pauli & Martialis ep. A. II.

JVLIVS.

KL. Octava S. Johis Baptiſte & celebratur [a] feſtum Viſitationis.
Octava S. Johis Baptiſte. A. I *Ita & in ceteris.*
VI. Non. Ss. Mm. Proceſſi, & Martiniani. F. I. II. A. I. P.
Viſitatio V. M. & Proceſſi & Martiniani Mm. A. II.
V.
S. Muſtiole P. [b]
IV.
Translatio S. Martini F. I. II.
III. S. Margarite v. m. *Et in* A. I.
II. Octava apoſt. Petr & Paul. Dup. off.
Nonis. S. Martialis apoſtoli. [c] *Deeſt in ceteris.*
VIII.
VII.
VI. Ss. Mm. Septem Fratrum & Ruſine & Secunde & S. Paterniani.
Ss. Septem fratrum & S. Paterniani m. F. I. II. A. I. P.
Septem fratrum & Ss. Ruſine & Secunde v. m. A. II.
V. S. Pii Pp. m. *Deeſt in ceteris.*
Translatio S. Benedicti F. I. II.
IV. Ss. Mm. Naboris & Felicis. *Et in* P. A. I. II.
III. S. Anacleti Pp. m. *Deeſt in ceteris.*
S. Margarite v. m. P. F. II. A. II.
II.
Ss. Quirici & Julitte matris ejus. A I.
Idibus Ss. Quirici & Julitte Mm. *Et in* F. I. II.
XVII. Kal. Aug. Obitus D. Innocentii Pp. III.
Ss Quirici & Julitte P A. II.
S. Marine A. I
XVI. S. Alexii conf. *Et in* F. II.
Alexii & S. Marina v. A. II.
S. Marine P.
XV. S. Simphoroſe cum VII. fil. Mm. *Deeſt in ceteris.*
S. Roſilli P. A. II.
XIV. *Ab hac die uſque ad novas Septembris ne minuas ſanguinem.*
S. Arſenii monachi A. I.
XIII.
XII. S. Praxedis v. *Commemoratio fratrum defunctorum.*
XI. S. Marie Magdalene. Sem. *Eſt & in ceteris; ſed in* P. *alia mann.*
X. S. Apollinaris ep. m. *Et in* P. F. I. II. F. II.
S. Apollinaris ep. A. I
IX. S. Criſtine v. m. *Viglia. Eſt & in ceteris excepto* P.
VIII. S. Jacobi ap & S. Criſtophori m. *Et in* A. I II.
S. Jacobi ap. F I. Nativitas S. Jacobi ap & ss. Xpoſtori & Cucufati Mm F. II.
S. Jacobi fratris Johis [d] & S Xpoſtori m P.
VII. S Paſtoris phr. conf & S. Anne
S. Anne A. II. F. II. *Deeſt in ceteris.*
VI. S. Pantaleonis m. *Deeſt in ceteris.*
V. Ss. Mm Nazarii Celſi Victoris, & Innocentie & Marte.
Ss. Nazarii & Celſi Mm. P. A I. F. I
Ss. Nazarii, & Celſi & Pantaleonis Mm. F. II.
IV. Ss. Mm. Simplicii Fauſtini Beatricis & Felicis Pp. m.
S. Felicis Pp. Simplicii. Fauſtini. Beatricis. P A. I
Ss. Simplicii Fauſtini & Beatricis Mm. F. I. II.
III. Ss. Adon & Senen. conf
Ss. Abdon & Senen. Mm. P. F. I. F. II.
II.
Ss. Felicis Pp & Germani ep. conf. F. II.
Geminiani ep. m. F. I.

AVGVSTVS.

KL. S. Petri ad Vincula, & Ss. Mm. Machabeorum. Sem.
S. Petri a vincula. Ss. Machabeorum & Felicis conf P.
S. Petri ad Vincula A. I. Vincula S. Petri ap F II
Vincula Petri & Machabeorum Mm A. II.
Vincula S. Petri. Euſebii ep. conf F I.

IV.

[a] *Feſtum hoc recenti manu additum.* [b] *Pernſini a Cluſinis accepere.*
[c] *Apoſtoli titulus S. Martiali aſſertus magnis contentionibus in Gallia paulo poſt initium ſæculi* XI. *At nihil de ea re in antiquis Mrologiis, ut animadvertit Cl. Georgius in ſua Adone ad diem* XXX *Jun., ut mirum ſit eum titulum Martiali delatum in eccleſia Eugubina.* [d] *Concinit hoc Kalendarium cum antiquo ſacramentario Avellanenſi ſupra laudato; atque ita diſtinctos vides* Jacobum fratrem Joannis, & Jacobum Zebedæi, *de quo ſupra, a Jacobo ap. quem colimus Kalendis Maii.*
[e] *Supple hic* Florentium m. *cum ſociis, quem habet F. I.*

IV. Non. S. Stephani Pp. m. *Et in ceteris.*
III. Inventio corporis S. Stephani protom. *Et in ceteris* exceptis A. I. II.
II. S. Juſtini pbr. & m. *Et in* A. II. *Deeſt in ceteris.*
Nonis. S. Dominici ord. pred. & feſtum nivis.
S. Dominici conf. P. I. II.
Midii (l. Emigdii) ep. & Feſtum B. M. V. quod dicitur nivis A. II.
VIII. Id. S. Sixti Pp. m. & Feliciſſimi & Agapiti Mm. & celebratur feſtum Transfiguationis Domini.
Sixti Pp. & m. & Feliciſſimi & Agapiti Mm. A. II. F. I. II. A. I. II
S. Sixti ep. m. P.
VII. S. Donati ep. m. *Et in* P. F. I. II.
Ss. Donati & Yariani. A. I. II.
VI. Ss. Mm. Ciriaci Largi & Smaragdi. *Et in* A. I. II.
S. Ciriaci m. P. Ciriaci cum ſotiis ſuis F. I.
S. Ciriaci cum ſotiis ſuis & S. Peregrini m. F. II.
V. S. Romani m. & Vigilia S. Laurentii. *Et in* F. I. II. A. II.
Vigilia S. Laurentii. A. I.
Vigilia S. Laurentii archidac. P.
IV. S. Laurentii m. Duplex.
III. Ss. Tiburtii & Suſanne Mm.
S. Tiburtii m. P. F. I. II. A. I. II.
II. S. Care v.... de ord. dominarum. *Deeſt in ceteris.*
Ob Homodei ſacerdos P.
Idibus. S. Hypoliti & ſotiorum ejus m. A. II. F. I. II
Ss. Ypoliti & Caſſiani Mm. A. I. P.
XIX. Kal. Sept. S. Euſebii pbr. conf Vigil. B. M. *Et in* A. I. II. F. I. II.
S. Euſebii pbr. P.
XVIII. Aſſumptio B. M. V. Dup.
XVII.
S. Arduini ep. A. I. *(a)*
XVI. Octava S. Laurentii
Octava S. Laurentii & Mamertis ep. m. A. II.
S. Mamertis m. P.
XV. S. Agapiti m. *Et in reliquis.*
S. Demetrii & Agapiti P.
XIV. S. Ludovici ep. conf.
S. Demetri A. I. S. Magni m. F. II.
XIII. S. Bernardi ab. *Et in* A. II. F. I. II.
XII.
XI. Ss. Mm. Thimotei Hypoliti & Simphoriani. Oct. B. M.
X.
Vigil. S. Bartolomei ap. P.
IX. Vigilia S. Bartolomei ap.
Et in F. I. II. S. Auree v. m. Vigilia A. II. Natale ejuſdem. P.
VIII. S. Bartolmei ap.
Bartolomei ap. & S. Ginefii m. A. II. F. I.
S. Bartolomei ap. & S. Ginefii conf. F. II.
S. Genefii m. P.
VII. S. Zephirini Pp. & m. *Deeſt in cet.*
Alexandri & Anaſtaſii m. A. II.
VI.
S. Rufi m. F. I. II.
V. S. Auguſtini ep. conf. & Hermetis m.
IV. De decollatione S. Johis Baptiſte S. Sabine m.
III. Ss. Mm. Felicis & Adaucti.
II.
Dedicatio eccleſie hyemi S. Crucis ſontis Avellane A. II. *(b)*

SEPTEMBER.

KL. Ss. Mm. XII. fratrum & S. Egidii ab.
S. Priſci m. & S. Egidii conf. P. A. I.
IV. Non. S. Antonini m.
S. Antonini m. P. S. Martini A. I.
Anniverſarium fratrum ordinis. F. I. *(c)*
III.
S. Martini conf. P.
Dedicatio ſacri monaſtii Ciſtercian. F. IIb
II.
Marcellini m. F. I. Marcelli m. F. III.
Nonis.
VIII. Id.
VII. S. Johis de Loda ep. Eugubini conf.
Vigilia & S. Adriani m. & S. Evurti conf. F. II.
Evurtii ep. conf. F. III. Enuntii ep. conf. F. I.
VI. Nativitas S. M. V. & S. Adriani m.
V. S. Gorgonii m.
IV. S. Nicolai de Tolentino. *Deeſt in ceteris.*
III. Ss. Mm. Prothi & Jacinti. Et tranſlatio S. Ubaldi *Hæc deeſt in cet.*
Proti Jacinti & Eugenii A. I.
II.
Idibus
XVIII. Kal. Oct. Exaltatio S. Crucis & Ss. Mm. Cornelii & Cypriani.
XVII. S. Nicomedis m. Octava B. M. V. Sem.
S. Nicomedis. P. A. I. F. I.
XVI. Ss. Mm. Euſemie Lucie & Geminiani.
Et in F. I. II. Euſemie v. & Lucie & Geminiani P.

XV.

[a] Ino *conf.* [b] *Anno* MCXCVII. *peracta a Marco epiſcopo Eugubino adſtantibus Gentile ſedis apoſtolicæ legato, & epiſcopis* XII., *de qua in antiquioribus Avellanenſibus dictum.* [c] *Deeſt Silveſtrinorum; eſt enim alia manu additum.*

XV.
Lamberti ep. m. F. I. II. III.
XIV.
XIII
S Sequani ab. F. I. II. III.
Ss. Januarii & Euſtachii A. I.
XII. Ss Euſtach & ſotiorum ejus. Vigilia.
Vigilia S. Mathei ap. P. F. I. II. A. I.
XI. S. Mathei ap. & evang. Sem.
X. Ss. Mm. Mauritii & ſotiorum ejus. *Deſunt in* A. I. II.
IX. S. Lini Pp. m. *Deeſt in ceteris.*
VIII. S. Tecla v. m *Deeſt in ceteris.*
Conceptio S. Johis Baptiſtæ A. I.
VII.
VI. S. Cipriani ep. m. S. Juſtinæ v. m. *Et in* P. A. I.
V. S. Coſme & Damiani Mm.
IV.
III. Dedicatio baſilicæ S. Michaelis.
II. S. Hieronimi pbr. conf.

OCTOBER.

KL S Remigii ep. conf. *Et in* A. II. F. II.
Germani A. I.
Remigii, Germani, & Vedaſti ep. F. I.
Remigii ep. Germani & Vedaſti conf. F. III.
S. Severi P.
VI. Non.
S. Leodegarii m. P. Leodegarii ep. A. I.
V.
IV. Natale beati Franciſci conf. *Et in* A. I. II. F. II. III.
III.
S. Placidi cum ſotiis ſuis m. A. II.
II.
S. Pantaleonis m. A. I. S. Marci Pp. conf. F. II.
Nonis. S. Marci Pp. conf. Sergii Bacchi Marcelli & Apulei Mm.
Sergii Bacchi Juſtinæ P.
S. Marci Pp. & S. Lini Pp. A. I.
VIII. Id.
Reparatæ v. m. A. II. Dionyſii cum ſotiis F. I. II. A.
VII. Ss Mm. Dionyſii Ruſtici & Eleuterii.
Ss. Dominæ, Dionyſii, Ruſtici, & Eleuterii, P. A. II. S. Gemini conf. F. II.
VI. S Cerbonii ep. conf.
Paſſio S. Victoris A. I.
V.
IV.
III.
II. S Caliſti Pp. m. *Et in* F. I. II. III. (*b*)
Idibus.
XVII Kal. Nov. S. Galli ab. *Et in* P. A. II.

XVI.
XV. S. Luce Evang.
XIV. S. Deſiderii ep. m. *Deeſt in ceteris.*
XIII.
XII. Ss. Urſule & X. mil. Vv. S. Johis ab.
Natale S Urſule cum XI. mil. Vv F. II. III.
S. Ylarionis ab. conf. A. II.
XI. Cordule v. m. Sem. *Deeſt in cet.*
X
IX.
VIII. Ss. Mm. Criſanti & Darie.
Et Criſpini & Criſpiniani Mm. A. I. II.
Ss Criſpini & Criſpiniani F. I. II. III.
VII Evaritti Pp m. *Deeſt in ceteris.*
VI. Vigilia apl.
V. Ss. Simonis & Jude apl.
IV.
S. Aplani m. P.
III.
S. Germani ep. conf. Capuenſis. A. II.
II. Vigilia.
Vigilia omn. Ss. & S. Quintini m F. I. III

NOVEMBER.

KL. Feſtivitas om. Ss. & S. Ceſarii m.
Et S Ciriaci. P. Et Ceſarii & Benigni m. com. F. I. II. III.
IV. Non. Commemoratio Defunctor.
Deeſt in P. A. I III. S. Amici conf F. III.
Ob Petrus fit converſus de loco Anreſie. P.
III. Tranſlatio beatorum Mm. Mariani & Jacobi.
S. Mariani m P. S. Severini ep. conf. F. III.
Ss Valentini & Ylarii Mm. F II.
II. Ss Mm. Vitalis & Agricole. *Et in* P. A. II.
S. Perpetuæ & Vital. & Agricolæ. A. I.
Nonis S. Felicis & Euſepii m.
VIII. Id. S. Leopardi conf. *Et in* A. II.
VII.
Decollatio S. Herculani. P.
S. Leopardi ep. conf. F. III. S. Leodegarii conf. F. I.
VI. Ss. Mm. IV. coronatorum.
V. Dedicatio baſilicæ Salvatoris & S. Theodori m.
S. Teodori m. A. I. II. P. F. I.
IV. Ss Mm. Triphonis Reſpicii & Ninphæ v.
S Probi A. I. P. Probi archiep. conf. A. II.
III. S. Martini ep. conf.
II. S Martini Pp. m.
S Victoris m. P.
Martini Pp. m & Victoris. A II.
Idibus. S. Britii ep. conf. & S. Floridi (*a*) ep. conf. *Hic*

(a) *Tſe natis eccleſiæ patroni.* (b) *Supple hic* Gaudentium ep. m. *ut in A II. P. A. I. & Eugubino ipſo.*

Hic deeſt in ceteris.
Brutii & Florentii (I. Flotidi.) A. I.
XVIII. Kal. Dec.
XVII.
XVI.
Edmundi ep. conf. F. III.
XV.
S. Tecle v. A. I.
S. Ammeni ep. conf. F. III.
S. Amandi ep. conf. F. II.
S. Amiani ep. conf. F. I.
XIV. Dedicatio baſilicarum Petri & Pauli apl. Duplex off. *Et in* F. II.
Leontii & ſociorum ejus conf. F. II.
S. Romeni & Platonis m. A. I
S. Pletonis m. P. A. II.
XIII. Pontiani Pp. & S. Eliſabeth. *Deſunt in ceteris* excepto F. III.
XII.
XI. Preſentatio S. Marie Dup. majus. (a) *Deeſt in ceteris.*
S. Mauri & Yſidori. Obiit Armannus Ademi anno D. MCCLXXXIIII. Dompn. Vita recepit ab eo pro una planeta & unum camiſcium. Or. pro eo. P.
S. Columbani eb F. I. II. III.
X. S. Cecilie v. m.
IX. S Clementis Pp. m. *Et in* F. I. II. P.
S. Clementis & Columbani. A. I.
Clementis Pp m. & Felicitatis A. II. F. III.
VIII. S. Griſogoni m. *Et in* P. A. II. F. I. II. III.
S. Griſogoni & Proſperi. A I.
VII. S. Catherine v. m. *Et in* F. I. II. III.
S. Catharine v m. & Proſperi ap. A. II.
S. Proſperi conf. P.
VI. S. Petri Alexandrini ep. m.
S. Petri Alexandrini ep m. B. Silveſtri de Monta Fano fundatoris ord. nt. conf. F. III. (b)
Obitus s. Silveſtri F. I.
V. S. Jacobi Interciſi m.
Agricole & Vitalis F. I. III.
Ss. Agricole Vitalis & Jacobi Interciſi m. F. II.
IV.
III. S Saturnini m. & S. Illuminate. (c) Vigilia.
Vigilia S. Andrea ap. & S. Saturnini. F. I. III. A. I. P.
Saturnini m. & Criſanti. Vigilia. A. II.
II. S. Andree apl. Scm.

DECEMBER.

KL
S. Candida v. & Dimaſci & Anaſtaſii. A I.
Criſanti Mauri & Daria Mm. F. I III.
Criſanti Mauri & Maria Mm. & Elagii ep. conf. F. II.
IV. Non. S. Viviane v. *Deeſt in ceteris.*
III.
II. S. Barbare v. m. *Et in* A. II P. F. I. II. III.
S. Bibiana. A. I.
Nonis. S. Sabe ab. conf. *Et in* F. III. *Deeſt in ceteris.*
VIII. Id. S. Nicolai ep. conf.
VII. S. Ambroſii ep. conf. & S. Savini ep. m. *Et in* P. A. II. F. III. (d)
Octava S. Andree. F. III
VI. Concep: o glorioſe V. M. *Et in* A. II. F. II.
S. Zenont ap. P. A I.
V.
S. Syri ap. A. I. II.
IV. S. Melciad.s Pp. m. *Deeſt in ceteris.*
S. Eulalie v. m. A. I. II. P.
III. S. Damaſi Pp. conf. *Et in* F. I. II. III.
Idibus. S. Lucie v. m. *Et in* F I. II. III.
S. Lucie v. & S. Uſticini m. P. A. I. II.
X X Kal. Jan.
XVIII.
XVII.
XVI.
XV.
XIV.
XIII. Vigilia S. Thome.
XII. S. Thome ap.
XI.
X.
S. Gregorii m. P. A. I. II. F. I.
S. Gregorii m Spoletan. F. III.
Ob. Salvolo Reinieri. an Do MCCLVIII. P.
IX. Vigilia D. N J Xpi Natalis
VIII. Nativitas D. N. J. Xp & S. Anaſtaſie. *Et in* F. III. *In ceteris* S. Anaſtaſia *deſideratur.*
VII. S. Stephani Protomar.
VI. S. Johis apl. ev.
V. Ss. Mm. Innocentium. Scm.
IV. S. Thome archiep. m.
III.
II. S. Silveſtri Pp. conf.

CAPUT.

(a) *Al manu.* (b) *Al. manu.* (c) *A Tadertibus Eugubini accepere.* (d) *Faventinorum patroni, cujus corpus in marmoreo tumulo in cathedrali eccleſia Faventi. quieſcit.*

CAPUT IX.

Catalogi epiſcoporum, aliaque monumenta, quibus in hoc opere uſi ſumus.

QUae mihi uſui fuerint in chronotaxi antiſtitum Eugubinorum adornanda, paucis aperiam. Ughellus primum operis ſubjectum, & quaſi fundum praebuit. Sed in eo multa diruere oportuit, non recte conſtituta; multa inaedificare ab eo praetermiſſa; plura denique amplificare, & ornare nimis exiliter exſtructa. Ad eam rem, ut libros editos omittam, tabularia Eugubina, partim per me ipſum, partim per amicos ſcrutatus ſum. Ex tabulario item Avellanenſis monaſterii nonnulla deprompſi; neque ſubſcriptiones epiſcoporum in conciliorum actis, tum a Labbeo, tum nuper a Manſio collectis, fruſtra inſpexi. Ad haec non minimo mihi praeſidio fuit codex chartaceus Franciſci M. Armanni, in archivo Armanno aſſervatus, quo brevis continetur ſynopſis tabularum antiquarum, quae ſunt in archivo canonicorum eccleſiae Eugubinae. Sed nihil ne, inquies, profeciſti ex catalogis mſs. qui plures circumferuntur, ex Greffolini chronico, ex commentatiuncula Mauri monachi Divi Petri, ex annalibus Offredi epiſcopi? Vidi equidem haec omnia, praeter annales epiſcopi Offredi, quos numquam fuiſſe exiſtimo. Sed catalogi ſane recentes, ſuperiori ſaeculo, vel paulo ante concinnati, non ſunt idonei teſtes antiquitatis. Eorum uſus fuit in ornanda ſucceſſione epiſcoporum, qui per ea tempora fuerunt. Ex Greffolini chronico pauca reſtant fragmenta, quae incendio ſubtracta dicuntur. Ea mihi ſuſpecta multis de cauſis videntur. En exiguam ejus laciniam: ....*Praedicto S. epiſcopo ſucceſſerunt Agapius & Secundinus ſimiliter de Eugubio, & mira ſanctitate coepiſcopi*.. Accipe alteram: *Hoc anno* (D CXXI) *electus fuit epiſcopus Benenatus Beny*.... cui ſucceſſiſſe dicitur *Palmerius Gratiani*, mox *Quintianus Caſtalii*. Ex ungue leonem. Sed fac genuina ſint haec fragmenta. Vixiſſe ajunt Greffolinum ſaeculo XIV. fabularum ſcilicet amantiſſimo. Qua ergo fide dignus eſt, ubi antiquiorum temporum memoriam complectitur? Ex Mauro monacho ſi quid boni elicere datum eſt, id ſuo quodque loco habebis. Interim ejus commentatiunculae partem non minimam hic accipe ex membranis archivi Armanni (*a*).

De epiſcopis Eugubinis, & abbatibus S. Petri deque martyriis Sancti Mariani, & Jacobi.

In no-

[a] *Archiv. Arman. L. 4. in fol. L.*

IN nomine Dñi Jeſu Xpi Amen. Ego Maurus filius Ser. Joannis Soperchie de civitate Eugubii monachus Sancti Petri Ordinis Sancti Benedicti ejuſdem civitatis, in praeſentiarum R. Dñi Gaſparis Landi dec. doc. praefatae eccleſiae vicarius, ad honorem, & gloriam omnipotentis Dei, & eccleſiae propriae Eugubinae perpetuam memoriam, juſſu ipſius Dñi abbatis in hanc brevem ſummulam ſcripſi, & collegi numerum omnium abbatum Sancti Petri praedicti, qui uſque in praeſentem diem in Dño requieſcunt. Ac etiam nomina quorumdam R. Epiſcoporum dictae civitatis, quos in antiquis libris noſtrorum annalium, & monachorum eremi S. Crucis ſparſos, & notatos inveni. Et in primis ex his, quae a Beato Petro Damiano dicti eremi precipuo cultore ſcripta, & notata reperiuntur. De Eugubio ita colligitur: Habuit haec civitas complures ſanctiſſimos epiſcopos, inter quos Decentius, Gaudioſus, Fortunius, & Deodatus ſumma doctrina, & religione floruerunt, de quibus Beatum Hieronymum quandoque meminiſſe non ambigimus. Haec Petrus Damianus.

Ex annalibus R. D Offredi, olim monaſterii S. Petri de Eugubio abbatis in praefatione eorumdem. Adde quod haec civitas multis ſanctiſſimis epiſcopis illuſtratur, quos ſummam, divinamque clementiam pro populo olim ſibi credito, aſſiduis precibus orare procul dubio credimus. Ex his fuerunt beatae memoriae Joannes Laudenſis, olim Beati Petri Damiani diſcipulus, Stephanus, Ubaldus, Raphael Salutius, & piae memoriae Vilanus, omnes, Deo dante, in hunc quoque diem ſignis, & miraculis praeclari.

Ex annalibus R. D. Servoli abbatis uſque ad tempus D. Ugolini notantur infraſcripta nomina epiſcoporum ſanctae eccleſiae Eugubinae. Offredus, Paulus, Victorinus de Eugubio, Gualterius de Piſtorio, Rainutius, qui una cum epiſcopo Peruſino olim pacem, & concordiam inter utramq. civitatem pertractavit, Viſianus, Benedictus, qui de eccleſia, & populo Eugubino optime meruit, Petrus de Gabriellis, Bentivolus, Gabriel. Hujus tempore civiles diſcordiae repullulant. Franciſcus Billius, qui pro S. R. Eccleſia in civitate Spoletana gubernator totam provinciam pacatiſſimam reddidit. Joannes Germanus, qui ob maximam prudentiam a Romano Pontifice in Germaniam ad Caeſarem miſſus in itinere rediens moritur. Corradus Veſpius. Hi ſunt de quibus hactenus memoriam habere potuimus.

Abbates S. Petri, quorum nomina in hunc uſque diem notantur, quatuor fuiſſe reperimus, ex quibus Offredus, & Benedictus propter eorum maximam doctrinam, & probitatem fuerunt electi Eugubinae eccleſiae Epiſcopi: Alii duo videlicet Paulus alter, & Raimundus Aſculanae, & Venafranae civitatis epiſcopi conſecrantur. Honofrius de Eugub. tem-

pore Eugenii IIII. totius congregationis noſtrae generalis abbas effi-citur. Deo igitur laus, qui tales viros nobis praeſtare dignatus eſt ob ejus clementiſſimam pietatem. Haec ſunt quae hactenus ad propoſitum noſtrum habere, & colligere potuimus, cum multa etiam incuria, & negligentia praeteritorum monachorum perierint.

Habes in brevi centone nugarum ſatis. Ea certe Hieronymo, & Petro Damiano affinguntur, quae numquam iis in mentem venerunt. Raphael Salutius epiſcopus miraculorum gloria clarus dicitur, qui numquam fortaſſe ſedem Eugubinam tenuit (*a*). Stephanum quoque pari encomio extollit, quod aliunde ignotum eſt. Quid memorem quae confuſio ſit in recenſendis epiſcopis, paucis illis quidem, qui ſequuntur? In his Victorinum habes, & Benedictum ignota nomina, quae nemo impune referat in ſacra eccleſiae Eugubinae diptycha hujus unius auctoris teſtimonio. Sed de his, deque civitate, & eccleſia Eugubina hactenus.

MONITUM.

In Kalendario Fabrianenſi ſecundo, quod capite ſuperiori datum eſt, ad V. Id. Julii haec habentur in extrema pagina:

Ex privilegio Dñi Urbani Pp. II. de corpore S. Benedicti Dat. Capue Kal. April. per manus Johis cardinalis indic. XIII. An. D. MXCIII.

In virtute Spiritus Sancti precipimus ne quis ulterius falſam B. P. Benedicti translationem celebrare preſumat, contradictoribus hujus noſtri apoſtolici conſtituti divinum judicium intentantes, & anathematis judicio innodantes.

In Kalendario Eugubino ad diem VIII. Id. Nov. lege S. Leonardi conf.

(a) *V. infra pag. 129.*

DE EPISCOPIS EUGUBINIS.

SS. AGAPIUS, ET SECUNDINUS. Sunt qui antiſtitum Eugubinorum ſucceſſionem a Ss. Agapio, & Secundino auſpicentur. In his eſt Julius Lazarellus in ſuis epiſcopis Eugubinis ad calcem ſynodi Alexandri Sperelli editis, & cum eo conſentit Vincentius Armannus (a), qui Eugubii, patriae ſuae, epiſcopos ſanctitate illuſtres recenſens Ss. Agapium, & Secundinum ex eo numero habet, eoſque epiſcopatum geſſiſſe autumat ad annum Chriſti CCLXII. ſed quis ferre poſſit duos eodem tempore fingi epiſcopos in cathedra Eugubina, cum ea civitas vel nullum fortaſſe etiamnum habuerat, vel ſi quidem habuerit, ut veroſimillimum eſt, nulla ejus rei memoria ad nos in tanta antiquitate pervenerit? Lazarellus eos narrat a S. Dionyſio Romano Pontifice ordinatos, prima chriſtianae religionis ſemina jeciſſe apud Eugubinos, ac poſtmodum in Cirthenſi colonia martyrio coronatos, unde eorum reliquiae Eugubium delatae ſint, Eudoxia Gabriellia nobiliſſima foemina curante. Atque haec ex apocryphis, & nugarum pleniſſimis actis delibata ſunt, quae infra excutiemus.

II. Non ſum equidem neſcius duos quandoque epiſcopos in una civitate antiquioribus ſaeculis ſimul ſediſſe, quod Thomaſſinus (b), & alii demonſtrarunt, ſed non id temere de ulla eccleſia credendum eſt, niſi legitimum accedat ſuffragium antiquitatis. Lazarellus vero, & Armannus, & ſi quis eſt alius, qui cum eis ſentiat, hauſerant id, opinor, ex confictis Greffolini Valeriani fragmentis, de quibus ſatis jam ante dictum eſt (c). Indidem habuit etiam Nicolaus Nardinus (d), qui hoc eccleſiae Eugubinae exemplo uſus eſt, ut oſtenderet duos uno tempore epiſcopos in cathedra Nepeſina ſedere potuiſſe. Mirum autem homini nec indiligenti, & erudito non ſuboluiſſe quantum fraudis in Greffolini teſtimonio lateret.

III. Didicerat id Nardinus ex Vincentio Armanno, ut ex ejus epiſtola III. non. Jan. an. 1676. ſcripta, quam ineditam olim vidi apud Guidonem Ubaldum Angelinum, bibliothecae publicae Eugubinae praefectum. Quod ſi Greffolinum audias, anonymum quoque epiſcopum quendam

( ) *Tom. I. epiſt. pag* 700. (b) *Thomaſs. vet., & nov. diſcipl. p. II. l. 2. c. 55. n. 7., &c.*
(c) *Diſſert. praev. c. IX.* (d) *Diſſert. apolog. de cathedra Nepes. Romae* 1677. *pag.* 35.

ante Agapium, & Secundinum in cathedra Eugubina admittere oportebit. Sic enim incipit illud Greffolini fragmentum callide confictum ..... *Praedicto ſancto epiſcopo ſucceſſerunt Agapius, & Secundinus ſimiliter de Eugubio, & mira ſanctitate coepiſcopi.* Mitto chronicon Gualdenſe, & S. Facundini, quae afferri poſſent ad epiſcopatum Eugubinum Ss. Agapii, & Secundini adſtruendum. Videri enim poſſunt quae diximus in poſtremo capite diſſertationis praeviae.

IV. Tamayus ex pſeudo-Juliani Petri figmentis, ut ab Henſchenio animadverſum eſt (a), Ss. Agapium, & Secundinum in ſuum martyrologium Hiſpanum intruſit, & Agapium Carthaginenſibus in Hiſpania, Secundinum Bracharenſibus adjudicavit. Sed habemus acta genuina Ss. Jacobi, & Mariani, aliorumque plurium una Cirthae in Numidia coronatorum ſub Valeriano principe, quae afferuntur a Baronio (b), & a ſociis Bollandianis (c) atque a Ruinartio illuſtrantur (d). In his non pauca ſunt de Ss. Agapio, & Secundino, quibus ſi Armannus, Tamayus, & ſi qui praeterea ſunt ejus ingenii ſcriptores, fidem habere voluiſſent, vel tanta fingendi libertate uſi non eſſent, vel tam immania aliorum mendacia non ipſi temere probaſſent. Ex his actis Agapium, & Secundinum epiſcopos fuiſſe conſtat, ſed non propterea cuiquam fas eſt ſuas eis ſedes epiſcopales temere, & ſine certis monumentis, vel probabilibus ſaltem conjecturis, affingere.

V. Habent Eugubini canonici regulares congregationis Rhenanae horum martyrum corpora in templo, quod olim ex Ss. Agapii, & Secundini nomine dicebatur, nunc vulgo S. Secundi appellant. Ea tumulata ſunt ſub ara maxima, ubi & S. Secundi corpus quieſcere dicitur, quod & vetus epigraphe, aedi ipſi inſcripta, teſtatur in hunc modum: FACTUM FUIT HOC OPUS SUB ANNO DOMINI MCCCXLIII. HIC SUNT RELIQUIAE BB. MM. SECUNDINI, ET AGAPII PONTIFICUM, ATQUE SECUNDI. Habere dicuntur & fratres Auguſtiniani in oppido Pergulano Eugubinae dioeceſis Ss. mm. Secundi, & Agapiti reliquiae (e). Si nomina ſpectes, alii atque alii ſunt Agapitus, & Secundus, Agapius, & Secundinus; idque in certiſſimis rebus habent Pergulani, & Eugubini, neque ego aperte auſim contradicere. Sed non levis tamen ſuſpicio mihi animum pulſat, unum, idemque par Ss. mm. eſſe, ita ut ex veris, indubiiſque Agapio, & Secundino mm. Agapitus, & Secundus effecti ſint, vel vitio ſermonis popularis, qui in corrumpendis antiquis nominibus plurimum ſemper potuit, vel quodam vulgi errore, cujus neque cauſam, neque initium ſcire liceat. Abſtineo dicere malam fidem alicu-

(a) *Acta Ss. d. 30. Aprit.* (b) *Baron. ad an. 262. XL.* (c) *Acta Ss. loc. cit.* (d) *Ruinart. acta ſelecta mm.* (e) *Secundi ſcilicet caput, & Agapiti corpus.*

cujus impoſtoris, qui, ut in confingendis actis Ss. mm. Secundi, & Agapiti latis ſe audacem praebuit, idem & in refingendis eorum nominibus non majorem ſcrupulum habuerit. Quae mihi hanc ſuſpicionem ingeſſerint paucis aperiam, ac primum monebo, quoad S. Secundinum, ſimillimum exemplum occurrere in S. Secundino epiſcopo Trojanorum in Apulia, qui alias Secundi nomine alicubi celebratur, ut eſt apud Ughellum in Trojanis epiſcopis.

VI. Primo igitur de Ss. Secundo, & Agapito ante ſaeculum XIII. Eugubii nihil erat auditum, quemadmodum & apud Pergulanos, qui eo ipſo ſaeculo decurrente eſſe coeperunt, quique eorum reliquias habuiſſe dicuntur anno MCCLXXXV., annis circiter L. poſt Pergulam conditam. Nulla certe eccleſia Sanctis hiſce martyribus Eugubii dedicata, nullum antiquioris cultus indicium in eccleſia Eugubina, nulla eorum mentio in ejus eccleſiae faſtis. At Ss. Agapii, & Secundini celebris eſt memoria, & cultus antiquiſſimus. Quae enim nunc de S. Secundi, olim de Ss. Agapii, & Secundini nomine dicebatur, ut antea monuimus, inſignis eccleſia, & canonicorum collegio illuſtris. Dabimus infra ſuo loco Innocentii II. diploma inſcriptum *Laetoni priori eccleſiae Ss. Agapii, & Secundini mm.* quod eſt *datum Laterani anno* MCXLI. Dabimus & alterum Alexandri III. datum anno MCLXXXI. & *Salvo priori eccleſiae Ss. Agapii, & Secundini* inſcriptum, ex quibus, qui verus fuerit ejus eccleſiae titulus, apparet. Neque me movet, quod in vita S. Ubaldi a Theobaldo ejus ſucceſſore ſcripta, Ubaldum ipſum legimus ab eccleſia S. Mariani, quo ſe receperat, ut *in diſciplina eccleſiaſtici ordinis* erudiretur, ad S. Secundi eccleſiam migraſſe, unde poſtea a S. Joanne Laudenſi revocatus ſit. Neque enim ita ſcripſiſſe Theobaldum cenſeo; ſed cum ea eccleſia ſucceſſu temporis veteri appellatione obſoleſcente ex S. Secundi nomine dici coeperit, auſos eſſe amanuenſes, qui S. Ubaldi vitam exſcripſerunt, veluti per quandam prolepſim novitiam S. Secundi appellationem uſurpare; quaſi eo nomine jam tum eccleſia illa diceretur, quod ſolum inſequenti tempore ſortita eſt.

VII. Ea vero acta, quibus moveri alios video, ut Ss. Agapitum, & Secundum, quaſi alios a Ss. Agapio, & Secundino agnoſcant, mihi potius ſuppeditant argumentum, ut non alios atque alios, ſed plane eoſdem eſſe judicem. Ac de Agapito quidem manifeſta res eſt. Sunt ejus acta, quae dixi, in codice membranaceo haud magnae antiquitatis apud fratres Auguſtinianos in oppido Pergulano, unde ad Papebrochium tranſmiſſa fuerant, qui, cum nihil bonae frugis continere viſa eſſent, ab iis edendis abſtinuit (a).

(a) *Acta Ss. ad diem primam Junii.*

Et ſane a capite ad calcem plena ſunt fabulis, & ineptiis, ex quibus illud unum emolumentum percipitur, quod quo ex fonte acta ipſa manarint, perſpicuum eſt. Nugator enim ille, quiſquis fuerit, qui ea acta confixit, ſatis liquido oſtendit, ſe prae oculis habuiſſe vera, & genuina Ss. mm. Agapii, & Secundini acta, ſeu potius martyrum Numidarum, in quibus multa ſunt de Ss. Agapio, & Secundino, deque Ss. Jacobo, & Mariano, in eadem perſecutione martyrio coronatis. Ex hiſce actis integerrimis ſuam illam non minima ex parte expreſſit inſulſam plane narratiunculam, temere mutatis temporibus & hominum, & locorum nominibus, ut fucum faceret incautis lectoribus. Placet hic aliquod ejus ſpecimen exhibere, ut prudens quiſque judicium de re tota ferre poſſit. *Tempore Maximiani Imperatoris*, en fabellae initium non inſcite ex Maximiani temporibus petitum, quae eccleſiae Chriſti luctuoſiſſima fuiſſe conſtat, *cum perſecutionis ſaeva tempeſtas adverſus chriſtianos vehementer ingrueret, & feralis gentilium rabies ovile Chriſti cruento ore immaniter devaſtaret, contigit, ut miles quidam nobilis de Hiſpania, nobilibus parentibus genitus, de ſtirpe regia ducens originem, ſed multo nobilior virtutibus, & fide, Agapitus nomine, vigeſimum annum agens, cum maxima & copioſa multitudine virorum, ac mulierum in Numidiam iter haberet, quae quidem provincia nunc provincia Ducatus appellatur. Hic digne, & laudabiliter pro fide Chriſti certaverat, & infeſtationes Decianae perſecutionis valenter evicerat .... Hic tandem divertit ad quandam ejuſdem provinciae villam, cui erat vocabulum Mugis, quae nunc Mugellis vulgo dicitur: erat autem haec villa vicina ſatis, & quaſi ſuburbana cuidam civitati, quae dicebatur Cirthenſis colonia, nunc vero Eugubium nuncupatur. In hac autem civitate praecipue diaboli rabies adverſus Chriſti milites ferventius aeſtuabat.*

VIII. Audi jam ſyncera martyrum Numidarum acta: *Nam pergebamus in Numidiam ſimul, ut ſemper antea, ſocio, parique comitatu viam ingreſſi, quae nos ad expectatum fidei, & religionis obſequium, illos jam ducebat ad coelum. Et venerunt in locum, qui appellatur Muguas, cui eſt Cirthenſis coloniae ſuburbana vicinitas, in qua tum maxime civitate gentilium coeco furore, & ex officiis militaribus perſecutionis impetus, quaſi fluctus ſaeculi tumeſcebant.* Vides utrobique, & martyrum iter in Numidiam, & villam Muguas dictam, Cirthenſis coloniae vicinam, & in colonia Cirthenſi ſaevam perſecutionis procellam. Ridebis autem Numidiam ex Africa in Italiam tranſvectam, & cum Ducatus provincia, notiſſima ſcilicet Spoletani ducatus, commutatam, & Cirthenſem item coloniam in Eugubinam civitatem converſam. Quod vero blateronem hunc audis de infeſtationibus Decianae perſecutionis ab A-

ga-

gapito ſuperatis dicentem, id etiam ex iiſdem actis totidem verbis decerptum eſt. Ex eodem fonte hauſtum eſt, quod de Agapito additur in hunc modum: *Beatus autem Agapitus nunquam ceſſabat ſanctis monitis, non ſolum fideles hortari, ſed & infideles quoſque ad fidem convertere..... parum enim erat, quod ipſe martyrio pretioſum ſanguinem deſtinaſſet, niſi & alios martyres fidei ſuae inſpiratione efficere curaret.* Sic porro genuina acta de Ss. Agapio, & Secundino habent: *Et contigit, fratres, ut Agapius, & Secundinus, ex illuſtri ſacerdotio martyres glorioſi, in eo tranſitu, quo ad beatae paſſionis ſuae praelium, praeſidis quidem temporanea poteſtate, ſed Chriſti electione pergebant, noſtrum interim dignarentur hoſpitium. Quibus tantum inerat ſpiritus vivificationis, & gratiae, ut tam ſanctis, & praeclaris Dei teſtibus jam parum eſſet, quod ipſi martyrio pretioſum ſanguinem deſtinaſſent, niſi etiam alios martyres fidei ſuae inſpiratione feciſſent.*

IX. Primis extrema reſpondent; martyres enim Numidas ad cujuſdam fluminis ripam interfectos legimus, *cujus alveus ipſum, medio ſinu, fluorem beati ſanguinis hauriebat.* Similia habet apocryphus noſter biographus, qui ad *Pontem Marmoreum*, locum olim apud Eugubinos notiſſimum, S. Agapito caput amputatum tradit, ibique flumen fuiſſe comminiſcitur martyrum ſanguine redundans, unde Eudoxia matrona Eugubina caput S. Agapiti extrahendum curaverit.

X. Satis igitur conſtare opinor, unde haec acta S. Agapiti ſint petita. Quae de S. Secundo in eodem codice Pergulano leguntur, non melioribus veritatis notis inuſta ſunt. Sed cum de ſancto quodam Secundo exploratum eſſet apud Amerinam civitatem in Tiberim praecipitatum eſſe, id retentum eſt tanquam baſis, & fundamentum totius narrationis, cui tameu & Eudoxia pia foemina, & Maximiani perſecutio, imo & Dionyſius proconſul, ſub quo Agapitus martyrium feciſſe fingitur, perbelle intexuntur, ut dubitare non poſſis ex eodem fonte manaſſe omnia. Fateor tamen haec S. Secundi acta minus portentoſis ſcatere mendaciis, quam acta S. Agapiti: quare a Papebrochio edita ſunt ad diem primam Junii. Sed non id tamen magno mihi argumento eſt, S Secundum, cujus reliquiae apud Eugubinos, & Pergulanos coluntur, ipſum eſſe Secundum martyrem Amerinum, ut acta iſta praeferunt, neque id ulla ſatis probabili ratione oſtendi poteſt. Fac enim id verum eſſe, quod conjectando dixi, quemadmodum ex S. Agapio certiſſimo martyre, & apud Eugubinos notiſſimo Agapitus emerſit, ita & ex S. Secundino Secundum eſſe conflatum. Num adeo difficile fuit ei accomodare acta S. Secundi martyris Amerini, quemadmodum ex actis S. Agapii, novitii illius Agapiti acta deformata ſunt?

Id

Id certe ſpectaſſe auctorem actorum S. Secundi apparet ex eo, quod hunc martyrem fingit latibundum vixiſſe Eugubii apud Eudoxiam matronam, unde Spoletum, ac deinde Ameriam perductus in Tiberim praecipitatus ſit, ac demerſum ejus corpus ab eadem Eudoxia ad Eugubinam civitatem delatum.

XI. Eſt aliud, quod mihi ſuſpicionem auget de vitiatis Ss. mm. Secundini, & Agapii nominibus, & in Secundum, atque Agapitum converſis. In antiquo enim Kalendario Eugubino, quod in praevia diſſertatione vulgatum eſt, ad v. id. Maii cum Ss. Gordiano, & Epimacho recoluntur Ss. Secundinus, Agapius, & Secundus mm.. Agapius autem *Agapitii* nomine effertur; quod argumento eſt, coepiſſe jam tum Agapii nomen deformari, & in Agapitum verti. Adde quod in Breviario ipſo membranaceo, cui Kalendarium illud praefixum eſt, quoque olim utebantur canonici cathedralis eccleſiae Eugubinae, pro officio Ss. mm. Secundini, & Agapii, ſive Agapitii, legenda occurrunt ea ipſa acta ſpuria, quae ſupra deſcripſimus. Ex his pronum eſt conjicere, & genuinum, ac nativum Agapii nomen in Agapitum eſſe verſum, nec alium eſſe Pergulanenſium Agapitum, quam Agapium antiquiſſima religione apud Eugubinos celebratum. Neque admodum improbabile eſt, idem de Secundino in Secundum converſo ferendum eſſe judicium.

XII. Quod ſi una cum reliquiis Ss. mm. Secundini, & Agapii apud Eugubinos quieſcere dicuntur reliquiae etiam S. Secundi in ea inſcriptione, quam ſupra attulimus (a), facile animadverti poteſt eam inſcriptionem anno MCCCXLIII. non eſſe antiquiorem, ac propterea poſitam eſſe annis LVIII. poſtquam Ss. mm. Agapiti, & Secundi, vel corpora, vel reliquiae translatae dicuntur ex agro Eugubino in caſtrum Pergulanenſe, quo nimirum tempore de S. Secundo a Secundino diverſo jam opinio percrebuerat. Si quis tamen velit & apud Eugubinos, & apud Pergulenſes adſervari reliquias ſancti cujuſdam martyris Secundi, qui a Secundino ſit diverſus, me equidem haud perfracte repugnantem habebit, dummodo id mihi concedat, acta, quae circumferuntur, apocrypha eſſe; & melioribus monumentis ad hunc beatum martyrem vindicandum utatur, quam ſunt ea acta, quae circumferuntur. At enimvero Agapitum illum a Pergulanis cultum, ipſiſſimum eſſe Agapium Secundini commilitonem, in Africa coronatum, & apud Eugubinos maxime cultum, non video qua ratione revocari poſſit in dubium.

XIII. Atque hic ſane Aegidii Janninii Pergulanenſium hiſtoriographi ſo-

(a) *N. V.*

ſobrietatem aliquis requiret. Debuit is in ſuis *Monumentis Hiſtoricis* oppidi Pergulani, quae anno MDCCXXXII. Urbini edita ſunt, Ss. mm. Agapitum, & Secundum Pergulanorum patronos non omittere, ſed ita tamen ut nihil ejuſmodi nugarum admiſceret, quae partim ineptiſſimis illis actis continentur, partim ſermone vulgi incerto, errantique jactantur. Sed immodicus patriae amor Janninium in ſuis illis *Monumentis Hiſtoricis* conſcribendis, ut alibi ſaepe, ita & hic etiam tranſverſum egit. Ita enim narrat: *patronos habent Pergulani Ss. Secundum, Agabitum* (a), *& Juſtinam, ac Secundi quidem caput, Agabiti autem, & Juſtinae corpora apud eos aſſervantur. Erant haec olim in templo, quod prope moenia urbis Eugubinae in honorem S. Secundi martyris pia, & nobilis foemina Eudoxia, Eugubii nata, ſed apud Spoletanos nuptui tradita, erexerat. Verum anno MCCLXXXIII. inde divinitus educta, & in currum ab tauris indomitis tractum impoſita ad caſtrum Pergulanum advecta ſunt, ubi in eccleſia S. Auguſtini quieſcunt.* Haec ex italico Aegidii Janninii ad verbum expreſſa (b).

XIV. Diſſentit hic Janninius ab actis apocryphis in eo, quod Ss. mm. Secundi, Agapiti, & Juſtinae corpora ex eccleſia S. Secundi prope civitatem Eugubinam ad Pergulanos comportata dicit, cum apocrypha illa acta narrent S. Secundum tumulatum fuiſſe ab Eudoxia *in ſuo oratorio in quadam villa, cui erat nomen Mugis, quae nunc Mugello dicitur, quae erat quaſi ſuburbana civitatis ejuſdem, a qua diſtabat circa ſexdecim milliaria.* Ita lego in actis S. Secundi, uti ſunt in codice membranaceo apud fratres Auguſtinianos Pergulenſes. Acta vero Ss. Agapiti, & Juſtinae narrant eos una cum martyre Secundo eodem loco ab eadem Eudoxia ſepulturae traditos. Haec vero Janninii diſſenſio ab illis actis, utcunque ineptiſſimis, ſuam, & conterraneorum ſuorum cauſam efficit deteriorem. Si enim, Janninio ipſo judice, corpora Ss. Agapiti, & Secundi ex eadem illa eccleſia Eugubinis moenibus proxima, ubi certiſſime conſtat ab antiquioribus ſaeculis Ss. mm. Agapii, & Secundini corpora jacuiſſe, ad caſtrum Pergulanum translata ſunt, quis non ſtatim ſuſpicetur Agapitum, & Secundum non eſſe ab Agapio, & Secundino diſtinguendos, quorum non quidem integra corpora, ut ſibi perſuaſit Janninius, ſed inſignis corporum pars apud Pergulanos condita ſervetur? atque ita vel ipſe Janninius imprudens, nolenſque eo nos perducit, ut id, quod longe veroſimillimum eſt, aſſeramus, nimirum nobiles illos Eugubinos, qui ante medium ſaeculum XIII. ad conſtruendum caſtrum Pergulanum coiverunt, ſive ſtatim initio, cum novam illam

(a) *Agabitum & Agapitum promiſcue appellant hunc s. martyrem.* (b) *Memor. Iſtoriche di Pergola §. 89. 90.*

lam coloniam conderent, ſive aliquanto poſt, curaſſe, ut aliquid ex eorum martyrum reliquiis, quos Eugubii colere contueverant, in naſcentis caſtri Pergulani certum praeſidium eo afferrent; quod etiam antiqua monumenta confirmant ab erudito cenſore hiſtoriae Pergulanae citata in apologia, quam edidit contra Janninium ipſum Pergulanorum hiſtoriographum. Quae ſi vera ſunt, tota illa narratio corruit de curru a tauris indomitis tracto, quam potuit aliquis comminiſci ad conciliandam majorem venerationem ſacris illis reliquiis, & earum adventum in caſtrum Pergulanum ejus miraculi ſpecie nobilitandum.

XV. De his Ss. mm. apud Pergulanos cultis, pluribus agit Papebrochius ad diem primam Junii, atque is etiam ſuſpicatur ex Ss. Secundino, & Agapio Secundum, & Agapitum fluxiſſe; fieri enim potuiſſe, inquit, ut eorum capita cum potioribus oſſibus delata fuerint ad extimos Eugubinae dioeceſeos fines, ubi prae nominibus Secundini, atque Agapii placuerint nomina Secundi, & Agapiti, tanquam famoſiorum vulgo martyrum.

XVI. Exiſtimat idem ſcriptor clariſſimus Ss. Mariani, & Jacobi, Secundini, & Agapii martyrum Cirthenſium corpora eodem tempore Eugubium allata fuiſſe, & apud eccleſiam ejus civitatis principem depoſita, unde cum ea eccleſia exeunte ſaeculo XII. alio commodiore loco refecta eſt, ad eccleſiam S. Secundi translata ſint, atque ita contigerit, ut communem cultum cum S. Secundo deinceps obtinuerint. Sed quod ait de translatione corporum Ss. mm. Secundini, & Agapii ad eccleſiam S. Secundi, id vero eſſe nullo modo poteſt; nam multo ante, quam haec translatio facta ſupponitur, ea eccleſia, quae nunc ex S. Secundi nomine dicitur, Ss. Agapii, & Secundini titulum gerebat, ut ſupra oſtendimus. Quare potius dicendum S. Secundi reliquias, ſi quae ibi re ipſa exiſtunt, a reliquiis S. Secundini diverſae, ad pervetuſtam eccleſiam Ss. Agapii, & Secundini alicunde allatas, quam contra Ss. Agapii, & Secundini corpora translata fuiſſe ad eccleſiam S. Secundi, quae nulla apud Eugubinos antiquitus exiſtebat. Ita autem accidiſſe puto, ut una Eugubium delatis Ss. mm. Cirthenſium Mariani, & Jacobi, Agapii, & Secundini corporibus priora illa duo uno loco condita ſint, duo poſteriora alio loco jacuerint, extructo utrobique inſigni templo, ad quorum alterum, nempe Ss. Mariani, & Jacobi, epiſcopus Eugubinus ſedem fixerit, ad utrumque vero clericorum conventus reſederit. Certe ſub initium ſaeculi XII. canonici regulares Ss. Agapii, & Secundini eccleſiam obtinebant, quibus traditus eſt educandus S. Ubaldus. Cum autem jamtum apud eum locum canonici ordinis diſciplina plurimum collapſa eſſet, ut a

Theo-

Theobaldo, vitae S. Ubaldi ſcriptore, didicimus, (a) idipſum argumento eſt ſatis antiquam fuiſſe canonicorum regularium inſtitutionem apud eam eccleſiam. Sed de his Ss. mm. jam ſatis multa diximus.

I. LEONTIUS. Ss. martyribus Secundino, & Agapio praetermiſſis, initium ſuae chronotaxis antiſtitum Eugubinorum Ughellus, cui & Lucentius conſentit, in Leontio conſtituit, quem patria Luceolanum, & a S. Silveſtro Romano Pontifice ad annum CCCXXIV. inauguratum ſcribit. Ejus mentionem eſſe ait apud S. Dorotheum epiſcopum, & martyrem, & nomen occurrere inter Patres concilii Romani, ſedente S. Silveſtro, celebrati. Catalogi antiſtitum Eugubinorum, quos viderim, omnes in eo conſentiunt, ut vel primum locum Leontio tribuant, ſi Ss. Secundinum, & Agapium omittunt, vel proximum ſi eos inducunt. Sed ut lubens dederim multo ante S. Silveſtrum fundatam eſſe eccleſiam Eugubinam, pluresque in ea floruiſſe epiſcopos ante ea tempora, quorum omnis memoria extincta ſit, ita nec ullo modo aſsentiar catalogis illis, teſtibus ſcilicet mendaciſſimis, ex quibus, ut ante demonſtratum eſt, ubi de epiſcopis paulo antiquioribus agitur, nihil boni exſculpi poteſt; nec mihi patiar obtrudi ementitam illam Dorothei martyris, & concilii Romani auctoritatem. Nam praeterquam quod nulla fides habenda eſt apocryphis hujus pſeudo-Dorothei ſcriptis (b); de Leontio Eugubino epiſcopo altum, quod magis mirere, in iis ſcriptis ſilentium eſt; ampliter enim mentitum eſſe conſtat eum, qui id Ughello propinavit.

II. Neque vero magis ſolidum eſt, quod de Romano concilio ingerit. Duo enim concilia memorantur habita Romae ſub S. Silveſtro, quorum acta leguntur apud conciliorum collectores. Sed acta prioris concilii epiſcoporum obſignationibus carent, nec ulla in iis Leontii memoria occurrit. Alterius concilii acta ab eruditis judicantur apocrypha. Sed quanquam eſſent genuina, & incorrupta, nemo qui ſapiat, opinor, non fictitias judicabit, & recentiori manu aſſutas, epiſcoporum ſubſcriptiones, quas, qui primus commentus eſt, ne fingere quidem ſatis caute potis fuit. Quid enim ſibi vult ingens illa nominum farrago? ſunt enim confuſa hominum nomina CXXIX. ad calcem ejus concilii adjecta, abſque ullo eccleſiaſticae dignitatis titulo, ut prudens nemo judicare poſſit totidem epiſcopos iis nominibus deſignari. Quod ſi demus etiam, & omnem fraudem iis actis abeſſe, & iis tot adfuiſſe epiſcopos, quot ibi nomina leguntur adſcripta, quis in ea no-

(a) *Vit. S. Ubaldi c.* 1. (b) *Vid. Cavenum Sacc. Arian. pag.* 103. & 104.

minumm ultitudine, ubi Leontium offenderit, eum potius Eugubinum; quam alterius cujuslibet ſedis epiſcopum judicabit? Eſt enim Leontius medius inter Turturanum, & Anaſtaſium, ſic enim legimus: *Petrus, Silveſtrianus, Turturanus, Leontius, Anaſtaſius, Agapitus, &c.* (a) Nullam hic epiſcopatus notam, nullum cujuſque ſedis indicium vides; atque adeo nullum hinc momentum ad vindicandum Eugubinum Leontii Epiſcopatum.

III. Quod vero ajunt Leontium patria Luceolanum fuiſſe, in quo tanquam in re explorata Lazarellus cum Ughello conſentit, id ſane minus fabuloſum non eſt, quam cetera ſuperiora. Adeo Luceolanus non fuit chimericus iſte epiſcopus, ut ne eſse quidem potuerit. Luceoli enim, ſeu civitas, ſeu caſtrum, apud ſcriptores medii aevi notiſſimum, nondum per eos dies conditum erat. Ejus fruſtra indicium ullum requires in omnibus, quotquot ſunt, antiquis ſcriptoribus, qui Romanam hiſtoriam, aut geographiam Italiae veterem attigerint. Itaque neque apud Livium, aut Florum, neque apud Strabonem, vel Ptolemaeum; reliquoſque ſcriptores Romanos, Graecoſve; neque apud Plinium, qui accuratiſſime omnes totius orbis, ac praeſertim quae erant in Italia, atque in ejus veluti meditullio Piceno & Umbria, civitates, ac populos recenſuit, ullum Luceolanorum veſtigium occurrit. Sed nihil magis me movet, quam quod in antiquis tabulis itinerariis plane ignotum eſt Luceoli nomen, quanquam is locus media via Flaminia ſitus eſset inter Helvillum, nunc *Sigillo*, & Callem, ſeu Callium, ubi & conſpicuae ejus oppidi reliquiae ſuperſunt, medio fere itinere inter Schiggiam, & Cantianum, & aliquod antiqui nominis veſtigium loco haereat; quod argumento eſt ejuſmodi tabulas itinerarias ante Luceolum conditum fuiſſe conſcriptas. Ita porro tractum illum viae Flaminiae, qui eſt ab Helvillo ad Forum Sempronii exhibent tabulae itinerariae, quae ſub Antonini nomine circumferuntur (b).

Helvillo vicus.
Calle vicus XXIII.
Foroſemproni XVIII.

Jeroſolymitanum, quod appellant, itinerarium copioſius eſt, in eo enim praeter civitates, & illuſtriores vicos, manſiones quoque, & mutationes publicae deſcribuntur. In eo ab urbe Nuceria ad Forum Sempronii haec loca recenſentur (c).

Civ. Noceria.
Civ. Ptanias VIII.

Man-

(a) *Lab. To. I. pag. 1579. edit. Venet.* (b) *Edit. Weſſeling. pag. 125.* (c) *Edit. Weſſeling. loc. cit.*

Manſio Erbillonis X.
Mutat. ad Heſis XIV.
Mutat. ad Cale IX.
Civ. Foro Simproni IX.

Denique in tabula Peutingeriana (a).

Nuceria Camillaria.
Helvillo XV.
Ad Enſem X.
Ad Calem VII. (b) *l. XII.*
Ad Interciſa IX.
Foroſempronii XII.

IV. Vulgo perſuaſum eſt eruditis tabulam Peutingerianam, ita dictam ex ejus nomine, a quo primum reperta eſt, IV. vel V. ſaeculo concinnatam fuiſſe, unde etiam Theodoſiana a nonnullis appellatur, quod magni Theodoſii, ejuſque filiorum, aut nepotum aetate, ex antiquioribus tamen tabulis compacta (c), prodierit. Saeculo igitur IV. aut V. nondum erat auditum de oppido Luceolano. Neque vero ulla fides Fl. Blondo habenda eſt, qui eum locum a Narſete captum, direptumque ſcribit paulo poſt Totilae excidium, qui amiſſo exercitu, victus, ſauciuſque in iis montibus interiit. Multo minus audiendi ſunt, qui Luceoli mentionem eſſe apud Procopium autumant, in quibus in primis notandus eſt Hoffmannus (d). Nam non ſolum Procopius, ſed & Agatias, & Jornandes, & hiſtoriae Miſcellae auctor, qui res Goticas ſcripſerunt, de oppido Luceolano perpetuo ſilent.

V. Ejus itaque primus omnium, quod ſciam, meminit Paulus Diaconus in hiſtoria Langobardorum (e) ubi Romanum Italiae exarchum narrat Ravennam ex urbe Roma redeuntem civitates aliquot recepiſſe, quae a Langobardis occupatae fuerant, atque in his *Ameriam* memorat, *Peruſiam*, *Luceolos*, idque juxta Baronium accidit ad annum DXCV. Habes hic Luceolos in numero plurium. Alibi ſingulari numero caſtrum Luceolanum effertur, ut certo de ejus nominis ratione non conſtet. Ejus iterum meminit Paulus Diaconus, ubi Eleutherii exarchi caedem deſcribit (f), & Anaſtaſius item bibliothecarius in Gregorio M., tum in Bonifacio IV., tum in Zacharia Luceolanum oppidum memorat, ejuſdemque mentionem reperies apud anonymum Ravennatem, a Porcheronio editum (g), atque inter civitates, aliaque loca a Ludovico Pio, ab Ottone I. & a S. Henrico eccleſiae Roma-

(a) *Segm. III.* (b) *Holſten. in Cluver. pag. 86. ſic emendat.* (c) *Roſchman diſſertat. de Veldid. urbe antiq. c. VI.* (d) *Lexic. v. Luceoli.* (e) *P. Diac. hiſt. Langob. lib. IV. c. 8.* (f) *Ibid c. 35.* (g) *Anonym. Raven. n. XXXIII.*

nae donata, & confirmata apud Baronium (a). Non igitur Luceoli memoria aſurgit ultra Langobardorum tempora, ut facile aliquis ſuſpicari poſſit eum locum ab exarcho Italiae munitum fuiſse, cum Langobardi, Tuſcia, & Spoletano ducatu occupatis, Pentapoli univerſae, & exarchatui imminebant; erat enim is locus in iis montium anguſtiis aptiſſimus, ſi arte, manuque munitus eſset, ad cohibendum ex ea parte Langobardorum impetum. Atque huc facere videtur quod non alio quam caſtri nomine a Paulo Diacono appellatur. Sed quaecunque tandem ejus origo fuerit, certe ut non admodum antiqua fuere ejus initia, ita neque admodum diu duraſse compertum eſt. Saeculo enim XI. vix quidquam praeter ejus loci nomen ſuperfuiſse videtur. Eſt ejus mentio apud S. Petrum Damianum in epiſtola libri primi undevigeſima ad Alexandrum II. *In illa*, inquit, *eremo, quae ſcilicet erat in regione, quae dicitur Luceoli, conſtituta*. Vides hic Luceoli nomen regionis, proprium dici. Sunt etiam in archivo Avellanenſi tabulae plures, quibus *territorium Luceolanum*, & *fluvius Luceolanus* memorantur, ſed omnes in ſaeculo XI. deſinunt, nec ea deinceps loca ex alio territorio eſse dicuntur in tabulis ejus archivi, quam ex Eugubino, in cujus finibus ſitum erat caſtrum Luceolanum. Nam quod Cantianenſes ex Luceolanis manaſse, & caſtro Luceolano Cantianum ſuccreviſse, ignobiles quidam ſcriptores affirmant, id merum commentum eſt; conſtat enim Cantianum caſtrum, in via flaminia notiſſimum, poſt initium ſaeculi XIII. ab Eugubinis conditum eſse. Qua de re jamdiu ſcripta eſt non brevis diſſertatio, quae fortaſse in publicum aliquando prodibit, & nos etiam aliquid infra dicemus.

VI. Leontius igitur ab Ughello, & ceteris catalogis in cenſum antiſſitum Eugubinorum intruſus, hoc etiam nomine explodendus, quod ſumma ſupinitate Luceolanus dicitur, cum per id tempus ne Luceolanum quidem nomen eſset auditum. Sed quod Leontius iſte alicubi dicitur (b) Ravennam a S. Silveſtro miſsus, ubi cum quibuſdam haereticis acerrimam habuerit diſputationem, id vero, & cetera de genere hoc, quae de aliis epiſcopis antiquioribus memorantur, nugae ſunt inaniſſimae, quas vix commemoraſse, refutaſse eſt.

PROBUS Leontio ſucceſſit ad annum CCCXXVI., a S. Silveſtro electus, ex Ughello, cui Lazarellus conſentit, & Lucentius. Sed Probi patriam addit, ac Romanum fuiſse ſcribit, ac ne quid deſideres, addit & familiam, ex Augurina enim gente prognatum autumat. Neque id ſatis. Vitae ſanctitate inſignem obiiſse ait Eugubii, atque in ecclе-

(a) *Baron. ad an.* 817. *XI.* 962. *III.* 1014. *VII.* (b) *Epitom. hiſtor. civit. Eugub. mſſ. in archiv. Armar.*

eccleſia tumulatum, quae olim fuerit prope theatrum. Conſentiunt catalogi plerique in Probo admittendo, atque ita deinceps pleniſſimam habemus ſucceſſionem epiſcoporum, quibus, ut plurimum, ſua cuique patria, & familia, & ſedis duratio adſcribitur, & aliquid etiam de rebus geſtis delibatur, quaſi haec eſſent certiſſima, & exploratiſſima. Sed de his noſtrum judicium ſatis jam expoſuimus (a). Cum annos duos & viginti ſediſſet Probus, ei ſucceſſit

TUNNIUS Anicius Frangipanes ad annum CCCLI. ſi Ughello fides. Suffragatur cum Lazarello Lucentius, & ceteri fere catalogi. Poſt hunc

PAULUS Tiburtinus anno CCCLIII. electus, ad annum uſque CCCLXVII. cathedram Eugubinam tenuiſſe dicitur, cui ſucceſſerit

FELIX Eugubinus ad annum CCCLXVII., quem Lazarellus ſomniavit fuiſſe ex ea familia, quae de *Anthimis* diceretur. Id non probavit Lucentius.

DIONYSIUS Sabinus Felicem excepiſſe dicitur ad annum CCCXCIII. a Siricio Romano Pontifice electus. Addit Lazarellus ab eodem Siricio Sulpitium Eugubinum S. R. E. Cardinalem creatum fuiſſe, citatque hiſtoriam Martii antiqui ſcriptoris Eugubini, quem floruiſſe ait circa annum Domini CMLXXX.. Riſum tenebit ne qui haec commenta legerit?

I.

DECENTIUS.

I. Primus ex epiſcopis Eugubinis, de quo aliquid certi habeamus, Decentius eſt. Eccleſiae Eugubinae praefuit anno CCCCXVI. ex Ughello. Ejus nomen, & memoriam ſanctus Innocentius I. ſuis literis ad eum ſcriptis, immortalitati commendavit. Hinc autem oportuiſſet antiſtitum Eugubinorum ſucceſſionem deducere, non quod ante Decentium multos, ac plures etiam fortaſſe, quam ab Ughello recenſentur, epiſcopos Eugubini non habuerint, ſed quod eorum memoriam extinxit antiquitas: quam jacturam non una Eugubina, ſed fere omnes Italicae eccleſiae pertulerunt. Certe in literis Sancti Innocentii I. ad Decentium noſtrum, ejus praedeceſſores in cathedra Eugubina memorantur. Sic enim inquit ſanctiſſimus pontifex: *Saepe dilectionem tuam ad Urbem veniſſe, ac nobiſcum in eccleſia conveniſſe, & quem morem vel in conſecrandis myſteriis, vel in ceteris agendis arcanis teneat cognoviſſe, dubium*

(a) *Diſſert. praev. c. ultim.*

bium non eſt. Quod ſufficere ad informationem eccleſiae, vel reformationem (ſi predeceſſores tui minus aliquid, aut aliter tenuerunt) ſatis certum haberem, niſi de aliquibus conſulendos nos eſſe duxiſſes. Quibus idcirco reſpondemus, non quod te aliqua ignorare credamus, ſed ut majori auctoritate, vel tuos inſtituas, vel ſi qui a Romanae eccleſiae inſtitutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas. Data eſt Innocentii epiſtola XIV. kal. april. Theodoſio aug. ſepties & Palladio, viro clariſſimo, conſulibus, qui eſt annus CDXVI. (a). Quare ſi Decentius ſaepe ad Urbem ſe contulerat, cum haec epiſtola ſcripta eſt, ut ſcribit ſanctus Innocentius, eum oportet electum eſſe epiſcopum multo ante annum CDXVI. huic epiſtolae adſcriptum, & ab Ughello indicatum.

II. Celebris eſt haec decretalis Innocentii epiſtola ad Decentium, nec minus ſanctiſſimi pontificis ſapientiam in pluribus eccleſiaſticae diſciplinae capitibus explicandis, quam optimi epiſcopi ſollicitudinem in pontifice conſulendo demonſtrat. Haec porro ſunt, quae Decentius ab Innocentio quaeſierat, in quibus ſcilicet non una erat omnium eccleſiarum conſuetudo.

I. *De pace, quam in aliquot eccleſiis ante confecta myſteria vel populis imperabant, vel ſibi mutuo tradebant ſacerdotes.*

II. *De nominibus, quae ante canonem in miſſa recitabantur.*

III. *De infantibus, num presbyteris eos in fronte conſignare liceat.*

IV. *De jejunio ſabbati.*

V. *De fermento, an die dominica per paroecias ſingulas mittendum eſſet, quemadmodum Romae mos erat.*

VI. *De energumenis, an presbyteris, aut diaconis liceat ſuper eos manus imponere.*

VII. *De poenitentibus, quandonam eſſent abſolvendi.*

Scripſerat etiam Decentius ad Coeleſtinum Innocentii diaconum ut tria haec ab eo poſtularet.

Primo. *Soli ne ſacerdotes, an chriſtiani ceteri aegrotantes ſancto chriſmatis oleo eſſent inungendi.*

Secundo. *Solis ne presbyteris, an etiam epiſcopis liceret infirmos ungere.*

Tertio. *An poenitentes eo item oleo inungi fas eſſet.*

Ad haec omnia accuratiſſime reſpondet Innocentius ea epiſtola, cujus nulla particula eſt, non plurimi aeſtimanda. Quare & ab Jvone primum, & a Gratiano in corpus juris canonici tota fere inſerta eſt. Ea eſt in nupera editione Petri Couſtant numero vigeſima quinta.

III. Auctor eſt idem Ughellus, non diſſidente Lucentio, Eugubinam civi-

(a) *Concil. To. III. pag. 3.*

civitatem Decentii temporibus ita deſolatam fuiſſe, ut is alibi debuerit vitam agere in magna rerum omnium egeſtate, quod indicaſſe ait S. Hieronymum, in epiſtola ſcilicet ad Evangelum, ubi ita ſcribit: *Ubicunque fuerit epiſcopus ſive Romae, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Regii, ſive Alexandriae, ſive Tanis, ejuſdem eſt meriti, ejuſdem eſt & ſacerdotii: potentia divitiarum, & paupertatis humilitas vel ſublimiorem, vel inferiorem epiſcopum non facit* (a).

IV. Fluunt haec, opinor, ex pervulgata illa multorum perſuaſione de exciſis per eos dies, & pene everſis pluribus Italiae civitatibus, cum ipſa orbis terrae principe Roma, ab Alarico, quem conſtat anno CDIX. vel ut aliis videtur CDX. cum magnis Gothorum copiis, poſt Ligurum cladem, Aemiliam devaſtaſſe, *Flaminiaeque aggerem inter Picenum & Thuſciam, uſque ad urbem diſcurrentem, quidquid inter utrunque latus fuit in praedam, diripuiſſe* (b). Magnam Italiae vaſtitatem, ac praeſertim civitatibus viae Flaminiae vicinioribus a Gothis tunc illatam fuiſſe, inficias ibit nemo; ſed cave putes ita everſa omnia, ut civitates, tunc a Gothis afflictae, caput erigere non potuerint, ac deſertae debuerint in ſuis ruderibus, & parietinis jacere. Certe urbs Roma, in quam ea maxime procella ſaevierat, haud multo poſt, ut auctor eſt Oroſius, ita refloruit, ut vix ejus calamitatis veſtigium aliquod appareret (c). Id multo magis de aliis civitatibus, ac de Eugubina in primis crediderim, quam ne ſatis quidem exploratum eſt, a Gothis in ea excurſione captam fuiſſe.

V. Neque huc facit, quod ex S. Hieronymo inepte affertur. Id quippe unum ibi agit Hieronymus, ut oſtendat, non eſſe metiendam epiſcopi dignitatem ex majore opum copia, vel ex amplitudine civitatis, in qua quiſque epiſcopatum gerit. Quare veriſſime inquit ejudem meriti eſſe ejuſdem ſacerdotii, ſive Romae ſit epiſcopus, ſive Eugubii. Id porro non eſt praeſentem civitatis, & eccleſiae Eugubinae paupertatem, ac vaſtitatem indicare, ſed urbem omnium ampliſſimam cum alia multo inferioris ordinis comparare, qualem omnino fuiſſe Eugubinam cum urbe Roma collatam, etiam rebus Eugubinorum ut cum maxime florentibus, & ante cladem Gothicam, ne Ughellus quidem ipſe negarit.

VI. Sed quid quod florentiſſimam reipſa fuiſſe per eos dies eccleſiam Eugubinam intelligimus ex ipſa S. Innocentii ad Decentium epiſtola, quam ſupra laudavimus? Quid quod ex ipſa epiſtola conſtat, non alibi Decentium degere conſuevilſe, quam in ſua civitate Eugubina?

(a) *S. Hieronym. ep. CI. claſs. VII. edit Paris an. 1706.* (b) *Jornand. de reb. Getic. cap. 30.*
(c) *Oroſ. lib. VII. c. 40. apud Murat. annal. Ital. tom. III. ad an. 413. pag. 50.*

bina? Fruſtra enim Innocentium conſuluiſset, ut ex ea epiſtola in teſtigimus, liceret ne fermentum, hoc eſt, ut plerique interpretantur, Eucariſticum panem diebus dominicis ad rurales eccleſias tranſmittere ex civitate, ubi ipſe ſacrificium celebrabat, ſi a civitate ipſe extorris fuiſſet. Sed de ea re non nihil etiam in diſsertatione praevia dictum eſt (a).

FLORINUS natione graecus Decentio ſufficitur ab Ughello ad annum CDXXVI. Concinit Lazarellus, & Lucentius & catalogi plerique, ex quibus tamen eſt aliquis, qui poſt Decentium intrudit Theophilum ad annun CDXXII. tum Florinum ad annum CDXXIX. ex quo magis magiſque intelligas, quo in pretio haberi oporteat ejuſmodi catalogos, qui non lucem praeferunt, ſed tenebras offundunt. De Florino addunt (b), conjunctiſſime vixiſse cum Abundio mirae ſanctitatis eremita, qui iis locis vixerit, ubi poſtea caſtrum Serrae S. Abundii conditum ſit. Credam ubi teſtes idoneos attulerint. Lazarellus hunc addit S. R. E. Cardinalem creatum a S. Coeleſtino I. atque ejus rei fidejuſsorem profert Agomanium Eugubinum ex hiſtoria Martii, quem ſupra nominavimus. Nugae ſcilicet, & ſomnia.

ANASTASIUS Romanus Florini ſucceſsor ad annum CDXLIII. ab Ughello notatur, ſuffragante Lazarello, Lucentio, & catalogis omnibus.

AGAPITUS pari conſenſione adſtruitur ad annum CDLVII. patria Anagninus. Lazarellus ſedem Eugubinam per ea tempora aliquamdiu vacaſse ſcribit, civitate ſcilicet ab Odoacre Herulorum rege vaſtata. Somnia ſunt huic auctori familiaria.

MARCELLUS ad annum CDXCIX. ut placet Ughello, & Lucentio. Sed Lazarellus, melius inito calculo, ſedis ejus initium anno poſtero, hoc eſt anno D. affigit, ac ne nudum ejus nomen proferat, patriam adjicit, & Tifernatem appellat. Sed aliqui hic Decentium alterum interſerunt ad annum CDLXXV. cui ſufficiunt Ambroſium. Hunc autem, ne temere confictum quiſpiam credat, hoc illuſtri facto commendant, quod theatrum, vana ſcilicet idolorum religione dedicatum, & mauſoleum, quo clanculum convenirent gentiles, ſubruenda curaverit. De theatro, & mauſoleo in diſsertatione, quam praemiſimus, aliquid dictum eſt, quae ſi jam inde ab ſaeculo V. dirui coepiſsent, vix jam ullum eorum ſupereſset veſtigium.

THEODORUS Marcello ſucceſsor adſcribitur ab Ughello ad annum DXX. Sed qui Ughello eſt Theodorus, a Lazarello, auctore ſcilicet magis oculato, Theodoſius dicitur, & quidem quod magis mirere, ex familia Mariona, noſtris profecto, & ſuperioribus temporibus

(a) *Cap. V.* (b) *Picot. hiſt. Eugub. mſſ. in archiv. Arman. p. 46.*

ribus apud Eugubinos admodum clara, & illuſtri, ſed quae hac Lazarelli commendatione non eget, ſuis veris laudibus contenta.

FRUCTUOSUS apud Ughellum electus habetur anno DLXXVII. cui tandem ſucceſſerit ad annum DXC. Gaudioſus, ex epiſtola S. Gregorii M. notiſſimus. Sed hic Ughellum deſerit Lazarellus, cui ſcilicet, cum nimis magnum temporis intervallum eſſe videretur inter Theodoſium, ut ipſe appellat, & Fructuoſum, quatuor ex ſuo penu promit epiſcopos. Primus eſt Anſonius, natione Gallus, quem, ne quis loco pellere audeat, martyrio illuſtrem fuiſſe ſcribit, & a Vigilio I. Romano Pontifice inauguratum. Hic porro ſub Ardelio judice ob confeſſionem fidei clavis acutis capite terebrato martyrium feciſſe dicitur (a). Sed hunc martyrem toti antiquitati ignotum, nemo, ut opinor, religione impeditus, rejicere verebitur. Anſonio Lazarellus ſucceſſorem dat Antonium Romanum ad annum DLIII. quem concilio C Politano interfuiſſe autumat. Antonio Sulpitium Albium ſucceſſorem tribuit ad annum DLX. a Pelagio I. electum, qui cum ipſo Pelagio Totilae regi ad Urbis excidium properanti occurriſſe traditur. Atque hoc tam inſigne hujus epiſcopi factum unus in tanta antiquitate non ignoravit Lazarellus, qui omnem rationem temporum confundens, & hiſtoriam immaniter pervertens, haec ſe ſomniando vidiſſe oſtendit. Poſt hunc obtrudit nobis Amicum Nicaenum, neque veretur graeco homini latinum nomen imponere, cui denique Fructuoſum ſucceſſiſſe tradit, atque ita rurſum cum Ughello coit, a quo ante diſſenſerat. Et Fructuoſum quidem ſanctitate inſignem praedicat, eundemque ex familia Mariona genitum ſcribit, ex qua ſuperiorem quoque Theodorum, ſeu Theodoſium deduxerat. Sequitur hic Lazarellus ſubleſtae fidei auctorem Franciſcum Sanſovinum (b). De familia Fructuoſi, & Theodori, ſeu Theodoſii idem adnotat, inani ſane opera, ex Mandoſio, Ughelli illuſtrator Coletus.

II.

GAUDIOSUS.

Poſt tam multos errores hic tandem figere pedem licet. Gaudioſi nomen, ac memoriam ſervavit nobis S. Gregorii M. epiſtola, quae eſt octogeſima ſeptima libri noni. Mandat Gregorius Gaudioſo, ut Tadinum, vicinam civitatem, adeat, ejuſque loci eccleſiam paſtore

(a) *Compen. hiſtor. Eugub. in Archiv. Arman.* (b) *Sanſovin. famil. illuſtr. Ital. pag.* 342.

viduatam visitet, detque operam, ut a Tadinatibus is eligatur episcopus, qui eo munere sit dignus. Vetat autem sanctissimus Pontifex, ne Gaudiosus in episcopum Tadinatem eligi sinat clericum ex aliena ecclesia, nisi forte contingat, ut neminem in clero Tadinati reperiat, ei muneri sustinendo idoneum. *Commonentes*, inquit, *fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri.* Erat id ecclesiasticae disciplinae consonum maxime, quam plures canones, & responsa, & decreta Pontificum Romanorum confirmant (a). Eo fit, ut etiamsi tot alia falsitatis indicia deessent, hoc etiam nomine mihi suspecti esse deberent catalogi antistitum Eugubinorum, quibus Ughellus, & Lazarellus usi sunt. Nimis enim multi in iis occurrunt peregrini homines, quos nullo modo verosimile est in clerum Eugubinum fuisse cooptatos. De visitatoris, sive, ut etiam dicere solebant, interventoris officio, quod in Tadinati ecclesia mandante S. Gregorio M. gessit Fructuosus, plura scitu digna habent antiquitatum ecclesiasticarum scriptores, quos expilare non vacat (b).

II. Tadinatem episcopum, Fructuoso praesidente electum, narrat Jacobillus (c) S. Facundinum fuisse, cujus celebris est memoria apud Gualdenses, Tadinatum successores. Jacobillum fidentissime secutus est Stephanus Borgia in suo de historia Tadinati libello, quem nuper Romae edidit (d). Ac Facundino quidem obeunte ad annum DCVII. ecclesiam Tadinatem diu pastore destitutam narrat, in eaque post Facundini decessum mira sanctitate floruisse Juventium, Facundini ipsius discipulum, ac tandem ei praefuisse Cyprianum episcopum, quem ad annum DCXLIX. vixisse confirmat. Haec omnia quasi certissima ab eo auctore proferuntur, etsi nullis certis monumentis nitantur. Mirum in hac luce literarum historiae canones tantopere negligi.

III. Est alia S. Gregorii M. epistola ad Venantium episcopum Perusinum, ad quem nescio quid vestium miserat, mandans, ut quidquid id esset ad Ecclesium episcopum, quem frigore affligi intellexerat, perferendum curaret (e). Est qui suspicetur, Ecclesium hunc Eugubinum episcopum fuisse: malim ego Clusinum, quod subindicare videtur alia ejusdem M. Gregorii epistola (f), ad Ecclesium scilicet Clusinum, ad quem alias non satis bona valetudine utentem, equum dono miserat, ut eo uteretur, cum Romam esset venturus.

Post

(a) *Bingham. Origin eccles. l. II. c. X §. II.* (b) *Vid. Bingham l. cit. c. XV.* (c) *Jacobil. vit. Ss. Umbriae ad diem 28. Aug.* (d) *Stephan. Borgia histor. Tadin. §. XIV.* (e) *S. Greg. M. lib. XII. ep. IV.* (f) *Lib. X. ep. 44. edit. Monach. S. Mauri.*

Poſt Gaudioſum Ughellus, genuinis monumentis deſtitutus, rurſum ad apocrypha deflectit, nec ab eo latum unguem diſcedit Lazarellus. Sed non eadem in ceteris catalogis conſenſio. Itaque FORTUNIUS Gaudioſi ſucceſſor dicitur ad annum DCIII. Ejus memoriam extare ait Ughellus apud S. Petrum Damiani. Habuit id, opinor, ex ſcriptiuncula illa Mauri monachi, quam in diſſertatione praevia expendimus. In ea enim ex fide S. Petri Damiani, Decentius, Gaudioſus, Fortunius, ac Deodatus in eccleſia Eugubina & doctrina, & religione floruiſſe dicuntur, de quibus quandoque beatus Hieronymus meminerit. Sed haec mera ſomnia ſunt, quae ſatis ſuperque in diſſertatione praevia exploſimus (a).

In quibuſdam catalogis hic Severinum Sabellium offendes, ſed Ughellus Fortunio DEODATUM ſubjicit ad annum DCLXXX., eumque tradit inter patres concilii, ab Agathone Pontifice celebrati, conſediſſe. Nos ejus nomen in conciliis, per eos dies habitis, fruſtra quaeſivimus, quod & ſibi accidiſſe confirmat Lucentius.

Hic rurſum catalogi aliquot locupletiores Probinum, & poſt hunc Vigilium exhibent, illum quaſi anno DCLXXXIV., hunc anno DCCV. electum. Sed Ughellus, non diſſentiente Lazarello, BENENATUM ſcribit anno DCCXXI. electum, & Baronium appellat, apud quem tamen nullum hujus Benenati epiſcopi indicium nancifci licuit. Coletus ex Lucentio Oldoinum corrigit, qui Jacobillum ſecutus tres induxerat epiſcopos *Benvenutum* Eugubinum, Petrum Amerinum, & Vilarem Narnienſem, tanquam Romanae cuidam ſynodo, ad annum DCCXXI. celebratae, ſubſcriptos, cum re ipſa inter ejus concilii patres nullus occurrat, Benvenuti nomine appellatus. Vides Jacobillo Benvenutum eſſe, qui eſt Ughello Benenatus. Sed utrovis nomine appelles, perinde eſt, quem neque dum veniſſe, neque natum eſſe in certiſſimis rebus habeo.

Poſt Benenatum amplus hiatus eſt in ſucceſſione antiſtitum Eugubinorum, quem aliqua ratione, quoad fieri potuit, replere conati ſunt. En igitur anno DCCXXXVIII. electum PALMERIUM, & anno DCCLVII. QUINTIANUM. Hos videbis apud Vincentium Armannum inter Eugubinos dignitatibus illuſtres (b). Sed Armannus ipſe alibi ingenue faſſus erat tabulas antiquas eccleſiae Eugubinae non aſſurgere ultra ſaeculum XI. (c). Id ſi Coleto innotuiſſet, Palmerium, & Quintianum haud fortaſſe tam liberaliter conceſſiſſet ab Armanno erutos ex antiquis monumentis cathedralis eccleſiae Eugubinae, quae ſi-

(a) *Cap. ultim.* (b) *To. I. epiſt. pag.* 704. (c) *Arman. To. III. epiſt. ad Horatium Perotium pag.* 464.

cubi extaſſent, & Armannus ipſe, & aliqui praeterea ex tot catalogorum ſcribillatoribus ea in medium proferre non omiſiſſent. Sed ne ſcite quidem fingere novit Armannus; Palmerius enim, & Quintianus nomina ſunt ab uſu ſaeculi octavi alieniſſima. Quanquam quid Armannum exagito? Fluunt haec ex Greffolini fragmentis, de quibus abunde diximus in diſſertatione praevia. Palmerio, & Quintiano ſua adduntur cognomina, Palmerius enim Gratiani dicitur, & Quintianus Valeriani, quaſi non ipſa nomina fallaciam ſatis oſtenderent. De Palmerio igitur, & Quintiano idem eſto judicium, ac de ſuperioribus illis bene multis ab Ughello, & Lazarello in album epiſcoporum hujus eccleſiae inductis, abſque ullo ſubſidio veterum monumentorum.

III.

FLORENTINUS.

Acta concilii Romani in Laterano habiti ad annum DCCLXIX. Stephano III. Pontifice, Cajetanus Cennius v. cl. non ita pridem edidit ex codice Veronenſi antiquiſſimo, cum epiſcoporum obſignationibus, qui ei concilio adfuerunt. In his eſt *Florentinus epiſcopus Eugubii*, Ughello, ceteriſque antea ignotus. Praeclarum hoc antiquitatis eccleſiaſticae monumentum rurſum editum eſt a Dominico Manſio v. cl. in ſupplementis ad concilia Labbei (a).

IV.

BENENATUS.

Ab anno DCCLXIX. quo erat in vivis Florentinus, ad annum uſque DCCCXXVI. nullum Eugubinum antiſtitem novimus. Anno autem DCCCXXVI. eccleſiam Eugubinam moderabatur Benenatus, cujus nomen legimus inter patres ſynodi Romanae per idem tempus celebratae (b).

V.

ERFO.

Erſonem habet Ughellus ad annum DCCCXLVII. Eum conſtat anno DCCCLIII. Romanae ſynodo ſubſcripſiſſe, atque id unum de illo

(a) *To. I. pag. 627.* (b) *To. IX. concil. pag. 1118. edit. Venet.*

illo habemus certum, & exploratum. Sed Lazarellus rerum novarum inventor mirificus Erfum tradit in ſynodo Calcedonenſi ſediſſe, quod vix dormienti in mentem venire poſſe crediderim.

Eſt aliquis ex chronographis eccleſiae Eugubinae, qui in ſuis catalogis ARDANICIUM hic interſerat, & quidem, ut audio, ex fide veteris chartae in archivo Canonicorum Regularium ad divi Secundi exiſtentis. De eo nihil alicunde nancilci licuit; nec dubito quin omnino expungendus ſit. Neque vero ejus archivi tabulae ad tantam antiquitatem aſſurgunt, certos enim auctores habeo, qui dicant nihil in eo archivo eſse ſaeculo XII. antiquius.

Erſoni JOANNEM ſubjicit Ughellus ad annum DCCCLIII. quem nuperus Italiae ſacrae editor Coletus ex tabulis eccleſiae Eugubinae conſtare ait. Sed id gratis dictum eſt, atque utinam tantae antiquitatis tabulas eccleſia Eugubina ſervaret; ex iis enim locupletiorem ſeriem epiſcoporum elicere poſsemus. Verum unde id manaverit, facile intelligi poteſt. Acta enim concilii Romani ad annum DCCCLIII. celebrati in quibuſdam codicibus Erſonem habent, in aliis vero Joannem, ut ad oram ejus concilii in editione Labbeana notatum eſt. Igitur idem fortaſse fuerit cum Erſone Joannes, neque enim binominem epiſcopum hunc fuiſse ab uſu eorum temporum alieniſſimum eſt.

VI.
ARSENIUS.

Ex ingenti ſacinore notiſſimus eſt in hiſtoria eccleſiaſtica Arſenius, qui cum Nicolao Anagnino conſpiravit, ut electionem Benedicti III. irritaret. Factum narrat Anaſtaſius in Benedicto III. (a). Porro Benedictus III. anno DCCCLV. P. M. creatus eſt, quare ad eum annum in cathedra Eugubina ſedebat Arſenius.

VII.
DOMINICUS.

Narrat Ughellus anno DCCCLXXI. Dominicum in ſynodo Romana ſediſſe ſub Hadriano I. Verum nec anno DCCCLXXI. Hadrianus I. Petri cathedram obtinebat, nec ullam ſynodum Romae celebratam

eo

(a) *Anaſtaſ. bibliot. ſect.* 562.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM. VEELE

eo anno novimus. Anno tamen DCCCLXI. Dominicum in concilio Romano ſub Nicolao I. ſubſcriptum legimus tum apud Labbeum (a), tum apud Muratorium, qui rurſus concilium illud edidit (b). Anno etiam DCCCLXVIII. concilio Romano interfuit, quod celebratum eſt in cauſa Photii, quod quia in actis concilii C Politani IV. inſertum eſt, perperam a Lazarello Dominicus dicitur ſynodo C. Politanae ſubſcripſiſſe (c).

VIII.
JOANNES.

Se ſubſcripſit erectioni metropolis Magdeburgenſis ſub Joanne IX Pontifice anno CMLXVIII. inquit Ughellus. Addit ex Lucentio Coletus eum interfuiſſe concilio Ravennati an. CMLXVII. Melius muneri ſuo ſatisfeciſſet Coletus, ſi Joannem IX., qui vel memoriae lapſu vel operarum indiligentia pro Joanne XIII. huc irrepſerat, ſuſtuliſſet. Nam quod addit Joannem hunc ſubſcripſiſſe ſynodo Ravennati anno CMLXVII. delendum eſt. De archiepiſcopatus Magdeburgenſis inſtitutione in duplici ſynodo Ravennati actum eſſe conſtat, quarum prima celebrata eſt anno CMLXVII. Habemus Joannis XIII. diploma in ea ſynodo datum cum epiſcoporum obſignationibus, ſed nullus ibi Eugubinus antiſtes occurrit. Altera ſynodus anno inſequenti celebrata eſt, & in diplomate pro erectione ſupradicti archiepiſcopatus Joannes Eugubinus ſubſcriptus legitur. Acta eſt haec poſterior ſynodus in ſuburbana eccleſia S. Severi, apud quam illuſtre olim fuit monaſterium, Claſſenſi noſtro poſtea unitum. De hac duplici ſynodo videndi ſunt Pagius (d), & Manſius (e).

I. B. LODULPHUS. Ab anno CMLXVII. quo Eugubinorum antiſtes erat Joannes uſque ad annum MXXXVII. quo Theudaldus vivebat, de quo infra dicemus, quis in ea cathedra ſederit non liquet. Ughellus Lodulphum, beatum illum, quem ferunt, Avellanenſis eremi conditorem, initio ſaeculi XI. Eugubinum epiſcopatum geſſiſſe exiſtimat, eique abdicanti Julianum ſucceſſiſſe nonnullorum opinio eſt. Sed de Juliano poſtea. Nunc de Lodulpho videndum, quem ego ex albo antiſtitum Eugubinorum delendum cenſeo. Multa vero ſunt, quae huc me vel invitum impellunt, ſed illud maxime, quod ſi recentiores aliquot ſcriptores, quorum alter ab altero bona fide accepit, excipias, nullum vetus monu-

(a) *To. X. pag.* 193. (b) *Rer. Italic. ſcrip. T. II. P. I. pag.* 204. (c) *Lab. To. X. pag.* 601. (d) *Ad an.* 967. *n. IV.*, & *V.* (e) *Supplem. To. I. col.* 1145., & 1153.

numentum eſt, nullus ſcriptor antiquus, apud quem hujus epiſcopi vel nudum nomen occurrat. Adde quod neque a Bernio memoratur in chronico Eugubino apud Muratorium (a), neque in Greffolini fragmentis, quae tantopere praedicantur, epiſcopus dicitur. In quibuſdam vero catalogis, a me viſis, omnino deeſt, in aliis recenti manu adjectus eſt.

II. Non tum tamen neſcius eſſe qui afferant antiqui chronici Gualdenſis auctoritatem, ad Lodulphi epiſcopatum adſtruendum. Vixiſſe autem fertur ejus chronici auctor poſt initium ſaeculi XIV., Conſtantino Cajetano judice, qui ejus particulam affert ſub initium ſecundi voluminis operum S. Petri Damiani. In eo igitur chronico, cujus autographum in bibliotheca Vaticana aſſervari dicitur, haec leguntur: *B. Lodulphus Augubio in ſacro monaſterio Fontis Avellane congregationem Columbae fundavit. Fuit is epiſcopus, & A. D. MXLVII. in eodem monaſterio mortuus eſt, & mira ſanctitate refulſit.* Sed quidquid id eſt, merum eſt commentum. Viderat olim cl. Guido Grandius noſter chronicon Gualdenſe in bibliotheca Vaticana, & cum ab eo petiiſſem per quemdam ex noſtris, virum primarium, & cum doctrina, & pietate, tum etiam dignitatibus illuſtrem, quodnam ejus eſſet judicium de chronico Gualdenſi, & quid de B. Lodulphi epiſcopatu ſentiret, ſemper ſe dubitaſſe reſpondit, ne unquam in cathedra Eugubina Lodulphus ſederit, nec ullam eſſe fidem adhibendam chronico Gualdenſi, quod recenti manu interpolatum ſit, adjecta nimirum ea periocha, quam hic exſcripſimus.

III. Neque me movet, quod B. Lodulphus epiſcopali habitu inſignitus pingi ſoleat; nam id ex falſa eorum opinione manavit, qui eum, tota refragante antiquitate, epiſcopis Eugubinis adnumerari volunt. Neque ulla eſt ex iis tabulis pictis, quae B. Lodulphum epiſcopalibus infulis ornatum exhibent, quae ullo in pretio habenda ſit propter antiquitatem, licet antiquiſſimae, praedicentur. Ex his alteram vidi in monaſterio Avellanenſi, alteram Romae in hortis Pamphiliis ad divi Pancratii. Sed nimis in antiquitatis cognitione rudis ſit oportet, qui eas non recentiſſimas agnoſcat, & fortaſſe non ultra medium ſaeculum ſuperius confectas. Praeter haec autem duas nullam unquam audivi commemorari ſolere. Sed illud etiam toreuma aeneum, quod quidam pro antiquiſſimo obtrudunt, coelaturae recentis eſt. In eo exhibetur B. Lodulphus cum inſignibus gentis Pamphiliae, epiſcopali mitra ornatis, quod ipſum maxime valet non ſolum

ad

(a) *To. XXI. Rer. Italic. ſcrip.*

ad impoſturam, ſed ad ipſius etiam impoſturae originem prodendam. Ejus hic ectypon ſubjicimus, ut de eo eruditi judicium facere poſſint.

IV. Scriptores autem, qui Lodulphum Eugubinorum antiſtitem eſſe volunt, in ſumma ſententiarum varietate verſantur, quod ipſum argumento eſt, nihil eos certi exploratique habere, quod ſequantur. Sunt enim qui Lodulphum electum dicunt, ſed minime inauguratum, quod eccleſiaſticae praelationis muneri ferendo ſe imparem prae humilitate judicarit. Sunt qui triennio epiſcopatum geſſiſſe, poſteaque abdicaſſe exiſtiment. Atque id adeo certum Jacobillo fuit, ut eo triennio, quo Lodulphus Eugubinis praefuit, non ſolum religionem ipſam magnum cepiſſe incrementum, ſed civitatem omnem providentiſſimi epiſcopi opera plurimum floruiſſe, & habitatoribus auctam, & novis aedificiis ad populi multitudinem capiendam extra pomerium excitatis non modice amplificatam confirmet: quae nemo mirabitur tam fidenter dici abſque tabulis, & teſtibus idoneis, & in tanto veterum ſcriptorum, & monumentorum ſilentio, niſi qui ejus auctoris ingenium non noverit.

V. Sed quid quod aliqui etiam inventi ſunt, qui Lodulphum tradiderint poſt abdicatum ſemel epiſcopatum, rurſum adactum eſſe ad collum abjecto jam oneri ſubmittendum? Quod ſi quaeras quo anno electus ſit, quove abdicarit, multo etiam majorem diſſenſionem ſcripto-

ptorum invenies. Quae autem Coletus ex Jacobillo corraſit ad Ughellum in Lodulpho ſupplendum de ejus aetate, de anno, & die obitus, de corpore apud monaſterium Avellanenſe hodie dum religioſe ſervato, & ſi quid eſt aliud ejuſmodi, ejus diligentiam potius, quam judicium probant. De Lodulpho enim incerta omnia, illudque imprimis obſcurum ubi ejus reliquiae, ſicubi ſunt, requieſcant. Certe apud Avellanam nihil earum eſse unquam auditum eſt, nec ullus B. Lodulpho cultus adhibitus eſt ab Avellanitis ante hos paucos annos, cum Petrus Pamphilius comes aram Lodulpho, quem pie credit gentilem ſuum, in templo Avellanenſi poſuit; eſt enim multorum opinio B. Lodulphum, quem monaſterii Avellanenſis conditorem ferunt, ex gente Pamphilia prodiiſſe. Qua de re, deque aliis ad Lodulpbum pertinentibus, dicemus in antiquitatibus Avellanenſibus, ſi tantum otii erit, ut opus jamdiu exaſciari ceptum, abſolvere liceat. Eſt ad aram B. Lodulphi in templo Avellanenſi hic titulus

D. O. M.
Sacellum hoc
Divo Ladulpho Pamphilio Eugubino
Hujus Eremi fontis Avellanae fundatori
Qui dimiſſo patriae epiſcopatu
Et ad haec primaeva clauſtra reverſus
Obdormivit in Domino XX. Jannuarii MXLVII
Com. Petrus Pamphilius patricius Eugubinus
Trinepos Petri germani fratris Antonii Albani
San. mem. Innocentii X. P. M.
Ob religionem erga gentilem ſuum
Ac Pamphiliae gentis patronum
Extruxit & ornavit anno Domini MDCCXL.

IX.

JULIANUS.

Lodulphum Julianus excepit Avellanenſis monachus, ſi qua Ughello fides. Sic enim de Juliano Ughellus: *Julianus eremita S. Crucis de Avellana adlectus eſt*, anno ſcilicet MIX. quo ei perſuaſum erat Lodulphum ab epiſcopali munere ſe ſubduxiſſe. Ait autem Julianum anno MXII. deceſſiſſe die ſeptima Maii. Sed Lucentius Ughello excidiſse putat annum MXII. pro anno MXXXII. Putat enim Lodulphi abdicationem, & electionem Juliani contigiſse anno MXII. hujuſque propterea obitum, ex animi ſui ſententia, confert in annum

MXXXII. Dum autem ait ſe hujus epiſcopi annum emortualem, & epiſcopatus epocham ex meliore inſpectione necrologii Avellanenſis, & ex Jacobilli commentariis hauſiſse, quid ſibi velit, haud ſane intelligo. Nam quid Jacobillus hic more ſuo effutiat, unuſquiſque reſcire poteſt (a); ex necrologio Avellanenſi nihil eorum intelligi poteſt, praeter diem obitus. In eo enim necrologio, quo quiſquam anno obierit, rariſſime adſcribi ſolet, ac Juliani obitus uſitata illa formula notatur ad diem ſeptimam Maii: *Obiit Dn. Julianus epiſcopus Eugubinus commiſſus noſter*. Sed nimis ingens hiatus erat in ſucceſſione antiſtitum Eugubinorum ab anno CMLXVIII. quo Joannem epiſcopum acta concilii Romani exhibent, ad annum MXXXVII. quo Theudaldum vixiſſe mox oſtendemus. Ei incommodo ut aliqua ratione occurreretur, ut Loduſphum intruſerunt, ita Julianum, quem ex fide necrologii Avellanenſis conſtabat epiſcopatum Eugubinum geſſiſſe, ſed tempus tamen ignorabant, huc intuſerunt. Sed Lazarellus majus, aliquid eſt auſus; duplicem enim Julianum poſuit, alterum ad annum MXII. alterum vero ad annum MLXXVI. quod ipſum oſtendit incertam nutare Juliani epiſcopi ſedem, quam tamen nos hinc amovere non audemus, nullibi enim commodius, quam in tanto hoc hiatu conſtitui poteſt. Porro Julianus *Avellanenſis commiſſus* dicitur, quod plurimum a monacho diſtat, ut norunt harum rerum periti. Reſorbendum igitur quod habet Ughellus, Julianum Avellanenſem monachum fuiſſe; ſed deinceps tamen plures ex Avellanenſi familia ad epiſcopatum Eugubinum aſsumptos eſſe oſtendemus.

X.

THEUDALDUS.

I. Theudaldus, quem alii Tedaldum, alii Theobaldum vocant, ex Avellalanenſi monacho epiſcopus Eugubinus, ſediſſe dicitur ab Ughello ad annum MXLIX. & anno MLII. una cum antiſtite Aretino, cui item Theobaldo nomen, dedicationi eccleſiae S. Floridi apud Tiſernates interfuiſſe. Sed Theobaldus Aretinus, Ughello ipſo teſte, multo ante eum annum obierat. Dedicationem vero eccleſiae S. Floridi, quae Tiſernatium cathedralis eſt, actam ſcribit Jacobillus a Petro Tiſernati epiſcopo ad annum MXII., Theobaldo Eugubino, & Theobaldo item Aretino ad eam ſolemnitatem accitis (b). Sed idem tamen Jacobillus alibi ſcripſerat Theobaldum ad Eugubinas inſulas e-

ve-

(a) *Jacobil. to. I. de Ss. Umbr. in vit. B. Rodulphi pag.* 109. (b) *Jacobil. Ss. Umbr. in vit. S. Floridi* XIII. *Nov.*

vectum esse post Juliani obitum, quem decessisse scripserat anno MXV. atque ita suam ubique oscitantiam prodit (a). Lazarellus Theudaldum hunc in duos dispertitur, quos ipse Theodaldum, & Tetdaldum appellat. Illum ad annum MXII., hunc ad annum MXLIX. Eugubinis antistitem tribuit. Sed missis nugis, id unum de Theudaldo, id enim verum est ejus nomen, exploratum habemus, interfuisse illum Romano concilio, quod anno MXXXVII. celebratum est (b), & rursum alteri Romano concilio, quod habitum est anno MXLIV. (c) Etenim inter patres postremi hujus concilii subscribit *Theudaldus S. Mariani*, cujus sedem ignorarunt, qui episcoporum indices ad Labbeanam conciliorum collectionem confecerunt. Sed is proculdubio est episcopus Eugubinus, de sancti enim Mariani nomine dici consuevit ecclesia cathedralis Eugubina, quae beatum illum martirem praecipuum patronum colit, atque ob eam rem *episcopium S. Mariani*, & *S. Mariani episcopus* saepe in tabulis ecclesiae Eugubinae occurrunt, quorum non unum deinceps, ubi ex usu erit, exemplum proferemus.

II. Hoc episcopo sedente, ad superos migrasse ferunt B. Fortem ex primis illis Avellanensis instituti sodalibus, sanctitate illustrem eremitam, cujus sanctum corpus in cathedrali ecclesia Eugubina incorruptum asservatur. Obiisse dicitur ad annum MXL. De eo diximus in dissertationis praeviae capite septimo.

III. Pertinet etiam ad haec tempora Guidonis Pamphilii charta, qua jussam ratam firmamque esse decernit donationem castri Vallis, a majoribus suis ecclesiae Eugubinae factam, quam ex apographo exscripsimus (d).

In Dei nomine, &c. Temporibus Dn. Leonis universalis Pp. anno ejus primo, regnante Henrico Imperatore, anno ejus tercius indic. tercia (e) *Eugubio. Professentes professeor ego Guido filius Panfilii per hujus pagina nostre vocis promissionis confirmacionis do & confirmo ad canonica beatissimi Scī martiri Mariani & ad vestris seguaces in perpetuum, idest castrum Vallis, quomodo canonice confirmavit avus meus Petrus, & Mantia Panfilii pater ejus propter donacione facta prius ad ipsa canonica a Johanne Amantie, patre dicti Panfilii & promitto ab hac hora non molestare ipsa canonica, & facio finem, & quietationem ab omni lite, quam habui contra vos propter ipso castro, & cedo omni jure, qnod possum habere in castro prefato, ita ut ego, nec filii mei non molestabunt quod jure adquisiviſtis causa donacionis, & confirmacionis facta me, & a majoribus meis, & si contravenivero, promitto vobis solvere penam de arien-*

(a) *Jacobil. in vit. B. Lodulphi* XX. *Jan.* (b) *Labbe To. XI. concil. pag.* 1283. *edit. Venet.* (c) *Ibid. pag.* 1303. (d) *Archiv. Arman. Membran. n.* XX. (e) *Anno scilicet* 1049. *ad finem properante*.

to libras ſexainta & inſuper hec pagina ſemper maneat integra:

✠ *Signum man Guido cui relecta eſt.*

✠ *Sig. man. Albertus fil. de dicto Guido, qui conſenſit.*

✠ *Sig. man. Baruncellus comes & Suppolus filius ejus rogat. teſtes, &c.*

Fuſcardo tabellio ſcripſi & complevi.

XI.

GUIDO.

I. Guidonem Ughello, & ſcriptoribus Eugubinis ignotum, produnt acta concilii Romani ſub Victore II. Ea nuper vulgavit cl. Manſius cum epiſcoporum obſignationibus, in quibus eſt *Guido Egobinenſis epiſcopus* (a). Actum eſt hoc Romanum concilium anno MLVII. Guidoni igitur locus aſſignandus inter Theudaldum, & Rodulphum, ſive Rofredum, quem non improbabile eſt ante Rodulphum ſediſſe, ut in Rodulpho mox dicemus. Extat S. Petri Damiani epiſtola ad V. epiſcopum, qua eum reprehendit ob eccleſiae ſuae praedia alienata & diſtracta, qua de re inquit: *Numquid oblitus es, quod ante fere quinquennium Victor Apoſtolicae Sedis epiſcopus, in plenario concilio, Florentiae celebrato, cui ſimul & Imperator Henricus interfuit, hoc ſub excommunicationis cenſura prohibuit* (b)? Celebratum eſt concilium Florentinum, de quo hic ſermo eſt, anno MLV. in Pentecoſte (c). Cum ergo haec S. Petri Damiani epiſtola ſcripta ſit quinquennio fere poſt concilium iſtud, quiſpiam fortaſſe haud temere dixerit V. hunc epiſcopum, ad quem ſcribit Damianus, ipſum eſſe Guidonem epiſcopum Eugubinum, qui anno MLVII. Romano concilio interfuit; Vidonem enim, ſeu Widonem, ac Guidonem promiſcue ſcribi conſueviſſe nullus dubito.

II. At, inquies, anno MLIX. Eugubinis praeerat vel Rodulphus, vel Roſredus epiſcopus, qui concilio Romano ad eum annum celebrato adfuit. Verum hic ego nodum inſolubilem non video. Fac enim eam epiſtolam ſcriptam eſſe paulo poſt initium anni MLIX., tunc & in vivis eſſe poterat Guido, cui paulo poſt obeunti, ſucceſſerit ſive Rodulphus, ſive Rofredus, & eo ipſo tempore Petrus Damianus, minus ſcrupuloſe loquendo, ſcribere poterat concilium Florentinum ante fere quinquennium celebratum fuiſſe. Ab anno enim MLV. ad annum MLIX. ſi utrumque terminum numerando complectaris, quinquennium utcunque habebis.

III.

(a) *Manſi ſupplem. ad concil. Lab. To. I. pag.* 1314. (b) *S. Petri Dam. l. IV. ep. XII.* (c) *Murator. Annal. Ital. ad an.* 1055.

III. Eſt autem non levis ratio adſcribendi hanc epiſtolam Guidoni Eugubino, inde petita, quod Petrus Damianus eccleſiam Eugubinam a Romanis Pontificibus commendatam habebat, ejuſque propterea peculiarem curam gerebat, ut ex ejus epiſtola ad Alexandrum II., quae eſt libri primi quartadecima. At fatetur ipſe Petrus Damianus ſibi aliquam auctoritatem eſse in hunc V. epiſcopum, quem, & aliquando convenerat, & ob male adminiſtratam eccleſiam ſuam, *qua licebat auctoritate*, corripuerat. Adde, quod Petro ipſo Damiano curante, in epiſcopum electus fuerat. *Obſecro*, inquit, *frater, ne gravis tibi videatur iſta correptio. Nam qui noſtro ſtudio te provectum ad epiſcopatus apicem non ignoras, dignum eſt, ut ſicut provehentem, ita nihilominus, & redarguentem aliquando aequanimiter feras. Nam & ipſe Dominus Petrum univerſali prius eccleſiae praetulit, deinde gravi reprehenſionis invectione pulſavit ..... In quo nimirum nobis dedit exemplum, ut, quos ad honoris culmen attollimus, ſub diſciplinae ſemper magiſterio refraenemus.* Cum ergo haec in epiſcopum Eugubinum egregie quadrent, propter Petri Damiani auctoritatem in eam eccleſiam, & cum aliunde conſtet paulo ante illud tempus, nimirum anno MLVII. Guidonem epiſcopum fuiſse, a vero alienum non videtur hunc ipſum Guidonem eſse, ad quem ſcripta eſt Petri Damiani epiſtola, de qua diſputamus.

IV. Quod ſi Petrum Damianum velis accuratius computaſſe quinquennium illud, ceteroqui minus integrum & completum, quod interceſſit inter celebrationem concilii Florentini, & tempus, quo ea epiſtola ſcripta eſt; Guidonem epiſcopum Eugubinum hic tueri non licebit. Cadet enim ejus epiſtolae epocha in annum MLIX. exeuntem, vel in annum MLX. Quare cum Romanum concilium, in quo ſedit Rodulphus, ſive Rofredus epiſcopus Eugubinus, habitum ſit anno MLIX. non admodum adulto, ſcilicet menſe Aprili (a), a Guidone oporteret, ante illud tempus, cathedram Eugubinam vacuam eſse relictam. In hac autem hypotheſi V. epiſcopum, cui ſcripta eſt S. Petri Damiani epiſtola, non alium crediderim, quam Hugonem Callienſem, qui per eos dies vivebat, & concilio Romano interfuit ad annum MLIX., cujus acta ſub nomine *Hugonis Gallienſis*, ſeu Gallenſis ſubſcripſiſse legitur (b). Adeo certe vicinum eſt Avellanenſe aſceterium dioeceſi Callienſi, ut propter eam cauſam facile potuerit Petrus Damianus non minimam ejus eccleſiae ſollicitudinem gerere.

V. Sed quoniam de eccleſia Eugubina Petro Damiani a Romanis Pontifi-

(a) *Labbe To. XII. concil. col. 49.* (b) *Manſi ſupplem. To. I. pag. 1338.*

tificibus commendata & commiſsa, ſermo incidit; videndum quandiu onus hoc vir ſanctiſſimus ſuſtinuerit. Magnus Baronius auctor eſt hanc eccleſiae Eugubinae procurationem una cum epiſcopatus Oſtienſis adminiſtratione a Petro Damiano abdicatam (a). Scribens enim ad Alexandrum II. (b) *Benedicta omnipotentis diſpenſatio conditoris, inquit, quia ad vos nuper aſcendens duorum epiſcopatuum unius regendi, alterius viſitandi mole depreſſus, praerupta alpium juga tranſivi, moxque ſarcina tribulationis abjecta, exoneratus, & liber ad dilectam ſolitudinem, tanquam fugitivus, poſtliminio repedavi.* Primum epiſcopatum Baronius Oſtienſem interpretatur; alterum Eugubinum. Sed epiſcopatum, cujus viſitandi munus abjecerat, Veliternum fuiſse judico. Poſtquam enim Joannes Mincius epiſcopus Veliternus larvam illam Romani Pontificis deponere coactus eſt, quam magno ſuo, & eccleſiae malo aſſumpſerat, & ab omni eccleſiaſtico gradu dejectus eſt; Veliternus epiſcopatus nullum paſtorem habuit, ejuſque adminiſtratio ad Oſtienſem pervenit. Videndus ea de re v. cl. Alexandri Borgiae Firmani archiepiſcopi Veliternae hiſtoriae liber tertius, ubi de his erudite diſſeritur. (c).

IV. Non videtur igitur hic audiendus Baronius, praeſertim, cum vel ipſe Petrus Damiani retentam a ſe Eugubinae eccleſiae curam oſtendat, in epiſtola ad Alexandrum II. quam ſupra commemoravimus (d). Cum enim neſcio quid dure, & inclementer in eam eccleſiam feciſse videretur Alexander II., id acerbiſſime tulit Petrus Damiani, & quaſi ſuo pectori ille ipſe vulnus inflixiſset, quem vita ſua cariorem habebat, & unice colebat, id non potuit tacitus ferre, ſed multis verbis & offenſionem ſuam, & ejus eccleſiae calamitatem conqueſtus, quaſi jure ſuo a Pontifice poſtulavit, ut ingenti malo ille ipſe medicinam afferret, qui cauſam dederat: *Quod*, inquit, *Eugubina eccleſia, quae mihi dudum a veſtris deceſſoribus eſt commiſſa, nunc, proh dolor! eſt omnino confuſa, & velut area, quae pedibus conculcatur abjecta, peccatis meis exigentibus deputo, non vitio, quod abſit, veſtrae pravitatis adſcribo. Multitudo quippe meorum ſcelerum exigit, ut is etiam propriis manibus meo pectori vulnus infligat, pro quo enerviter ſtans adverſus totum mundum certamen aſſumpſi, meque gladiis & ſagittis totius fere humani generis durus, & inſuperabilis colluctator objeci. Hoccine mihi, venerabilis pater, meritum reddidiſti, quod cauſae tuae perorator in ſanctorum patrum conciliis toties extiti, quod in legationis tuae curis, atque negotiis frequenter in ſaecularium, laicorumque conventu, quaſi quidam*

[a] *Baron. Annal eccleſ an.* 1061. *XXXVI.* [b] *Lib. I. ep. X.* (c) *Borgia hiſt. Veliter. l. III. pag.* 224. [d] *Lib. I. ep. XIV.*

dam cauſidicus declamavi?.... Agat ergo qui laeſit, ſicut dignum eſt, poenitentiam, ut is qui laeſus eſt, non compellatur exaggerare querelam. Ex iis, quae hic habet Petrus Damiani de legationibus, de conciliis, deque laboribus Alexandri cauſa exantlatis, liquet hanc epiſtolam eſſe ſcriptam multis annis poſt ejus Pontificis electionem. Eo fit eccleſiae Eugubinae curam, atque ſollicitudinem non eo tempore dimiſſam, quo adminiſtrationem epiſcopatus Oſtienſis abdicavit. Facile ergo mihi perſuaderim S. Petrum Damiani commiſsam ſibi eccleſiae Eugubinae curam, quoad vixit, retinuiſse, neque dubito, quin ei eccleſiae ſancti viri opera iis temporibus difficillimis utiliſſima fuerit: epiſcopum vero nullum per ea tempora Eugubinis datum reor, niſi quem vir ſanctiſſimus, idemque prudentiſſimus probaſset, quod in prima ac praecipua parte felicitatis ejus eccleſiae fuiſse exiſtimo.

XII.

S. RODULPHUS.

Commentarius praevius in vitam S. Rodulphi, a S. Petro Damiano ſcriptam.

I. S. Rodulphus epiſcopus Eugubinus encomiaſten habuit S. Petrum Damiani in epiſtola ad Alexandrum II. (a) quam, ſi quis legerit, facile judicare poterit cujuſmodi ſanctitatis lumina per eos dies ex eremo Avellanenſi emergerent. Ughellus tamen, memoria lapſus, quae Petrus Damiani de Rodulpho in ea epiſtola ſcripſerat, ea ad Theudaldum retulit, de quo antea diximus. Haec porro de Rodulpho Ughellus. *Rodulphus cuidam decreto Nicolai II. ſubſcribit in Romana Synodo anno MLIX. Hujus meminit Baronius ad annum MLXI. Arnoldus Wion l. 2. lig. vit. refert deceſſiſſe Rodulphum anno MLXX. d. 26. Junii. Scripſit huic Petrus Damianus, ejuſdemque judicio opuſcula ſua eruderanda commiſit.*

II. Poſtremum hoc de opuſculis S. Petri Damiani eruderandis quale ſit, intelligere licet ex epiſtola ipſius Damiani libri quarti undecima, quae eſt ad Theodoſium Senogallienſem, & Rodulphum Eugubinum epiſcopos. Iis enim mandat vir ſanctus, de ſe admodum demiſse ſentiens, ut opuſcula, & ſcripta ſua, ſe vivo, vel ſaltem poſt ſui mortem, quotquot in eorum manus pervenire poterint, diligentiſſime ad trutinam revocent, & ſi quid minus recte dictum reperierint, vel omnino expungant, & deleant, vel ipſi corrigant, atque emendent. Atque id ſe propterea facere vir ſanctus confirmat, quod nemi-

(a) *S. Petri Dam. lib. I. ep. XX.*

neminem iis habeat ſibi cariorem, & in ſanctarum ſcripturarum meditatione magis exercitatum: *Porro autem*, inquit, *quoniam ex his, qui exercitati ſunt in meditationibus ſcripturarum, purioris circa me fidei, & abundantioris caritatis aliquem eſſe non arbitror, idcirco vobis potiſſimum hujus faſcem laboris injungo* (a). Fortaſſe hic idem Rodulphus eſt, ad quem Petrus Damiani incertum ex monaſterio Aceretae, an ex eremo Gamugni, epiſtolam, amoris plenam ſcribit, de reſtituta ſibi divinitus valetudine eum cum Ariprando monacho certiorem faciens. Eſt epiſtola libri ſexti vigeſima.

III. Eſt alia S. Petri Damiani epiſtola ad R. epiſcopum. Ea eſt libri quarti decima, quam Conſtantinus Cajetanus operum S. Petri Damiani editor ad epiſcopum Eugubinum ſcriptam eſſe opinatur. Sed deceptus eſt vir, alias diligentiſſimus, aliiſque offendiculo fuit. Cave igitur putes hunc eſſe Rodulphum noſtrum. Non modo enim alius ab eo eſt, ſed ne Eugubinis quidem epiſcopis eſt adnumerandus; conſtat enim ex ipſa epiſtola S. Petri Damiani hunc eſſe epiſcopum Senogallienſem. Conqueritur enim Damianus ab eo epiſcopo interdictam fuiſſe eccleſiam quamdam in Maſſa Sorbituli, quam paſſus erat conſecrari ab epiſcopo Foroſempronienſi, oratque, ut ſublato interdicto, in ea eccleſia divina fieri permittat: *Obſecramus*, inquit, *dilectiſſime, interdictum noſtrae eccleſiae officium reddite, & non ſolum illam poſſeſſiunculam*, (in qua nimirum ea eccleſia ſita erat) *quae veſtrae procul dubio dioeceſis eſt, ſed quiquid habemus, veſtra auctoritate defendite*. Maſſa Sorbituli locus erat dioeceſis Senogallienſis, ex qua avulſus eſt, & Foroſempronienſi adjunctus ad ejus epiſcopi paupertatem ſublevandam. Haec autem Maſſae Sorbituli ſeparatio a dioeceſi Senogallienſi facta eſt a Victore II., tum confirmata eſt ab Alexandro II., ipſo Petro Damiano aſſentiente, ac denique ab Honorio III. rurſum comprobata, ut liquet ex ejus diplomate apud Ughellum in epiſcopis Foroſempronienſibus ſub Munaldo epiſcopo. Hic igitur R. epiſcopus, Ughello ignotus, inter epiſcopos Senogallienſes notandus eſt ante Theodoſium, Rodulpho noſtro Eugubino aequalem. Cum enim non diffiteatur S. Petrus Damiani Maſſam Sorbituli tunc ad R. epiſcopi dioeceſim pertinuiſſe, manifeſtum eſt, nondum eo tempore a Senogallienſi dioeceſi fuiſſe divulſam, quod factum diximus a Victore II., qui anno MLIV. pontificatum ſuſcepit.

IV. Sed quae de Rodulpho habet S. Petrus Damiani, ampla quidem & magnifica ſunt, ſed preſſe admodum & jejune ſcripta. Eo fit,

(a) *Lib. IV. ep. XI.*

fit, ut multa nos lateant de genere ejus, de patria, de anno, quo eſt editus in lucem, quoque ex hac vita migravit, deque id genus aliis, ſine quibus perfecta eſſe hiſtoria non poteſt. Ex his aliqua hoc loco inveſtiganda ſunt, ac praeſertim de anno ejus emortuali aliquanto uberius diſputandum, in quo fortaſſe eruditi homines propter quamdam novitatis ſpeciem diligentiam noſtram probabunt.

V. Ac de patria quidem Rodulphi incerta omnia. Non deſunt qui Eugubinum eſſe velint, & familiam etiam aſſignent Gabrielliam (a), quae jam inde a pluribus faeculis clariſſima eſt in ea civitate. Sed haec nullo ſuffragio antiquitatis ſuffulta rejiciuntur. Silet enim his de rebus Petrus Damiani, quem unum habemus, qui de eximio hoc epiſcopo aliquid ſcriptis tradiderit. Picottus hiſtoriarum Eugubinarum ſcriptor non ſemel nominatus, cum, auctore Damiano, comperiſſet caſtrum munitiſſimum Avellanitis a Rodulpho donatum, cum ad eremum venit, de Campetri caſtro interpretatur, quod erat olim in extremis agri Eugubini finibus ad quinque paſſuum millia ab eremo Avellanenſi ad euroboream, ubi & aliqua ejus extant veſtigia, & vetus nomen perſeverat, & antiquam Avellanitae eccleſiam habent Divo Petro ſacram, unde fortaſſis Campetri nomen manavit, quaſi caſtrum Petri diceretur. Hanc porro hiſtoriolam vel ab ſe confictam, vel acceptam ab aliis narrat Picottus (b). Cum enim avitum ejus caſtri dominatum obtineret Rodulphus, & ſaepenumero graves cum vicinis inimicitias pro more temporum gereret, aliquando factum eſt, ut armis victus, & agro ejus hoſtili populatione vaſtato, pecoribus abductis, & frugibus vel aſportatis, vel incenſis, & corruptis, ad ſummam commeatus inopiam redactus ſit. Ea calamitate fractus non eſt ejus animus, ſed conſilium tamen coepit haud ſe dignum. Circumjecta itinera obſidere inſtituit, ut ſi quis per ea loca, Campetri caſtro vicina, annonae quidpiam imprudens tranſvexiſſet, in eum faceret impetum, & quidquid illud eſſet, interciperet. Contigit autem, ut monachorum Avellanenſium agaſones, qui farinae ingentem vim ad Avellanam convehebant, in ejus inſidias inciderint. Quod cum Avellanenſibus eſſet nunciatum, adeo de vindicanda injuria non cogitarunt manſuetiſſimi homines, ut quoniam non erat obſcurum, quae Rodulphi inopia eſſet, ſaccos farinae multo etiam plures, quam, qui ablati fuerunt, ad eum miſerint, rogantes, ut quod ipſe ante cepiſſet, & quod ad eum mitterent commeatus ſubſidium, munuſculi loco haberet. Moviſſe dicitur tantae caritatis, atque humani-

E

(a) *Jacobil. de Sa. Umor. To. I. ad d. 26. Jun. Vincent. Arman. To. I. ep. pag. 700., &c.* (b) *Extat. mſs. in archiv. Arman.*

manitatis exemplum efferatum Rodulphi animum, qui cum ex eo tempore ſaniora conſilia agitare coepiſset, pace cum vicinis, aequiſſimis conditionibus, facta, ac duobus fratribus cum matre in eamdem ſententiam adductis, nuntium terrenis rebus remittere decrevit. Itaque cum ſervos omnes libertate donaſset, & Campetri caſtrum cum ſuis praediis omnibus Avellanenſibus obtuliſſet, auſterum illud vitae inſtitutum cum fratribus ſub Damiani diſciplina arripuit. Haec fere Picottus, veris falſa multa admiſcens. Si enim ea demas, quae de Rodulphi converſione, & caſtri ſui munitiſſimi oblatione ex Damiano accipimus, cetera, unde Picottus expiſcatus ſit, ignoro. Opinor ex vano vulgi rumore, & anili traditiuncula, quae mihi quoque, cum in iis locis eſsem, non ſemel in aures incurrit, quam Picottus libenter exceptam, & verbis ornatam ad Rodulphum traduxerit. Ego nierum commentum judico, nam & legitimo antiqui auctoris teſtimonio caret, & Campetri caſtrum in antiquioribus Avellanenſium tabulis non occurrit. Tantum initio ſaeculi XIII. tres ex decem ejus caſtri partibus Avellanitas obtinuiſſe conſtat, reliquae partes ſeptem Eugubinorum erant, qua de re in antiquitatibus Avellanenſibus dicendum erit. Sed quid quod Petrus Damiani in laudata epiſtola monachorum coloniam ab ſe inductam narrat in caſtrum illud, quod a Rodulpho, & fratribus acceperat? At monaſterii ullius apud Campetri locum, non modo certum aliquod monumentum, ſed ne leviſſimum quidem indicium nanciſci licuit, quanquam creberrima ſit ejus loci memoria in tabulis Avellanenſibus ab initio ſaeculi XIII. ad noſtram uſque aetatem. Explodenda igitur Picotti fabella.

VI. Jam vero, ſi de Rodulphi aetate quaeras, ea eſt indicata ab ejus encomiaſte Petro Damiani, a quo intelligimus Rodulphum annos plus minus triginta natum ex hac infelici luce ad verae lucis auctorem migraſse, ſeptennio poſtquam ad eremum veniſset. Sed quem in annum ejus beata mors inciderit, id vero perobſcurum eſt, & magnis difficultatibus implicatum. Quod ſi eum annum definire liceat, facile erit, & annum quoque, vel adamuſſim, vel praeterpropter conſtituere, quo in lucem eſt editus, & eum quo ad eremum venit, & quo etiam ad Eugubinas inſulas raptus eſt. Conſtat autem Rodulphum evolaſse ad ſuperos Petri ſedem obtinente Alexandro II.; ad eum enim ſancti viri res geſtas perſcripſit Damianus poſt acceptum de ejus morte nuntium. Sed quoto Alexandri II. anno haec contigerint quis definire auſit? Ughellus, cujus maxime erat aliquid ea de re conſtituere, *hujus*, inquit, *meminit Baronius ad annum MLXI. Arnoldus etiam deceſſiſſe ait anno MLXX., ac nihil addit de ſuo.* Bollandiani ſo-

cii

cii vix Rodulphum memorant in praetermiſſis, atque in alios dies rejectis ad diem cal. Jun., & VI. cal. Jul. ubi ajunt eum eſſe defunctum anno MLXX., quod ab Arnoldo Wion acceptum eſt, nec ulla ratione defendi poteſt, ut poſtea oſtendemus. Mabillonius vero neque in actis Ss. neque in annalibus ordinis S. Benedicti, in ea re punctum attigit. Utrobique enim Rodulphum ſcripſit obiiſſe ad annum MLXIII. ea ratione permotus quod Damianus nuncium de Rodulphi morte accepit, cum eſſet Florentiae, quo eum veniſſe putavit occaſione ſchiſmatis eccleſiae Florentinae ad annum MLXIII. Sed haec falſa eſſe deinceps demonſtrabimus. Narrat Damianus in ea ipſa epiſtola ad Alexandrum II. in qua Rodulphi laudes complexus eſt, anno ante quam Rodulphus obiiſſet, S. Dominicum Loricatum, alterum Avellanenſis familiae clariſſimum lumen extinctum eſſe. Sic enim poſt narratas Rodulphi laudes, tranſitum facit Damianus ad Loricati vitam paulo uberius deſcribendam. *Sed ecce*, inquit, *dum hujus epiſtolae gerulus, qui ad vos veniat, quaeritur, & non ſupperit, repente aliud, quod uberius ad aedificationem proficere valeat, ſi ſcribatur, occurrit . . . . . Vir itaque Dei Dominicus, pater & dominus meus, ante annum defunctus eſt.*

VII. Si quis igitur, quo anno Loricatus obierit, certo poſſit conſtituere, is etiam comperiet quinam fuerit annus Rodulphi extremus; annus enim unus inter utriuſque obitum fluxit, ut ex Damiano audivimus. Verum hoc opus, hic labor; incredibilis enim ea de re ſcriptorum diſſenſio eſt. Baronius, nihil repugnante Pagio, Loricati obitum conjecit in annum MLXI. *Hoc anno*, inquit, *prid. id. Octobris migravit ex hac vita mirificus ille magnae abſtinentiae, ac auſteritatis vitae vir Dominicus, Loricatus cognomento dictus, cujus res praeclare geſtas ſcripſit Petrus Damiani ad Alexandrum Papam, ubi cum teſtetur poſt annum ab obitu Rodulphi epiſcopi Eugubini hunc eſse defunctum; plane ad praeſentem annum rejiciendus eſt ejus ad Deum tranſitus: quem magno animi ſui dolore idem Petrus Damiani poſt tres dies, ex quo Romam ſe contulit, ſe accepiſſe teſtatur jam praenuntiatum ab Hildebrando Archidiacono.* Vides hic memoria laplum annalium eccleſiaſticorum parentem, cum ſcripſit Loricatum defunctum eſſe poſt annum ab obitu Rodulphi; contra enim conſtat Rodulphum poſt annum a Loricati obitu migraſſe ad ſuperos. Eſt aliud hic leviuſculum Baronii erratum; ſcribit enim Petro Damiani nunciatum eſſe Rodulphi obitum, triduo poſtquam Romam veniſſet. At Petrus ipſe Damianus de Rodulphi morte ſibi allatum eſſe ſcribit, cum Florentiae eſſet triduo, poſtquam ab Alexandro diſceſſerat, ac mirum ſane geminum hunc errorem, neque a Pagio, ne-

que a Manſio nuper in ornatiſſima Lucenſi editione ſublatum eſſe: Sed utrumque tamen Baronius ipſe viderat, & manu ſua correxerat in exemplari ſuorum analium typis edito, quod olim Chriſtinae Svecorum Reginae fuit, ac poſtea in bibliothecam Ottobonianam invectum eſt, ad cujus oram ita eminentiſſimus auctor ad annum MLX. ſcriptum reliquit. *Hoc anno prid. id. Octob. migravit ex hac vita, &c. ubi cum teſtetur poſt annum ab ejus obitu Rodulphum, &c. poſt tres dies ex quo Roma Florentiam ſe contulit, &c.* Ita ad me olim ſcripſerat amicus optimus Octavius Turcius, canonicus Piranus, qui idipſum monuit in vita S. Dominici Loricati, quam nuper edidit (a). Sed haec leviora ſunt: illud permagni intereſt, quod Baronius mutavit ſententiam; cum enim antea exiſtimarit Loricatum obiiſſe ad annum MLXI., ut eſt in annalibus editis, rationibus poſtea melius ſubductis, ſancti viri obitum retraxit in annum MLX.

VIII. Poſſem alios nominare, qui, vel annum a Baronio in annalibus editis conſtitutum retinent, vel dum alium ab ſe excogitatum inducunt, novis ambagibus implicantur. Sed unum praeterire nefas eſt illuſtrem auctorem Guidonem Grandium, qui in appendice ad quartam diſſertationem Camaldulenſem Laderchium anno MLX. Loricati obitum affigentem, acriter impugnans, unus omnium ea de re eruditiſſime diſſeruit. Eſt autem viri doctiſſimi opinio Loricatum ex humanis exceſſiſſe anno MLXVI. Nam cum Loricatus pridie idus Octobris obierit; ſic enim eam epiſtolam abſolvit Damianus: *Obiit beatus Dominicus prid. id. Octob. regnante D. N. Jeſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſaecula ſaeculorum. Amen.* Cumque, Damiano ipſo auctore in eadem epiſtola ad Alexandrum II. manifeſtum ſit Loricatum obiiſſe die ſabbati; ſic enim ibi legimus: *ſexta igitur feria* (Loricatus) *per continuum diem vix deſiit, vel modulandis pſalmis inſiſtere, vel corrigiarum ſe ictibus flagellare. Nocte vero ſopore depoſito ſuſcepit antidotum, deinde coepit anguſtiari, & de ſtomachi dolore graviter conqueri. Poſt decurſum itaque nocturnae ſynaxis officium, poſt matutinos hymnos, cum prima jam hora ſibi a fratribus, qui aderant, cantaretur, ſanctum Deum ſpiritum reddidit;* haec duo componenda erant ad extremum Loricati annum definiendum, ut is nimirum prid. id. Octob. obierit, & ille dies in ſabbatum inciderit. At duo illa temporibus Alexandri II. componi non poterant niſi anno MLX., & MLXVI. Sed anno MLX. aliunde probat Grandius Loricatum ex hac vita non migraſſe. Reſtabat igitur,

(a) *In diſſertat. praev. §. II. pag.* 18.

tur, ut ſancti viri obitum in annum MLXVI. adduceret.

IX. Non patitur inſtituta brevitas, ut ſingulas haſce ſcriptorum opiniones ad trutinam revocemus. Tantum juvat, quae a nobis ad hanc quaeſtionem dirimendam cogitata ſunt, proferre in medium. Quae ſi cui probabilia videbuntur, aliorum ſententiae quaſi uno ictu corruent: ſin minus, erit unicuique integrum vel melius aliquid afferre de ſuo, vel ſi quam ex ſuperioribus ſententiis propius ad verum accedere judicarit, in eam pedibus ire. Ajo itaque videri mihi obitum S. Dominici Loricati ſatis commode conferri poſſe in annum MLXV. Videbitur id omnino incredibile, quod vulgo perſuaſum ſit Loricatum obiiſse prid. id. Octob., & quidem die ſabbati, ſedente Alexandro II. qui characteres annum deſignant MLX., vel MLXVI., ut ſcite eſt a Grandio obſervatum. At quid ſi Loricatus non eo die, ſed IV. idus Sept. obierit? Atqui hunc ego arbitror fuiſſe ſupremum Loricati diem. Eſt id contra omnium ſententiam, ſed tamen non temere dictum. Facit enim, ut ita judicem, auctoritas Necrologii Avellanenſis, cujus non ſemel jam meminimus, quod Ravennae aſſervatur inter codices mſs. bibliothecae noſtrae Claſſenſis. Scriptum eſt Necrologium iſtud ad calcem membranacei codicis, in quo vetus Martyrologium ſcriptum eſt, quo olim Avellanitae noſtri utebantur. Ibi enim Loricati obitus ad diem X. Sept. notatur in hunc modum: *Obiit dn. Dominicus Loricatus incluſus venerabilis eremita*. Quare cum Loricatus obierit ſabbati die, ut aperte proditum eſt a S. Petro Damiani, inito calculo, vel inſpectis antiqui calendarii tabulis, compertum erit annis tantum MLXV., & MLXXI. decimam Septembris diem in ſabbatum per id tempus incidiſſe. At vero in annum usque MLXXI. Loricati tranſitus nulla ratione trahi poteſt; ita enim fieret, ut Rodulphi obitus conjiciendus eſſet in annum conſequentem MLXXII. quo ſcilicet anno cathedram Eugubinam, jam inde ab anno ſaltem M. LXX. obtinebit Hugo epiſcopus, ut infra oſtendemus. Unus eſt igitur annus MLXV., cui liceat Loricati obitum copulare; atque ita Rodulphi beata mors in annum MLXVI. ad finem vergentem conjicienda erit.

X. Neque me movet concluſiuncula illa epiſtolae S. Petri Damiani appicta, in qua Loricatus conceptis verbis dicitur obiiſſe *pridie idus Octobris*. Etenim pronum dictu eſt eam recentiori manu adiectam fuiſſe, vel certe vitiatam & corruptam propter amanuenſium vel imperitiam, vel oſcitantiam; ex quo ſcilicet fonte plura irrepterunt menda in ſcripta Ss. Patrum, & in antiquiora fere monumenta. In Necrologio autem Avellanenſi perantiquo, quodque non debuit ab aliis, atque aliis amanuenſibus exſcribi, ut epiſtolis, & ceteris

teris S. Petri Damiani libris contigit, non video cur mendum adeo enorme ſuſpicari liceat, ut Loricati obitus e ſua ſede divulſus, in alium locum longe diſſitum, ex die ſcilicet Septembris decima, in quartamdecimam Octobris tranſvectus fuerit. Sed alio nomine mihi ſuſpecta eſt ejus epiſtolae concluſio. Video enim ibi Loricatum *Beati* appellatione inſignitum: *obiit Beatus Dominicus, &c.* Haec autem dicendi ratio a ſumma Petri Damiani ſobrietate, & prudentia aliena eſſe videtur. Neque enim veroſimile eſt beati titulum Loricato tempeſtive adeo, & vix anno ab ejus morte elapſo, a S. Petro Damiani tributum fuiſſe, cui non erat obſcurum non licere cuiquam viros etiam ſanctiſſimos poſt mortem ejuſmodi titulo privata auctoritate decorare.

XI. Quam non inanes ſint hae conjecturae, demoſtrant nonnulli codices Vaticani manu exarati, & longe antiquiſſimi, in quibus ad calcem laudatae epiſtolae Petri Damiani ad Alexandrum II. deſunt ea verba *obiit Beatus Dominicus Loricatus &c.*, quemadmodum accepi a viro amiciſſimo Octavio Turcio, canonico Pirano, qui poſtulante me codices illos conſulendos curavit per amicos Romae agentes. Quae cum ita ſint, auctoritatem Necrologii Avellanenſis ementito illo, vel vitiato & corrupto S. Petri Damiani teſtimonio minime labefactari cenſeo. Ac mirum profecto amicum meum Turcium, qui nuper S. Dominici Loricati vitam erudite illuſtratam edidit, & hanc meam opinionem de anno, & die emortuali ejus ſanctiſſimi eremitae ſibi a me liberaliſſime comunicatam pluribus expoſuit, & ſubruere conatus eſt, oblitum eſſe, quod aliquot ab hinc annis de codicibus Vaticanis ad me ſcripſerat; nam id certe vir ingenuus, verique amator diſſimulare nec poterat, nec debebat. Verum hac de re poſtea.

XII. Sed aliud eſt, quod hypoteſim noſtram penitus convellere videtur. Anno enim MLIX. S. Rodulphum in cathedra Eugubina ſediſſe produnt acta concilii Romani ad eum annum habiti ſub Nicolao II. quibus obſignandis cum aliis epiſcopis bene multis *Rodulphus Eugubinus* interfuit. Si ergo ejus obitum in annum uſque MLXVI. diſtrahas, juxta hypotheſim noſtram, epiſcopatum Eugubinum ſeptennio ſaltem ab eo geſtum fuiſſe oportebit, ab anno ſcilicet MLIX. ad annum MLXVI., quod eſſe nullo modo poteſt, refragante ſcilicet Petri Damiani teſtimonio, ex quo diſcimus Rodulphum evaſiſſe ad ſuperos vix annos ſeptem poſtquam ad eremum venerat. Itaque ejus ſeptennii partem in eremo Avellanenſi egit, partem in epiſcopatu Eugubino; ea autem & in epiſcopatu geſſit, & in eremo, Damiano ipſo auctore, ut difficile dictu ſit diutius ne privati eremitae vitam egerit in eremo Avellanenſi, an epiſcopi munia apud Eugubinos ſuſtinuerit

nuerit. Non potuit igitur ſolidis annis ſeptem epiſcopatum gerere. Quare ſi anno MLIX. epiſcopus Eugubinorum erat jam inauguratus, ut acta concilii Romani, eo anno celebrati, comprobare videntur, ad annum uſque MLXVI. vitam protrahere non potuit.

XIII. Non leve momentum huic rationi accedit ex quodam decreto Alexandri II. ut opinantur, anno MLXII. edito, in quo mentio occurrit Hugonis epiſcopi Eugubini. Eo enim fit ut Rodulphus qui ad annum MLIX. in vivis erat, anno jam MLXII. obierit, & vacuam Eugubii ſedem Hugoni reliquerit. Inſertum eſt Alexandri II. decretum Honorii III. diplomati pro eccleſia Forolempronienſi, idque videre licet apud Ughellum (a).

XIV. Geminum hunc ſcopulum viderat Grandius, quem ut declinaret, multa ſubtiliter diſſeruit, atque inprimis ſuſpicatus eſt Rodulphi epiſcopi Eugubini nomen perperam intruſum eſſe inter reliquorum epiſcoporum ſubſcriptiones, qui ei concilio interfuerunt. Cum enim cujuſpiam Eugubini epiſcopi nomen, quod ſimiliter ac Rodulphi nomen inciperet, & hac unica ſigla R. veteri more notatum eſſet in hunc modum: *ego R. epiſcopus Eugubinus ſubſcripſi*, imperitus aliquis in ejus concilii actis reperiſſet, facile Rodulphum legere potuit, cum aeque Raynaldum, Raynerium, & aliud quidvis nomen legere potuiſſet. Simile quidpiam ſaepe alias contigiſſe multis oſtendit vir doctiſſimus, quae conjecturae ſuae fidem conciliare poſſent, niſi Rodulphi nomen, non unica ſigla, ſed totidem literis expreſſum legeretur inter patrum ſubſcriptiones, qui ei concilio adfuerunt. Ita enim eſt in actis ejus concilii ab Harduino editis, atque ex codice Vaticano MCMLXXXIV. per P. Poſſinum erutis. Ibi enim medius inter Adulphinum epiſcopum N. & Vildonum Senogallienſem ſubſcriptus occurrit *Rodulphus epiſcopus Eugubinus*. Decretorium id omnino videtur contra Grandii hypotheſim, non minus ac contra noſtram. Sed quid ſi mendoſae ſint epiſcoporum ſubſcriptiones ejus concilii actis ſubjectae? Quid ſi pro Rodulpho Eugubino legendum ſit Rodulphus Gabinus? Erunt qui id paradoxum putent; Gabios enim Latii urbem antiquiſſimam cuinam perſuaſum non ſit ſaeculo XI., quo Rodulphus is, de quo quaerimus, vivebat vel plane deletam fuiſſe, vel ita certe vaſtatam, ut jam inde ab annis fere ducentis epiſcopali cathedra caruerit? Itaque nec apud Ughellum, nec apud Ughelli illuſtratores Lucentium, & Coletum, ullum reperies Gabinum epiſcopum Leone poſteriorem, qui in vivis erat anno DCCCLXXIX. de quo, atque univerſe

(a) *Ital. ſac. To. II. in ep. Foroſemp.*

niverſe de epiſcopis Gabinis ita vir clariſſimus Dominus Georgius Ss. D. N. Benedicti feliciter regnantis ab intimo ſacello, qui nuper magno literariae reipublicae detrimento extremum obiit diem, in diſſertatione de Cathedra epiſcopali Setina (a) *Vivebat inquit adhuc Leo A. D. DCCCLXXIX., quo Romanae Synodo de reſtituendo Photio interfuit ..... Gabinenſium vero epiſcoporum deinceps nulla apud nos memoria pervenit; quod fortaſſe paulo poſt funditus ea urbs everſa fuerit.*

XV. Haec habet de Gabina cathedra, & civitate praeſul doctiſſimus. Sed tamen ſaeculo XI. Gabinam eccleſiam ſuo paſtore non caruiſſe, vel certe epiſcopum aliquem fuiſſe, qui ejus eccleſiae titulum geſſerit, nullus dubito, quamquam qua ratione id factum ſit neſcire me fateor, & aliis divinandum relinquo. Porro aliquem fuiſſe epiſcopum Gabinum ſaeculo XI., & quidem Nicolai II. temporibus, evincitur ex ipſius Nicolai diplomate pro monaſterio S. Thomae de Apulella in agro Pitaurenſi, quod datum eſt anno MLX. Ei namque diplomati ſubſcriptus legitur *Petrus Gabinenſis epiſcopus*. Vidi aliquot ante annos ejus diplomatis autographum apud canonicos regulares Lateranenſes S. Mariae in Portu Ravennae, beneficio viri docti, mihique amiciſſimi, Fabii Baleonii, tunc in eo monaſterio ſacrae theologiae lectoris, nunc abbatis optime meriti, atque hic in eruditorum gratiam publici juris facere decrevi. Eſt diploma illud multis nominibus in pretio habendum; nam praeter Gabini epiſcopi mentionem ſingularem, ex eo etiam ſcire licet quo loco Clemens II. obierit, quod in obſcuro latebat. Eſt autem ſcriptum eo charactere, quem vulgo Langobardicum eruditi appellare conſueverant, quique eo ipſo ſaeculo XI. in uſu eſſe deſiit. Ejus exemplum ante acceperam a Flacchio meo, quem iterum honoris & amicitiae cauſa nomino, idque cum autographo diligenter collatum, & alicubi etiam emendatum, hic ad ipſius autographi fidem vulgandum cenſeo.

XVI. *Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei petro venerabili abbati monaſterii ſancti thome apoſtoli poſiti in comitatu penſaurenſi juxta flumen apuſella ſuiſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum. Tanta eſt ſedis apoſtolice auctoritas ut omnis requiratur ab ea firmitas, nec putetur eſſe ſtabile, niſi quod ejus fuerit confirmatum robore: & quia nos ei preſidemus, & vices beati petri apoſtoli ſungimur, licet indigni, omni ſtudio debemus ſervientes Deo, divinoque timore repletos dirigere, & adjuvare, quatenus noſtro munimine ſuffulti abſque omni impedimento Deo ſer-*

(a) *Num. XVII. pag. 16.* (b) *Lubinus in ſuis Italicis Abbatiis S. Thomae de Flela abbatiam memorat in diœceſi Piſaurenſi, eamque circa ſeculum eccleſiae Piſaurenſis adjunctam a Nicolao*

ſervire, & in ſuo ſervitio liberius permanere poſſint. Quapropter per interceſſionem domini petri damiani hoſtienſis epiſcopi confratris noſtri, & petri abbatis ejuſdem monaſterii, & ſpiritualium monachorum ejus regulariter viventium decrevimus eccleſie ſancti thome apoſtoli, & ejus rectoribus preſenti, & futuris tam bona ammobilia, quam immobilia, que nunc habet vel in perpetuum habiturus eſt, confirmare, & corroborare, quatenus cum omni ſecuritate & quietudine monaſterium predicte eccleſie maneat & ibidem Deo ſerviatur. Flexi igitur precibus ut diximus religioſorum monachorum corroboramus atque confirmamus necnon ſtabilimus tibi tuiſque ſucceſſoribus eidem monaſterio qui nunc preſides & preſidere debent in perpetuum. Quin inſuper quietum facimus & ſecurum ab omni impugnatione ac leſione hominum ut nemo ſit qui audeat quicpiam moleſtationis, ac leſionis eidem monaſterio inferre ſtatuentes apoſtolica cenſura, ut nullus imperator rex dux marchio comes vicecomes & perſona nullus archiepiſcopus epiſcopus & ſpecialiter ejuſdem penſaurenſis epiſcopatus epiſcopus qui nunc eſt ibi vel futurus eſt necnon cives loci illius vel alia aliqua perſona magna vel parva aliquod inferre preſumat detrimentum vel nocumentum predicto monaſterio ſancti thome, ejuſque omnibus bonis quibus nunc habet vel in perpetuum habiturus eſt. Inſuper concedimus, & confirmamus predicto monaſterio omnem ipſam terram cum capellis & ſuis pertinentiis, quam domnus papa clemens qui ibi hobiit obtulit predicto monaſterio in perpetuum pro remedio anime ſue & reſtauratione eccleſie poſitam comitatu penſaurenſi inter as fines: a primo latere rivum reanum: a ſecundo latere ripam de pirele ſicut vadit in petram de acero & venit ad viam publicam que ducit in lavacelli: a tertio latere rivum qui temporaliter currit ſuper caſtrum liciole; & a quarto latere apoſellam fluvium qui currit uſque in ipſum veſtrum monaſterium cum monte calvello & valle gelata: & caſtrum liciole cum omnibus que intra hos concluduntur fines cum terris campis caſis vineis arboribus pomiferis & infructiferis cum omni-

F *bus*

---

lao V. ad annum MCDXLVII. (Lubin. Notit. Abbat. Ital. p. 136.) *Hanc puto eandem ipſam eſſe, quae hic S. Thomae de Apuſella appellatur. Eſt autem notiſſimus in provincia Feretrana amnis vulgari nomine* Apuſa, *cui olim inſidebat Pitinum Mergens, ut ab clariſſimo Oliverio diſcimus* (Oliver. Marmora Piſaurens. p. 64. & ſeq.), *nunc autem Maceratam Feretriam adlambit. Apeſis dicitur a Laurentio Abſtemio apud eundem Oliverium, nec alius eſt ab Iſapi, quem inter celebres Italiae fluvios recenſet Lucanus, cum de eo canit:*

Cruſtumiumque rapax, & junctus Iſapis Iſauro, (Lucan. l. II. Pharſal.).

Sed Iſapis Iſauro, ſeu Piſauro, quod verum eſt ejus fluvii nomen (Oliver. ibid. pag. 65.), *noſtris* la Foglia, *jungitur multo ſupra eum locum, ubi S. Thomae monaſterium ſitum erat.*

bus ad predictam terram generaliter & universaliter pertinentibus. Et insuper confirmamus eidem monasterio illam turrim infra ipsam civitatem pensaurensem que nominatur castellione cum suis pertinentiis intus & foris usque ad portam que nominatur fanestra in perpetuum. Unde evacuamus & evacuatum semper esse volumus & jubemus illa precepta que de illa terra habuerunt ipsi filii ungari ut nullum valorem, nullamque habeant firmitatem per hoc nostrum preceptum tibi tuisque successoribus a nobis pro remedio anime illius pape clementis nostreque in perpetuum. Factum ea tamen ratione ut annualiter persolvatis exinde pensionem auri bisantum unum actionariis certis sancte romane ecclesie apto tempore. Si quis igitur hujus nostri privilegii ac precepti violator temere extiterit, & monitus canonice emendare contempserit perpetui anathematis vinculis se innodatum noverit, & insuper quinquaginta librarum auri pena multandum medietatem sacro nostro lateranensi palatio & medietatem prefato monasterio. Qui vero pia devotione conservator esse studuerit precibus apostolorum principum petri, & pauli peccatorum suorum omnium ab omnipotenti deo veniam & eterne beatitudinis consequatur gloriam. Scriptum per manus johannis scriniarii sancte romane ecclesie in mense aprilis, & indictione tertiadecima.

✠ *Ego petrus gabinensis episcopus Ss.*
✠ *Ego bruno prenestinus episcopus Ss.*
✠ *Ego johannes portuensis episcopus subscripsi.*
✠ *Ego petrus peccator monachus & episcopus Ss.*
✠ *Ego stephanus vocatus monachus & presbiter tituli s. grisogoni Ss.*

BENE

Datum rome XIII. *kal. maii anno ab incarnatione domini M. LX. per manus humberti sancte ecclesie silvecandide episcopi & apostolice sedis bibliothecarei anno secundo pontificatus domni pape NICHOLAI secundi indictione XIII.*

XVII. Non erat igitur saeculo XI. prorsus extincta antistitum Gabinorum memoria, atque ille idem Petrus Gabinensis, insigni huic diplomati subscriptus satis aliunde notus est; ejus enim nomen occurrit tum apud

apud Mabillonium (a) in Annalibus, tum apud Muratorium bis in Antiquitatibus Medii Aevi (b) ubi modo Agubinus, modo etiam Eugubinus dicitur, ſed Gabinenſem, ſeu Gabinum omnino dicendum eſſe conſtat tum ex ſubſcriptione allati diplomatis, tum quia Petro locus eſſe non poterat per eos dies in cathedra Eugubina. Fateor equidem nihil mihi accidere importunius potuiſſe, quam cum Petrum hunc ſive Agubinum, ſive Eugubinum apud Mabillonium & Muratorium offendi. Nam, cum, ex monumentis ab iis auctoribus allatis, conſtaret Petrum hunc ad annum MLX. vixiſſe, novis ambagibus implicari videbam chronotaxim antiſtitum Eugubinorum. Sed omnem difficultatem ſuſtulit ſola inſpectio laudati diplomatis, cui iſte idem Petrus cum titulo epiſcopatus Gabini adſcriptus legitur. Adeo in antiquitatis ſtudio caecutimus, quandiu genuinis & incorruptis monumentis deſtituimur.

XVIII. Illud itaque accidiſſe arbitror Rodulpho Eugubino, qui ſubſcriptus dicitur actis concilii Romani, anno MLIX. celebrati, quod Petro huic, de quo antea diximus, qui librariorum incuria, vel imperitia Agubinus, aut Eugubinus quandoque dictus eſt, cum dicendus eſſet Gabinenſis, vel Gabinus. Edita ſunt ejus concilii acta iterum cum epiſcoporum ſubſcriptionibus a Muratorio in chronico Farfenſi (c), ſed mirum quantopere differant & epiſcoporum, & epiſcopatuum nomina ab iis, quae in Harduini editione leguntur. Id vero maxime ad rem noſtram facit, quod, inter alios patres apud Muratorium ſubſcriptos, primo quidem occurrit *Rofredus epiſcopus Eugubinus*, tum paulo poſt *Rodulphus Gubinus*. Sed quoniam ſedes Eugubina duos eodem tempore epiſcopos capere non poterat Rofredum, & Rodulphum, horum alterum quidem Eugubinis tribuemus, alter autem non video cuinam eccleſiae commodius aſſignandus ſit quam Gabinae, quam ſatis jam oſtendimus per id tempus ſuo paſtore deſtitutam non fuiſſe. Cum itaque Rofredum Eugubinum in iis actis nitidiſſime legamus, hunc quidem Eugubinis, Rodulphum autem Gabinis adjudicabimus; imperito enim amanuenſi, iis temporibus acta ejus concilii cum ſuis epiſcoporum obſignationibus exſcribenti, cum Gabini epiſcopatus memoria prorſus extincta erat, facillimum fuit ex Gabino Gubinum efficere, atque ita epiſcopum Eugubinum in ſpeciem geminare.

XIX. Quod ſi quis tamen perfracte contendat minime recedendum eſſe a fide codicis Vaticani, ex quo Poſſinus ejus concilii acta exſcripſit, nec patiatur Rodulphum in iis actis ſubſcriptum expungendum eſſe ex albo antiſtitum Eugubinorum, ut Gabinis adjudicetur; non

(a) *To. IV. pag. 609. b.* (b) *To. V. pag. 1042. & 1044.* (c) *To. II. Rer. Italic. ſcript. P. II. p. 647.*

propterea concedemus Rodulphum hunc illum ipſum eſſe ex Avellanenſi monacho ad cathedram Eugubinam aſsumptum. Is enim anno MLIX. nondum inauguratus eſse poterat. Nam, ut praetermittamus etiam auctoritatem Necrologii Avellanenſis, S. Dominici Loricati obitum figentis die decima Septembris, ex quo neceſsario ſequitur ſanctum eremitam anno MLXV., & S. Rodulphum ſequenti anno MLXVI. obiiſse, ut ſupra demonſtratum eſt; ſunt aliae rationes quibus evincitur Rodulphum obiiſse, non quidem initio pontificatus Alexandri II., ſed eo jamdudum regnante. Id enim liquido patet ex iis quae S. Petrus Damiani de Simoniacis habet in ea ipſa epiſtola ad Alexandrum II., qua ad eum Loricati geſta virtuteſque ſcribit. Sic enim de Dominico dicere exorditur: *Dominicus, cum eſſet in ſaeculo clericus, quia tunc Simoniaca vigebat haereſis, quae & nunc utinam prorſus eſſet extincta.* Cum igitur ea epiſtola ſcripta eſt, etſi nondum ea peſtis eſset extincta, aliquid tamen de priſtino furore remiſerat. Id vero in ea tempora quadrare non poteſt, quibus Alexander II. fluctuantem, & tum maxime a Simoniacis agitatam Petri naviculam gubernandam ſuſcepit. Haec notiſſima ſunt, & Cadaloici ſchiſmatis, per idem tempus exorti, in faſtis eccleſiaſticis lugenda perſtat memoria, de quo idem Petrus Damianus ad Alexandrum II. electum, ac nondum conſecratum, ita ad rem noſtram ſcribens inquit: *Nunc etiam cum Simon ille, veternoſus videlicet trapezita, malleos, & incudem reparat, cum Romanam urbem velut officinam ſibi per monetarios peſtiferae negociationis uſurpat, quo vos Petrus vobiſcum fugiens attrahit, illic eſſe Romanam eccleſiam omnibus indubitanter oſtendit* (a). Non ergo ſub initium pontificatus Alexandri II. ea epiſtola ſcripta eſse potuit, qua Rodulphi mortem ſibi Florentiae nunciatam, & Loricati geſta ad Alexandrum ipſum detulit, ſed multo ſerius ſcriptam eſse oportet, cum ſcilicet procella Cadaloici ſchiſmatis multum reſediſset, niſi plane eſset extincta. At fatetur Alexander II. epiſtola ad Gervaſium archiepiſcopum Remenſem Romanam eccleſiam quinquennio oppreſsam fuiſse a Cadaloo: *Romanam*, inquit, *eccleſiam per quinquennium nunc callida tergiverſatione, nunc hoſtili invaſione oppreſſit* (b). Cum igitur Cadalous pontificatum invaſerit anno MLXI. Octobri exeunte, & annis quinque Romanam eccleſiam oppreſserit, non ante annum MLXVI. ad finem vergentem tantiſper mitigata videri potuit Romanae eccleſiae calamitas, nec ante id tempus ſcripta eſse potuit ea Damiani epiſtola. Si quis igitur velit Rodulphum inter patres concilii Romani, anno MLIX. celebrati,

(a) *Lib. I. ep. X.* (b) *Alex. II. ep. XII. ad Gervaſ. Rem. apud Lab. to. XII. concil. pag.* 82.

Digitized by Google

ti, apud Harduinum ex fide codicis Vaticani, ſubſcriptum, adnumerandum eſse epiſcopis Eugubinis, alium inducere oportebit Rodulphum Eugubinum epiſcopum, cujus mortem Petrus Damiani, cum Florentiae eſset, audierit, & ad Alexandrum II. ſub finem anni MLXVI. perſcripſerit; Rodulphus enim, de quo ſcripſit Petrus Damiani, ab anno MLIX. ad MLXVI. epiſcopatum Eugubinum gerere non potuit, quippe qui vix ſeptennium in eremo ſimul atque in epiſcopatu tranſegit. Neque vero mirum eſset duos eodem nomine epiſcopos per id tempus eccleſiae Eugubinae praefuiſse, praeſertim cum ea nomina barbarae originis tunc in Italia frequentiſſima eſsent. Nullius igitur momenti ſunt ad convellendam hypotheſim noſtram, quae ex ſubſcriptionibus concilii Romani, ſub Nicolao II. celebrati, afferuntur.

XX. Videndum nunc de diplomate Alexandri II. quo probari putat Ughellus anno MLXII. Hugonem Eugubii ſediſse. Ac primo dici poſset nihil impedire, quominus & anno MLXII. Hugonem epiſcopum Eugubini habuerint, & S. Rodulphus exeunte anno MLXVI. juxta hypotheſim noſtram obierit, quem ſcilicet exploratum eſt non admodum diu in epiſcopatu vixiſse. Sed revera negamus Hugonem anno MLXII. Eugubii epiſcopum ſediſse. Id certe non evincitur ex illo Alexandri II. diplomate, quod affert Ughellus. Datum eſt diploma illud apud Ughellum *menſe Maii die vero* 10., *indictione* 13. At ea indictio neque in annum MLXII. neque in ullum Alexandri II. annum incidit. Ita animadverterat Grandius noſter (a) qui propterea legendum putavit *indictione VIII.* Congruit autem indictio VIII. cum anno MLXX., quo adhuc erat in vivis Alexander II. Commutata enim nota V. in X. ex *indict. VIII.* quae ei diplomati appoſita erat, amanuenſis aliquis indiligens indictionem XIII. facillime potuit ingerere. Ita prudenter conjectavit Grandius, quem in ea re verum vidiſſe compertum habeo. Cum enim per humaniſſimum, & nobiliſſimum virum Aloyſium Septemcaſtellium comitem a viro illuſtriſſimo Jo: Baptiſta Lactantio Foroſempronienſis eccleſiae praepoſito, qui poſt haec a nobis ſcripta Tifernatium epiſcopus creatus eſt, impetraſſem, ut diploma ipſum in tabulario eccleſiae Foroſempronienſis aſſervatum diligenter inſpiceret, ejus notas chronicas ita ſe habere nunciavit. *Actum menſe Maii die vero XV. indictione VIII.*

XXI. Quantum igitur circumſpicere poſſum, nihil eſt quod magni momenti eſſe videatur ad hypotheſim meam de anno emortuali S. Rodulphi epiſcopi Eugubini concutiendam, ſed omnia potius ad eam con-

(a) *Append. ad diſſert. IV. Camald. n. X.*

confirmandam congruunt. Tale illud eſt, quod nuncius de Rodulphi morte ad S. Petrum Damiani allatus eſt, cum a Pontifice digreſſus, Florentiam veniſſet. Alexander II. poſt bellum Normannicum, cui ipſe interfuerat, anno MLXVI. Lucam profectus erat, ibique eum fuiſſe ab Auguſto menſe ad Novembrem uſque, eccleſiae Lucanae monumenta apud Florentinium demonſtrant (a). Percommode igitur factum eſt, ut Petrus Damianus a Pontifice, qui Lucae erat, diſcedens, ad quem ſcilicet pro utilitate eccleſiae crebro ventitare ſolebat, Florentiam attigerit, ibique Rodulphum Eugubinum epiſcopum deceſſiſſe audierit.

XXII. Ac de anno quidem emortuali hujus beati epiſcopi hactenus. Eſſet nunc de die quaerendum, quo humanis exemptus eſt, ſed de ea re nec certum quidquam, nec admodum probabile afferri poteſt. Jacobillus, aliique beatum virum tradunt VI. kal. Julii ad ſuperos evaſiſſe, quod nullo modo conceſſerim. Damianus enim, poſtquam nunciatum ei fuiſſet de Rodulphi morte, ejus res geſtas ſcribere aggreſſus eſt ad Alexandrum II. Sed cum non ſtatim in prompta fuerit qui ad Alexandrum iret, Dominici Loricati laudes, ut ſupra indicavimus, attexuit, epiſtolamque abſolvit ſub initium Novembris, ut palam eſt ex iis verbis: *Porro in feſtivitate beatorum apoſtolorum Simonis, & Judae, quam nuperrime celebravimus, dum nocturno cum fratribus intereſſet officio &c.* Scripta eſt igitur ea epiſtola paulo poſt feſtum Ss. apoſtolorum Simonis, & Judae, vel ſaltem eo tempore abſoluta eſt. Quod ſi demus etiam dies pluſculos elapſos eſſe, antequam eam epiſtolam Damianus abſolverit, & ad Alexandrum miſerit, vix tamen licebit Rodulphi obitum extra menſem Octobris conjicere. Certe ad uſque XXVI. Junii diem haud fas erit retrahere.

XXIII. Si itaque anno MLXVI. Octobri menſe Rodulphus diem ſuum obierit, ita in hunc fere modum omnem ejus aetatem diſtribuere oportebit, ut anno ſcilicet MXXXVI. in lucem editus ſit; poſt exactos autem in ſaeculo annos tres & viginti ad Avellanam venerit, exeunte anno MLIX. vel anno MLX. ineunte; denique ad annum MLXIII., vel MLXIV. Eugubinae eccleſiae procurationem ſuſceperit. Ita egregie diſtributum habemus omne tempus aetatis, quod Rodulpho tribuit S. Petrus Damiani, a quo nimirum accepimus Rodulphum vix annos triginta inter mortales degiſſe, ex quibus annos fere ſeptem partim in eremo, partim in epiſcopatu vixerit.

XXIV. Ubinam Rodulphus obierit plane obſcurum eſt. Jacobillus

(a) *De Mathild. comit. lib. I. pag. 93.*

lus (a) Eugubii obiiſſe tradit, ibique non ſine multis lacrimis ſepultum fuiſſe in veteri cathedrali eccleſia, unde in novam ſubinde illatum ſit, ubi ad hanc diem ſacrum ejus corpus quieſcit, multis clarum miraculis, ad aram ejus nomini ſacram. Sed nullum in eccleſia Eugubina S. Rodulphi altare eſt, nulla ejus corporis memoria, nihil unquam auditum de miraculis, ob ejus merita divinitus patratis; ut mirum ſit bonum hunc ſcriptorem non pravitate animi, ut opinor, ſed inconſulto quodam pietatis ſtudio, haec, atque his ſimilia paſſim in ſuis libris propinantem, ſubveritum non eſſe, non dicam eruditorum cenſuram, ſed omnium hominum ſubſannationem, qui tam ſplendida mendacia nullo negotio detegere, atque exſibilare potuiſſent. Aliorum eſt opinio Rodulphum apud ſuam fontis Avellanae eremum obiiſſe, quod praeter fidem non eſt; ibi enim compertum eſt conſueſſe eum vivere, etiam poſtquam inauguratus eſt epiſcopus, ut narrat S. Petrus Damiani. Verum neque apud eum locum ullum eſt ſancti viri monumentum, quemadmodum ne ullum quidem eſt tot ſanctiſſimorum hominum, qui primis illis temporibus eo loci diem extremum clauſerunt, ſi unum excipias S. Albertinum, cujus corpus in templo Avellanenſi religioſiſſime aſſervatur.

XXV. Supereſt jam, ut de religioſo cultu S. Rodulphi dicamus, de quo optandum eſſet, ut luculentiora argumenta ſuppeterent. Et ſane vix probari poſſe exiſtimo ſemper eum in eccleſia Eugubina cultum beatis coelitibus debitum obtinuiſſe, cum ne noſtris quidem temporibus publicus ei cultus ullus in ea eccleſia tribuatur. Sed vulgo tamen & Eugubini, & aliarum gentium ſcriptores ſanctum appellant, idque in cauſa fuit, cur nos quoque ab ea appellatione non abſtinuerimus, praeſertim cum ei nuper aram Romae in noſtro Coelimontano S. Gregorii templo excitatam eſſe conſtet cum inſcriptione, quam videbis infra in adnotatis ad Rodulphi ipſius vitam a Petro Damiano ſcriptam. Ex antiquioribus, quos viderim, qui Rodulphum ſancti titulo appellant, eſt Guerrerius Bernius, cujus extat chronicon Eugubinum ad annum uſque MCDLXXII. perductum, a Muratorio editum (b), cujus verba vide ſis infra ſub Dominico epiſcopo. Poſſem huic ſubjicere innumeros alios longo ordine ſcriptores tum eccleſiaſticos, tum monaſticos, qui Rodulphum ſanctis paſſim adnumerant, quique ejus vitam cum ceteris, quos veluti ſanctos colimus, deſcribunt. Sed eorum duntaxat quaſi principes & anteſignanos appellare juvat Mabillonium, & Baronium, quorum alter S. Rodulphi vitam affert, & illu-

(a) *De St. Umbr.* To. I. *ad d.* 26. *Jun.* (b) *Rer. Ital. ſcrip.* To. XXI.

illuſtrat in actis Ss. Ordinis S. Benedicti, alter ſic de Rodulpho loquitur in annalibus eccleſiaſticis, quaſi de viro ſanctiſſimo, eique inſigne elogium concinnat, vernantem eccleſiae catholicae florem appellans, quo pontificia corona niteſcit: *Ubi Florentiam*, inquit, *pervenit Petrus Damiani, audita morte Rodulphi epiſcopi Eugubini, ejus vitam ſcribere, atque ad eundem Pontificem mittere, dignum exiſtimavit. Qua enim gloria majori pontificia corona niteſcit, quam ſi ex catholicae eccleſiae agro, quos tempus praeſens profert, vernantibus undique floribus exornetur? Sunt ſancti viri vere flores, de quibus, jam erumpentibus, gaudens ſponſa Chriſti eccleſia dicat: flores apparuerunt in terra noſtra* (a). Haec eminentiſſimus ſcriptor, alia in eandem ſententiam adjungens, in quibus videtur habuiſse prae oculis ea verba, quibus S. Petrus Damianus Rodulphi mortem narrans: *His*, inquit, *& hujuſmodi virtutum floribus ornatum, quaſi candens lilium immaturae mortis pruina decoxit*. Sed ipſe quoque Rodulphi encomiaſtes Petrus Damiani, quanquam recens mortuum, ſic laudat, ut eum auguretur divinos honores in eccleſia Dei habiturum; fatetur enim ſe de Rodulpho ſcribere, ut Pontifici ſapientiſſimo Alexandro II. morem gerat, a quo mandatum ſibi fuerat, *ut tale ſemper aliquid ſcriberet, quod & ad aedificationem legentium ſuſcipi, & inter ſcripturas mereretur authenticas reſervari*.

XXVI. Sed hic adverſari nobis videntur Bollandiani ſocii, quorum ſane judicium hac in re graviſſimum eſt. Quamvis enim alicubi ſanctum dixiſſent (b), ſic tamen de illo ad primam Junii diem habent in praetermiſſis, atque in alios dies rejectis: *Rodulphus, epiſcopus Eugubinus, vir magnae auſteritatis, ut ſanctus profertur a Menardo in Martyrologio Benedictino. Wion quoque lib. 2. in Eugubinis epiſcopis eumdem ſancti titulo honorat, aſſeritque obiiſse 26. Junii. Aſt Ughellus in epiſcopis Eugubinis abſtinet ab omni titulo ſancti, & beati, quamvis* Wionem *citet. De eo agemus XXVI. Junii*. Vides hic in eam ſententiam propendi, ut Rodulpho ſancti, ac beati titulus abjudicetur. Sed fruſtra tamen Ughelli auctoritas affertur. Quis enim miretur Ughellum ab omni honoris titulo abſtinere, cum ea ad Theudaldum Rodulphi praeceſſorem referat, quae de Rodulpho ipſo a S. Petro Damiani ad Alexandrum II. ſcripta ſunt, ut initio monuimus? Excuſandus hic Ughelli lapſus, non praejudicium ex ejus auctoritate S. Rodulpho creandum. Sed videamus quid tandem de hoc eximio epiſcopo iidem Bollandiani ſocii habeant ad diem 26. Junii. *Rodulphus epiſcopus Eugubinus defunctus anno MLXX., ut ſanctus refertur a Ferrario & Bucelino. Laudavit*

(a) *Baron. ad an. 1063. V.* (b) *In Comment. praev. ad vit. S. Pet. Dam. d. 22. Febr. §. I. n. 2.*

davit hominem ſibi familiarem S. Petrus Damiani, & ſanctam ejus mortem cum morte S. Dominici Loricati perſcripſit Alexandro II., unde editor operum epiſtolam iſtam vocavit vitam Ss. Rodulphi & Dominici: *ſed talis auctoritas nulla eſt, neque Eugubini ſanctum vocant, nedum colunt ut talem.* Hac ſeveritate judicii abſtinent viri doctiſſimi ab aſſerendis Rodulphi actis a Petro Damiano conſcriptis, jure ne an injuria ipſi viderint. Certe quod ajunt Rodulphum ab Eugubinis Sanctum non vocari, id vero perfalſum eſt, non ſolum enim ab Eugubinis, ſed a ceteris fere ſcriptoribus Sancti, ac Beati appellatione decoratur, quod nonnihil valere debuiſſet apud Bollandianos ad ejus judicii acerbitatem minuendam. Nobis certe viſum non eſt ab reliquorum ſcriptorum ſententia, & Eugubinorum uſu recedendum eſſe, qui Rodulphum Sancti titulo condecorant, atque ejus rei gratia vitam ejus a Petro Damiani conſcriptam hic proferendam cenſuimus.

VITA S. RODULPHI
EPISCOPI EUGUBINI

Ex epiſtola S. Petri Damiani ad Alexandrum II.

XXVII. *Domno Alexandro beatiſſimo Papae Petrus peccator monachus* (a) *ſervitutem.*

Praecepit mihi beatitudo tua (b), *venerabilis Pater, ut numquam tibi literas mitterem, quae leve quid, & oblivione dignum ac frivolum*

G *conti-*

(a) *Petrus Damiani hic ſe uſitato more peccatorem, & monachum dicit, non quod epiſcopus Oſtienſis non eſſet. ſed quod ejus epiſcopatus regendi onus cum bona Pontificis venia abjecerat. Verum ſe ipſe non diſſitetur epiſcopum, dum ad Gothiſredum Tuſciae ducem, conſueto Petri peccatoris monachi nomine ita ſcribit.* Filius hic noſter, abbas videlicet monaſterii S. Joannis Baptiſtae, bibliothecam emit, ſed quia non poteſt pretium, inopia conſtringente, perſolvere, neceſſitate compellitur a me reddendae quantitatis auxilium flagitare. Sed quod ad praeſens mihi non adjicet, ab aliis exigendi licentiam tribuo, ut, quod a nobis divitibus ſcilicet epiſcopis non aſſequitur, a vobis ſaltem exiguis, & pauperculis in aliquo conſoletur. Lib. VII. ep. XIII. *Porro epiſcopatum Oſtienſem quandoque adminiſtravit Petrus Damiani per Albertum epiſcopum, ad quem eſt ejus epiſtola libri quarti prima, qua non ſolum hortatur,* ſed paterni vigoris auctoritate *praecipit, ut in ſibi crediti gregis cuſtodia pervigilet.* Nobis enim, *inquit*, animae ſunt commiſſae, quae ſicut a Deo mihi, ſic a me commendatae ſunt tibi: Deo tamen ſolicitationem ſumus uterque proculdubio reddituri. *Haec in aliam ſententiam accipit Conſtantinus Cajetanus eruditus operum S. Petri Damiani editor, recte ne an ſecus aliorum erit judicium. Ego hic videre mihi videor epiſcopum S. Petri Damiani adjutorem, atque, ut nunc dicere amamus, epiſcopatus Oſtienſis ſuffraganeum, quod nemo ante animadverterat.*

(b) *Id Petro Damiani ab Alexandro II. praeceptum ſtatim poſt ejus aſſumptionem ad Petri cathedram, gratis ſuſponit Octavius Turcius*, Vit. S. Dominic. Loricat. pag. 39., *ut ita ſenſim jaciat fundamenta hypotheſis ſuae de anno emortuali S. Dominici Loricati, quae quam male ſuffulta ſit, poſtea oſtendam.*

continerent, quas ſcilicet, mox ut lector tranſiliendo percurrerit, edax flamma conſumit, ſed tale tibi ſemper aliquid ſcriberem, quod & ad aedificationem legentium ſuſcipi, & inter ſcripturas mereretur authenticas reſervari. Unde patri luminum agendae ſunt gratiae, qui ſacrarium tui pectoris hoc igne ſui amoris accendit, ut & in antiquorum patrum ſtudiis jugiter requieſcas, & inſuper, ſi qui tibi videntur idonei ad ſcribendum, eos provocare non negligas.

XXVIII. *A vobis itaque nuper egreſſus, cum Florentinae urbis moenia ſubii* (a), *nuncius mihi mox repentinus occurrit, qui mihi diem medium in tenebras vertit, omniumque meorum viſcerum venas amariſſimae legationis felle complevit; epiſcopum ſcilicet Eugubinum eſſe defunctum, cujus utique converſatio, ſi recolitur, non mediocriter aedificare poterit audientes. Valet enim & ad exprimendam recte vivendi formam, & ad adhibendam corrigendis moribus diſciplinam. Nam ante fere ſeptennium ille cum matre, & duobus fratribus ſe pauliſper aetate praecedentibus, ſervis duntaxat libertate donatis, caſtrum ſuum mihi inexpugnabili munitione vallatum cum omnibus, quae ſui juris erant, praediis contulit, atque ad eremum veniens habitum monaſticae profeſſionis accepit. Monaſterium plane in eorum poſſeſſione conſtruximus* (b), *de cujus nunc ſancto conventu regulariter viventi, ſatis in domino gratulamur; ubi matre, & fratre, qui infirmior eſt, conſtitutis, iſte Roduphus, qui poſtmodum ad epiſcopatus culmen evectus eſt, & Petrus primogenitus frater* (c) *eremiticam*

[a] *Baronius* (Baron. Annal. eccl. ad ann. 1063.) & *Mabillonius* (Mabil. Act. Ss. O. S. B. Part. II. ſec. VI. ad vit. S. Dominic. Lxic.) *Florentiam tunc venisse putant S. Petrum Damiani ad turbas ejus eccleſiae componendas in ſchiſmate Petri epiſcopi exortas, idque ipſi in annum 1063. conjiciunt, non recte; multo enim ſerius eae turbae acciderunt. Videſis cl. Manſii diſſertationem de Synodis in cauſa ſchiſmatis Cadaloici celebratis, quae extat in ſupplementis ad concilia a Labbeo collecta.* (Manſi ſupplem. ad concil. to. I. pag. 1356.) *Fuit autem Alexander II. quam ſaepiſſime apud ſuam eccleſiam Lucanam, ut oſtendunt monumenta a Florentinio allata* (Florentin. Monum. comitiſ. Matild. l. I.); *vix enim, ſi Florentinio ipſi fides* (Florentin. ibid. pag. 94.), *unus annus eſt ex multis, quos Alexander in pontificatu egit, quo Lucam non venerit, ut eam ſcilicet eccleſiam novis in dies beneficiis cumularet, in quibus illud hic memorare juvat, quod ex Ptolomaeo Lucenſi narrat ipſe Florentinius:* Eodem anno, *hoc eſt* 1064., eccleſiam S. Martini ſpeciali decorat gratia, ut canonicos dictae eccleſiae mitratos habeat in proceſſione regulari, & ſicut cardinales incedant, ſicut Ravennae, & in eccleſia S. Jacobi de Galitia, quae Compoſtellana vocatur (Ibid. pag. 89.). *Potuit igitur Petrus Damiani, qui ad Alexandrum, pro eccleſiae negotiis, ſaepius ventitare ſolebat, ab eo digrediens, Florentiam alia occaſione, quam propter eccleſiae Florentinae ſchiſma, proficiſci; eſt enim id iter expeditiſſimum ex civitate Luca ad monaſterium Avellanenſe euntibus, ubi S. Petrus Damianus degere conſueverat.*

(b) *S. Joannes Laudenſis quinque aſceteria a S. Petro Damiani fundata ſcribit, quorum tria pro eremitis videntur, duo pro monachis. Horum alterum S. Joannis Baptiſtae titulum geſſit in fundo Acereta Faventinae dioeceſis. Alterum in dioeceſi Ariminenſi ſitum fuit ad Murciani locum. Sed poſtremum hoc opibus Petri Beunonis viri ampliſſimi & ditiſſimi conditum eſt ad annum* 1069. *ut liquet ex charta fundationis apud Lancellottum* (Lancellot. hiſt. Oliver. de monaſter. Arimin.) *Primum ergo fortaſſe illud erit, quod hic a Petro Damiani indicatur.*

(c) *Petrum cum Rodulpho fratre, & Ferti eremita, & Caſtora vidua, quos omnes exiſtimant e gen-*

ticam vitam tam continenter, tam diſtricte duxerunt; ut & audientibus praedicaret eos fama mirabiles, & conviventibus vita monſtraret inſignes. Sane ſi de Petro vellem cuncta referre, quae ſuppetunt, prius ſchedula fortaſſis iſta deficeret, cum adhuc dicendi materia ſupereſſet. Nam, ut e multis unum ſaltem breviter referam, dum in capitulo conſideremus aliquando de diſciplinis regularibus diſputantes, ille, ut erat novitius, unum ex ſaeculari conſuetudine protulit verbum. Tunc ego velut ira permotus dura ſusis illum invectione corripui, poſtque redargutionum, atque correptionum longiora flagella, tamquam quaeſtione pulſato ſententiam inferens, per quadraginta dies illum vino abſtinere praecepi; & tamen intentione, ut tantum ad praeſens illum cum ceteris ab incautis ſermonibus deterrerem, poſtmodum vero ſententiam diſcretae remiſſionis moderamine temperarem. Sed cum me contigiſſet diverſis intentum eſſe negotiis, neque hoc mihi quilibet in memoriam revocaſſet, elapſo jam praeſcripto dierum circulo, tandem recordatus expavi; & quid ex injuncta ſibi poenitentia Petrus egiſſet, attonitus inquiſivi. Fratrum itaque relationibus didici poenitentiam eſſe peractam. Poenituit, fateor, prolatae ſententiae, ſed gaudens admiratus ſum tantam poenitentiam fratris, ut pro uno ſolo verbo inconſulte prolato, tam longam poenitentiam pertuliſſet, & neque per ſe, neque per alios indulgentiam poſtulaſſet.

XXIX. *Nunc igitur ad epiſcopum, a quo coeperat, ſermo recurrat. Quamvis enim Petrus idem, ut major erat aetate, nihilominus etiam in ardui propoſiti, & diſtrictae vitae ſemper praecederet itinere; hic tamen ad ſacerdotalis officii jura promotus, quod in eremo didicit, in eccleſia non omiſit. Eiſdem quippe serebat ſemper membra ciliciis, eiſdem contentus erat perexiguis admodum, ac deſpicabilibus indumentis. Plane dum, juvenilis aetatis ingruente natura, graviſſimam pateresur acediam, laquearibus cellulae funiculos innectebat, ſicque ulnis inſertis pſalmodiae ſtu-*

---

e gente Gabriellia prognatos, in inſigni tabula expreſſum videre licet Romae in eccleſia noſtra Divi Gregorii in Monte Coelio, ad aram, non ita pridem erectam, ad quam hic inſuper titulus poſitus eſt.

D. O. M.
Rodulpho epiſc. Eugub. Petro germano fratri,
Forti Eremitae,
Monachis coenobii Sanctae Crucis Fontis Avellanae,
Et Caſtorae viduae Tertii Ordinis S. Franciſci,
Virtutibus claris,
Fortes Valletta, olim Gabriellius, patric. Eugub.
Comes Bacchareschae, & Corradutii
Ac Iſabella Valletta nobilis Roman. & Setin. Conjuges
Gentilibus ſuis
Anno Beati Fortis ſaeculari MDCCXL.
pietatis, & venerationis
monum. poſuere.

dio pendulus insistebat. Numquam adipe, numquam ovis, vel caseo vescebatur. In eisdem vero, quae apponebantur eduliis continens eum frugalitas cruciabat; ut discumbens non tam se reficeret, quam certaret, & intestinum potius esset gulae bellum, quod extrinsecus videbatur esse convivium. Saepe pugnavi, ut saltem in hyemalis inclementia frigoris, aut papyrinae sibi storeae stramenta supponeret, aut vestitus saltem nocte dormiret. At ille in nuda ligni tabula nudus, sola contentus interula, cubitabat. Ecclesiam porro deputabat hospitium, solitudinis autem cellulam habitaculum decernebat. Incondita siquidem mores populi, & indisciplinatae cervices leve jugum Domini nequaquam sibi patiebantur imponi; sed muneribus terrenis intenti, non ex ore pontificis Dei verbo, sed tamquam de manibus praesidis commodis inhiabant. Haec enim regio, quo magis invenitur aliena divitiis, eo copiosius exuberat vitiis. Ab egendo siquidem denominari videtur Eugubium, vel egens bono (a). *Ideoque, me vim ingerente coactus, ecclesiam, quam dimiserat voto, retinebat officio; in eremo tamen perseverantius habitabat.*

XXX. *Quandocumque impetrare poterat, ut hujusmodi panis in cremo fieret, edebat panem, non fratrum, non denique puerorum, sed eum, qui vel ex puro fieret hordeo, vel ex cantabro potius, quod projiciendum canibus de puerorum panibus remansisset. Et licet praeter celebriores dies hoc esset quotidie pane contentus, mensuram tamen attentius aequitatis lancibus appendebat. Unde mihi quandoque conquestus est, quia si sibi mensura concederetur, hunc eumdem panem prurienti gulae largius indulgeret. Tanta quippe juvenculum hominem castigabat inedia, ut undecumque solatium alimenti perciperet, vacuo ventre stomachus non curaret. Aliquando vero etiam diebus dominicis pulmentum nesciens, pomis tantum, & pane cum aqua vivebat. Ferreo circa pectus circulo jugiter cingebatur, quem tamen circulum sub ilia demersum, dum coram fratribus nudaretur, diligentius occultabat. Numquam scilicet capitulo confessor interat, in quo non acciperet disciplinam; & tunc festivus exultabat, si non ab uno tantum, sed a duobus flagellari fratribus juberetur. Saepe poenitentiam centum suscipiebat annorum, quam scilicet per viginti dies allisione scoparum, ceterisque poenitentiae remediis persolvebat. Psalterium quotidie, cum duo non posset, unum saltem non negligebat implere. Quod nimirum cum esset in cellula constitutus, armata scopis utraque manu totum cum disciplina continuare consueverat.*

XXXI. *Porro autem cum in expeditione esset aliqua constitutus, quantalibet intempestae noctis profunditate consurgeret, nudis semper cruribus, & pedibus*

(a) *Haec, nostra aetate, S. Doctor de Eugubinis non diceret.*

dibus uſque dum diluceſceret, pſallere non ceſſabat. Quam videlicet conſuetudinem dum in cella conſiſteret, diebus, ac noctibus ſine ceſſatione ſervabat. Quamvis gravis bruma rigeſceret, ſimplicibus ſoccis muniebat pedes, cum tamen frater ejus ſolis calceis contentus eſſet. Saepe me per clementiam Chriſti terribiliter adjurabat, ut ſi quando fortaſſis excederet, nequaquam me ab ejus correptione ſubducerem; ſed omnem in eo diſciplinae modum, qui monachis debebatur, implerem. Ita plane & regulam monachi, & auctoritatem epiſcopi ſub alterna viciſſitudine laudabiliter obſervabat. Opportune ſiquidem, & importune verbo praedicationis inſtabat; & quidquid domeſticis ſurripere valebat expenſis, bene prodigus in pauperes diſpergebat. Congregans annualiter ſynodum, nullum aſſuetae oblationis, vel exeniorum canonem a clericis exigi permittebat; ſed ne a lapſis quidem commodum aliquod, praeter ſolam poenitentiam, requirebat: abſit, inquiens, ut ſynodum vendam: lapſos etiam potius erigam, quam ex eorum cadaveribus corvino more pingueſcam. Taedet ulterius ſcribendo procedere, & velut paternas a pictura manus dolor videtur Icareus cohibere.

His igitur, & hujuſmodi virtutum floribus adornatum, quaſi candens lilium immaturae mortis pruina decoxit: ita, ut cum vix triginta plus minus videretur annorum, ad verae lucis auctorem ex hac infelici luce migraverit. Conſumatus enim in brevi, ſicut ſcriptura loquitur, explevit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius (a). *Et jure conſumatus in brevi multa tempora dicitur expleviſſe, quia dum in eo parvo, quod vixit, juſtitiae tramitem tenuit, quantum ad ſe omnia tempora in obſequium conditoris expendit. Plane quidquid illic de ſancto viro ſapientia loquitur, ita huic per omnia congruit, ac ſi de illo ſpecialiter diceretur: ſenectus, inquit, venerabilis eſt, non diuturna, nec numero annorum computata. Cani ſunt autem ſenſus hominis, & aetas ſenectutis vita immaculata placens Deo. Unde & ſequitur: factus dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus. Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatis* (b).

Sed ecce dum hujus epiſtolae gerulus, qui ad vos veniat, quaeritur, & non ſupperit; repente aliud quod ad aedificationem proficere valeat, ſi ſcribatur, occurrit. Et fortaſſis ob hoc nuncius mihi ſuperna diſpoſitione ſubtrahitur, ut interim, vacante me, ſtilus ad aliud transferatur. Vir itaque Dei Dominicus, pater, & Dominus meus, ante annum defunctus eſt, &c. S. Petr. Dam. ep. XIX. l. I.

APPEN-

(a) *Sap.* 4. (b) *Ibid.*

APPENDIX.

I. ANtequam opellam hanc, multis ab hinc annis ſcribi coeptam, ad umbilicum adducere, & in publicum emittere potuerim, contigit, ut amicus meus ſingularis Octavius Turcius, canonicus Piranus, vir eruditus, de edenda S. Dominici Loricati vita cogitaverit (a). Sed cum ei pro vetere neceſſitudine, & locorum etiam vicinia, qua tum eramus, ſtudia mea omnia eſsent notiſſima, ubi neſcio quid a me convalatum intellexit ad Ss. Dominici Loricati, & Rodulphi mortem in alium annum conjiciendam, quam ceteri ſcriptores conſueverint, petiit a me, ut quidquid id eſset, ne ſe celatum vellem. Non tulit repulſam, ſed habuit a me commentatiunculam hanc meam de S. Rodulpho, quam commodo ſuo expenderet, & ſi quid ex uſu eſset, in rem ſuam traheret. In ea vero cum multa offenditset, quae ſuis eſsent rationibus adverſa, meam omnem hypotheſim multis expoſuit in libro, quem edidit de vita S. Dominici Loricati (b), & multa attulit, quae contra eam facere viderentur. Cui ego, ne verbum quidem hactenus reſpondi, non quod iis magnopere terrerer, quae contra me diſputata erant, ſed partim ne quis crederet me amici facto offenſum, partim etiam quod audieram eſse alios, qui id in ſe ſuſcepiſsent, non mei defendendi cauſa, ſed quod univerſum Octavii Turcii librum dicebantur velle ad trutinam revocare, in quo multa eſsent, quae ipſi minime probarent. Sed quoniam nunc tandem factum eſt, ut animum applicare potuerim ad hanc chronotaxim antiſtitum Eugubinorum proferendam in lucem, non committendum putavi, ut Turcii rationes, contra opinionem meam in medium allatas, ſaltem levi opera non diſcuterem, ne ſciens, tacitus viderer cauſam tradere adverſario.

II. Contendit itaque vir eruditus S. Rodulphum anno MLXI. ſub finem Octobris evaſiſse ad ſuperos. Si enim, inquit, ejus obitum in alium annum differas, jam vero nulla ratione intelliges quomodo Rodulphus potuerit ſub S. Petri Damiani diſciplina monaſticae vitae tyrocinium facere in Avellanenſi eremo, & poſtea inter patres concilii Romani anno MLIX. ſedere. Fac enim objerit anno MLXVII., ut Grandio noſtro eſt viſum. Ita certe ad eremum non veniſset citius anno MLX. Quomodo igitur inter patres concilii Romani anno MLIX. locum

(a) *Romae edita eſt a. 1749. ap. Ant. de Rubeis.* (b) *A pag. 47. ad 61.*

locum habere potuiſset, qui nondum monachus erat factus, nedum epiſcopus inauguratus? Quomodo in vita monaſtica inſtiturorem, & magiſtrum habuiſset Petrum Damiani, qui jam inde ab anno MLVIII. a Stephano IX. Cardinalis creatus & epiſcopus Oſtienſis, graviſſimis negotiis gerendis, & legationibus obeundis, magno eccleſiae bono, occupatus a ſua ſolitudine vel invitus exulabat? In hos eoldem ſcopulos nihilo ſecius impinget quiſquis juxta ſuperiorem meam hypotheſim Rodulphi obitum in annum MLXVI. diſtrahat.

III. His rationibus permotus, ac plane perſuaſus Octavius Turcius, id unum agit, ut quacumque tandem ratione poſſit, quae contra eum faciunt ea ſi non enervare, at ſaltem eludere, & dicendo debilitare conetur. Itaque & auctoritatem necrologii Avellanenſis a me uſurpatam vix ullo in pretio habet, & conjecturam ex epiſcopis Gabinis, XI. ſaeculo non ignotis, a me petitam, ſuſpicatur non ſatis ſolido fundamento innixam, & Hugonem jam inde ab anno MLXII. in cathedra Eugubina ſediſſe pro certo habet, propterea quod ſubſcriptus ſit cuidam Alexandri II. diplomati, ei ſcilicet, de quo a me ſupra dictum eſt, ubi oſtendi diploma illud pertinere ad annum MLXX.

IV. Hac fere Octavius Turcius, ſed dabit mihi hanc veniam vir humaniſſimus, ut dicam ſiculneum plane mihi videri utrumque illud argumentum, quo is maxime nititur. Negat poſſe pertrahi S. Rodulphi mortem in annum MLXVII. cum Guidone Grandio, vel in annum MLXVI. juxta meam hypotheſim, quia jam inde ab anno MLIX. erat is epiſcopus Eugubinus; ita enim ſubſcribitur in actis concilii Romani, eo anno habiti. Mitto nunc conjecturas meas de epiſcopo Gabino, ne rem longius ducam. At unde habet Octavius Turcius non potuiſse unum & alterum Eugubii epiſcopum eſſe, qui Rodulphi nomine diceretur? Negat rurſus potuiſse Rodulphum ſub S. Petro Damiano monaſticae vitae prima ſtipendia mereri, ſi quidem anno MLXVI. vel MLXVII. deceſſerit, quod ejus in eremum Avellanenſem adventus in illud tempus incidiſſet, quo inde Petrus Damianus aberat. At abfuiſſe per eos dies Damianum ab eremo ad tempus nullus dubito, cum eum ſcilicet graviſſimum aliquod eccleſiae negotium, vel Ro: Pontificis juſſa evocabant; majores tamen moras, & ſtabile domicilium in eremo habuiſſe certo certius eſt. Animadverterat id vel ipſe annalium eccleſiaſticorum parens Baronius ad annum MLX., ſic enim inquit (a). *Inter monimenta autem Petri Damia-*

(a) *Baron. ad an.* 1060. *n. VI.*

miani reperitur ipſe, cum jam ſe abdicaſſet ab eccleſiaſticis curis, abſens ab urbe, ſolitarius degens in monaſterio, interpellatus ſcripſiſſe ad eumdem Nicolaum Papam pro Anconitanis, jam excommunicatione multatis.

V. Idem celebratiſſimus auctor ad annum MLIX. ubi late proſecutus eſset quae ad legationem Mediolanenſem, eo anno a S. Petro Damiani geſtam, pertinebant, atque de ejus reditu dixiſset, non quidem in urbem Romam, ut Turcius opinatus eſt (a), ſed in eremum Avellanenſem, ita concludit: *Haec Petrus in eremum jam reverſus: qui ex quo ſe abdicarat ab epiſcopatu Oſtienſi, & cardinalatu Sanctae Romanae Eccleſiae, ad praeſtitutum regreſſus eſt habitum, atque titulum, ut non ſe amplius epiſcopum, ſed tantum monachum nominaret.* Liquet autem ex ipſius Damiani epiſtola, quam ab ea legatione redux ad Dominicum Loricatum ſcripſit, rediiſse eum ad eremum, ubi ſcilicet degere conſueverat. *Poſtmodum vero*, inquit, *ad eremum rediens, cellam quidem feſtinus intravi, ſed me ipſum intrare vix potui; & qui extra me inordinate ſum fuſus, juſto judicio in me ſum, ut ita loquar, ſatis difficulter ingreſſus* (b). Porro Petrum Damianum eo ipſo anno MLIX. ex legatione Mediolanenſi reverſum tradit, aſſentiente Pagio, Baronius, & nuperrime Muratorius in annalibus Italicis, ut mirum ſit Turcium voluiſse Damiani reditum ſequentem in annum adducere (c). Quid igitur obſtat quo minus S. Rodulphus ſub Damiani diſciplina in eremo Avellanenſi monaſticae vitae praeceptis informari potuerit, ſi illum dicas anno MLXVI. juxta hypotheſim noſtram obiiſse? Veniſset is in ea hypotheſi ad eremum anno MLIX., ut opinor, ad exitum properante, quo tempore Damianum in eremo degere conſueviſse demonſtratum eſt.

VI. Sed quid eſt, quod Damianus ipſe in epiſtola, quam modo citavimus, ad Dominicum Loricatum ſcribit? *Duo mihi ſunt nova monaſteria, unum ad calcem jam Deo auxiliante perduxi; alterum vero necdum epiſcopali benedictione firmatum.* Cum Rodulphus ad eremum venit, caſtrum munitiſſimum, cum praediis omnibus, quae ſui juris erant, Damiano obtulit, ubi & monaſterium condidit. Fallor an monaſterium illud nondum epiſcopali benedictione firmatum illud ipſum eſt, quod in avito Rodulphi ſolo Damianus conſtruxit? Certe temporis ratio congruit, nec ſi quis hoc dixerit rem non veroſimillimam dixiſſe exiſtimari poterit. Videat nunc Turcius noſter num potuerit per eos dies Petrus Damianus in eremo Avellanenſi eſſe, & novos alumnos in monaſticae vitae ſtudiis inſtituendos ſuſcipere, & condendis etiam mona-

(a) *Vit. S. Dom. Loric. pag.* 37. (b) *Lib. VI. ep.* 31. *& ap. Baron. an.* 1059. *n. LXIV.* (c) *Vit. S. Dom. Loric. p.* 37. *&* 69.

ſteriis animum intendere, quod etiam conceptis verbis fieri poſſe negavit Octavius Turcius (a) ad vim argumenti ſui confirmandam. En quo redeat utrumque illud argumentum, quod achilleum Turcio ipſi videbatur. Sed utriuſque infirmitas multo etiam magis apparet ex eo, quod ſupra a nobis demonſtratumeſt (b), ſcilicet S. Rodulphi mortem non accidiſſe ſub initium pontificatus Alexandri II., quo tempore maxime, ſimoniaca peſtis bacchabatur, ſed multo poſt, cum ejus furor aliquantulum ſubſediſſet. Atque id aliis argumentis nihilo minus validis confirmare poſſemus, ſi ex uſu eſſet.

VII. Ita impulſis hujus hypotheſis fundamentis, ea nullo modo ſtare poterit, nihilque vetabit, quominus noſtram ſuperſtruere poſſimus, quae firmius multo conſtituta videtur. Itaque & ſua manebit auctoritas Avellanenſi necrologio, quod multo antiquius eſt, quam olim putabam, cum de eo ad amicum Turcium ſcripſi (c), tunc enim codicem ipſum, in quo ſcriptus eſt, nondum videram; & qui in eo necrologio ad decimum Septembris diem obiiſſe ſcribitur *Dominicus Loricatus incluſus venerabilis eremita*, non alius erit dicendus a notiſſimo illo, & ſanctitatis fama celeberrimo Loricato, qui anno ante S. Rodulphum mortalitate ſolutus eſt; tum quia nihil nos adigit ad Loricatum alterum fingendum, de eo nimirum ſilentibus antiquis Avellanenſium monumentis; tum quia, ut is in necrologio dici potuerit *incluſus*, neceſſe non eſt, ut in omni vita, atque una ſemper in cellula incluſus fuerit, ut requirere videtur Octavius Turcius; ſatis enim eſt, ut ex eorum eremitarum numero fuerit, qui identidem pro vetere eorum conſuetudine includi ſolebant, quique auſteriſſimam prae ceteris vivendi diſciplinam tenebant, qualem fuiſſe Loricatum non dubito. De Gabinis autem epiſcopis quas ibi protulimus conjecturas, ſive probet Turcius, ſive improbet, perinde eſt, dummodo nec de authentia diplomatis Nicolai II. cui perſpicuis, ac rotundis literis *Petrus Gabinenſis epiſcopus* ſubſcriptus eſt, quidquam dubitet, & ſi quis velit Rodulphum epiſcopum Eugubinum Romano concilio ſub Nicolao II. interfuiſſe, non perfracte contendat eundem eſſe cum S. Rodulpho, de quo diſputamus. De Hugone epiſcopo, quem Turcius auguratur vixiſſe ad annum MLXII., quae ſupra diximus, ea Turcius fruſtra tentavit; ſtant enim firma & inconcuſſa, nec ullum inde incommodum creari poteſt hypotheſi noſtrae, quam ſatis huc uſque, licet haud grandi opera, defendam putamus. Sed iterum tamen fateor ſententiam hanc tanquam meram hypotheſim proponi, contra

(a) *Pag.* 25. (b) *Comment. praev. n. XIX.* (c) *Vit. S. Dom. Loric. pag.* 48.

quam non dubito, quin graviora fortaſſe argumenta excogitari poſſint, quam quae a cl. Turcio objecta ſunt. Sed interim tamen nihil, quo magnopere terrear, contra rationes meas allatum video.

XIII.

MAINARDUS.

I. Ughellus medium inter Rodulphum, & Hugonem, de quo mox dicturi ſumus, Mainardum inſerit, & ad annum MLXI. vixiſſe tradit. At ſi Rodulphus non ante annum MLXVI. cathedram Eugubinam moriens reliquit, ante eum annum Mainardo locus eſſe non potuit inter ejus eccleſiae epiſcopos. Scripſit ad eum S. Petrus Damianus epiſtolam, quae eſt libri quarti octava, in qua eum hortatur, ut *inſtauret eccleſiae ſuae praedia ſaecularibus tradita, & diverſi generis ornamenta, nocenter expoſita, & ſaltem inſignia quaeque, vel optima reſtitui curet, quae ejus tempore ſuſpirabantur ablata.* Addit aliqua de componendis moribus, quae *alias ore ad os ſaepe praemonuerat*, nec dubitat, quin ea in bonam partem ſit accepturus, propter cognitam, & multis argumentis perſpectam ejus prudentiam. Prodierat Mainardus ex Avellanenſi aſceterio, atque adeo ex ipſius Damiani diſciplina, quare & ejus obitus in necrologio Avellanenſi in hunc modum conſignatur ad octavam Decembris diem. *Obiit dn. Mainardus ep. Eug. monachus noſtre congregationis.*

II. Alexander II. eccleſiam S. Lucae, ad Petrum Damianum pertinentem, ſub ſedis apoſtolicae tutela ſuſcepit, atque ea de re ſcripſit *omnibus Eugubinis, clero, & populo epiſtolam*, quam videre licet cum aliis ejus pontificis epiſtolis apud Labbeum (a). Erat ea eccleſia in Eugubinorum finibus: incertum in civitate, an in agro. Sed cum nullae notae chronicae Alexandri epiſtolae adjectae ſint, non id certa ratione huc revocavimus, quaſi ad haec Mainardi tempora pertineat.

XIV.

HUGO.

I. Ughellum vidimus Hugonis epiſcopi ſedem figere ad annum MLXII. in quo magnopere eum falli demonſtratum eſt. Nititur is aucto-

(a) *To. II. concil. pag.* 104.

auctoritate diplomatis Alexandri II. pro eccleſia Foroſempronienſi, cujus notas chronicas ſupra expendimus, & emendavimus. Cum igitur demonſtratum ſit diploma illud non quidem anno MLXII., ut eſt apud Ughellum, ſed anno MLXX. datum eſſe, ante hunc annum ſtatuenda non eſt Hugonis epiſcopi epocha, niſi alia in promptu ſint monumenta, quae id evincant.

II. Eſt in archivo Armanno vetus charta, in qua Hugonis mentio fit. Scripta eſt in hunc modum: *Temporibus gregorii Pape menſe marcius indic. quartadecima. Eugubio. Ego quidem in dei nomine uguino clericus filio johannis pro redencione & lumine.... anime de teuza quam mihi commiſi in fide do trado.... in epiſcopio ſancto mariano* (Eugubinae ſcilicet eccleſiae, quae Ss. Mariano & Jacobo dicata eſt, quaeque olim ex S. Mariani nomine dici conſueverat) *& tibi Ugo ſancti Mariani epiſcopus tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum, &c. Ego Barzo* (a) *notarius ſcripſi & complevi* (b). Ex hoc monumento non parum emendatur chronotaxis antiſtitum Eugubinorum, hic etiam apud Ughellum vitiata. Etenim ex indictione XIV. huic chartae affixa, quae ſedente Gregorio VII. incidit in annum MLXXVI. ad eum annum conſtat Hugonem in vivis fuiſſe.

III. Sed opponet fortaſſe aliquis inſcriptionem epiſtolae Gregorii VII. quadrageſimae primae libri ſecundi, quae ejuſmodi eſt: *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Feretrano, atque clero & populo Eugubino ſalutem.* In ea epiſtola haec habet ſanctus Pontifex: *Ex quo eccleſiam veſtram paſtore viduatam eſſe cognovimus, multa pro vobis ſolicitudine anxii fuimus. Atque eo magis hac de cauſa ſolicitamur, & attentius Deo preces effundimus, quoniam retroactis temporibus non ſat vigilantem vobis paſtorem praefuiſſe cognovimus.* Data haec epiſtola dicitur *IV. non. Januarii indictione decimatertia.* At ſi adhuc in vivis erat Hugo indictione XIV. anno ſcilicet MLXXVI., ut ex ſuperiore charta intelligimus, quomodo vacare poterat Eugubina eccleſia indictione XIII., hoc eſt anno MLXXV.? Mendoſa igitur, vel huic epiſtolae, vel ei chartae adſcripta indictio. Sed quid ni fieri potuerit, ut uno eodemque exemplo, ut in re ſimili, ſed non uno eodemque tempore, Gregorius primo ad Feretranos indictione XIII. tum aliquanto poſtea ad Eugubinos epiſtolam dederit, quod cum non animadverteſſent, vel non curaſſent primi collectores epiſtolarum ſanctiſſimi hujus pontificis, ex duplici inſcriptione, quarum altera Feretranos, altera Eugubinos haberet, unam conflarint, qualem ſupra protuli-

(a) *Al.* Benzo. (b) *Archiv. Arman. Membran. faſcic. A. n. I.*

tulimus? Ego ſane majorem fidem adhibendam cenſuerim ei charthae, meo judicio, incorruptiſſimae, quam Gregorianae epiſtolae inſcriptioni, quam non ipſius Gregorii eſſe, ſed aliena manu adjectam veroſimillium duco.

IV. Eſt alia vetus charta in archivo eccleſiae Eugubinae temporibus Gregorii VII. ſcripta, anno ſedis ejus tertio, ex qua conſtat Hugonem epiſcopum Eugubinum Joanni, & Honeſto Rogerii, eorumque filiis, ac nepotibus agrum eccleſiae Eugubinae ſub annua penſione denariorum duùm conceſſiſſe. Ejus chartae ſynopſim vidimus in ſaepius laudato Fr. M. Armanni codice (a). Annus porro Gregorii VII. tertius incidit in annum MLXXV. ex die vigeſima ſecunda Aprilis, cui anno alligata eſt indictio XIII. Id autem magnopere confirmat conjecturam noſtram de mendoſo vel titulo, vel indictione ejus epiſtolae Gregorii VII. ad Feretranos, & Eugubinos.

XV.
DOMINICUS.

Haec de Dominico Ughellus parciſſime. *Dominicus Hugoni ſucceſſit anno MLXX.* Non eſt cur iterum Ughello dicam impingamus ob annum MLXX., quo Hugoni Dominicum ſucceſſiſſe ſcribit; ſatis enim jam oſtenſum eſt Hugonem ſaltem ab anno MLXX. ad annum MLXXVI. vitam duxiſſe. At Dominicus ex Avellanenſi familia fuiſſe dicitur, ut fere optimi quique epiſcopi, qui per eos dies eccleſiae Eugubinae praeſuerunt. Certe Bernius Dominicum inter epiſcopos Eugubinos ſanctitate illuſtriores habendum putat (b). Quod ſi non id temere, ſed certa ratione a Bernio eſt dictum, in Dominicum virum optimum, & egregium epiſcopum cadere non poteſt gravis illa Gregorii VII. querela, quam ſupra ex ejus epiſtola ad clerum, & populum Eugubinum indicavimus. Quo fit, ut quamvis nullum ſuppeteret monumentum ad Hugonis vitam uſque ad pontificatum Gregorii VII. qui anno MLXXIII. electus eſt, producendam, tamen Dominici electio ante illud tempus figenda non eſſet. Non enim *parum vigilantem* illum

(a) *Arch. Arm. I. D. pag. 6.* (b) *Dapoi S. Ridolfo, el quale edificò (cetp.tavit h B rnius, ac legendum omnino abiit) l' eremo di S. Croce de Fonte dell' Avellana, homo ſanto, e de vita aſpera ſo per lo Papa fatto in Veſcovo de Ugubio, el quale eſſendo de età de anni xxx. migravit in Criſto. Morto Santo Ridolfo di detto eremo di Santa Crocie ſo etiam eletto per Veſcovo un altro Santo uomo nominato Domenico di grande abſtinentia, e ſanta vita.* Ex autographo exiſt. in *Arch. Arman. Eugub.* Comunicavit Marcellus Franciarinus vir eruditus, a quo & Muratorius edendum habuit To. XXI. Rer. Italic. ſcript.

lum *paſtorem*, quem Gregorius VII. in ea epiſtola notat, Dominicum fuiſſe dixerim, ſed potius Dominicum ipſum Gregorio VII. curante electum, ut quod detrimenti coeperat eccleſia Eugubina ſub deſide epiſcopo, id totum Dominici diligentia ſarciretur.

XVI.

RUSTICUS.

Ignotus Ughello Ruſticus occurrit in tabulis eccleſiae Eugubinae ad annum MXCVII. quarum ſynopſim vidimus in codice Franciſci M. Armanni (a), de quo diximus in diſſertatione praevia (b). Sunt eae tabulae menſe Martio ſcriptae, & a Ruſtico epiſcopo obſignatae. Ad ejus tempora pertinet vetus charta, quam hic damus:

In Dei nomine amen. Anno dominice incarnat. milleſimo nonageſimo ſeptimo menſe Novembri indictione VI. Eugubio. Ego quidem in Dei nomine Rainerius, Rainerii Marchionis, olim filius (c), per hac tranſactionis pagina, finitionis, atque promiſſionis, promitto, & obligo me, meoſque eredes vobis Rainerio priori, tuiſque ſucceſſoribus & ipſe canonice S. Mariani ſemper, atque Farulfo Munaldi quondam filio, ſuiſque eredibus, quod ab hac hora nec cauſationem, nec aliquam moleſtationem vobis fatiam de ipſo caſtro & pojo de Cologniola, ſed ſecuri ex noſtra parte permaneatis in perpetuum, &c.

Ego Rainerius in hac cartula ſignum manus ſubſcribere juſſit.
Ego Trota comitiſſa conſenſi.
Manus Ranerii amadoris vocati enſis.
Bernardus Ildebrandi comes, & Ranerius Ranerii judex, & Raimundus Gulfoni teſtes.
Ego Guito notarius ſcripſi & complevi.

Ex autographo in archiv. Arman. Membran. faſcic. XX. n. II.

XVII.

S. JOANNIS LAUDENSIS.

I. S. Joannis Laudenſis ex priore eremi S. Crucis fontis Avellanae Eugu-

(a) *Arch. Arm. lib. D. pag.* 15. (b) *Cap. ultim.* (c) *Coſimus de Arena in genealogico ſtemmate Hugonis Tuſciae Marchionis Rainerium habet ad annum* 1090., *&* 1097. *viventem, cui uxorem tribuit Catharinam, ſive Trottam, Taſonis comitis filiam.* (Coſim. de Arena ſeri s duc. & march. Thuſciae pag. 155.) *Non dubito quin, ille ipſe ſit, ad quem haec charta pertinet, praeſertim cum hic etiam Trotta occurrat, quae una cum Rainerio viro ſuo chartam hanc manu ſua obſignavit. Eſt autem Rainerius iſte Rainerii illius pronepos, quem a Conrado II. circa annum* 1027. *Thuſciae dominio ſpoliatum narrat Muratorius in Annalibus Italiae.* (Murat. Annal. Ital. ad an. 1027., & 1232.)

Eugubii episcopus electus est, Joanne S. R. Ecclesiae legato curante, a quo Eugubium accersitus fuerat, ut ejus consilio in novi antistitis electione uteretur. Erat admodum aetate provectus Joannes cum episcopatum suscepit, neque admodum diu eam dignitatem tenuit, nam *ante peractum consecrationis suae annum* tanto pastore ecclesia Eugubina viduata est (a). Ita anonymus auctor vitae S. Joannis Laudensis, qui cum eo vixit in Avellanensi asceterio, ejusque gesta literis mandavit paulo postquam e vita migraverat. Itaque cum vulgo persuasum sit, idque antiqua etiam monumenta confirment Joannem anno MCVI. ad septimam diem Septembris decessisse, quo die & in ecclesia Eugubina, & Laude Pompeja, quae est ejus patria, & apud nostros Camaldulenses ejus festum celebratur; ante annum MCV. Eugubinorum antistes inaugurari non potuit. Explodenda igitur eorum sententia, qui Joannem quam diutissime in cathedra Eugubina fuisse autumant. Eorum est aliquis, qui Joannem electum putant jam inde ab anno MLXXVI. quo nihil fingi potest absurdius; nondum enim per id tempus Avellanensem praefecturam ceperat, quam postea haud sane brevi temporis spatio sanctissime gessit, qua de re in nostris antiquitatum Avellanensium commentariis dicendum erit.

II. Hujus beati episcopi obitus in necrologio Avellanensi ad diem VII. Septembris his verbis notatur: *Obiit dn. Johannes episcopus Eugubinus monachus noster.* Corpus autem ejus incorruptum in cathedrali ecclesia Eugubina religiosissime asservatur. Ughellus titulum hujusmodi profert ad ejus aram positum:

Divo Joanni Laudensi, Eugubinae ecclesie Pontifici, qui ob veram invictamque pietatem, splendidissimas animi dotes, anno Christi MCVI. immortalitate donatur aetatis sue anno LXXX.

III. Hanc inscriptionem nunc frustra requiras, antiquitate fortassis deletam, quanquam haud magnam praeferet antiquitatem. At si quis de ea restituenda unquam cogitabit, optandum est, ut Sancti hujus episcopi aetatem certioribus terminis concludat. Anonymus Avellanensis ante laudatus sic ejus aetatem definit, ut ad eremum venerit exacta adolescentia, tum in eremo annos quadraginta vixerit, quibus si annum in episcopatu actum adjicias, haud quaquam annorum octoginta aetatem conficies, vixque, ac ne vix quidem beatum episcopum septuagenarium habebis.

IV.

(a) *Anonymus in vit. S. Jo. Laud. c. IX.*

IV. Ejus vitam ſupra indicatam, poſtquam haec a nobis fuerant ſcripta, typis mandavimus pro modulo noſtro illuſtratam, neque hic regerenda ſunt, quae in animadverſionibus ad eam adjectis protulimus, ne crambem, ut ajunt, recoctam, apponere videamur. In eo tamen libro benignos lectores oratos volumus, ut id pro indicto habeant, quod in animadverſione XII. legitur abſque idonei auctoris teſtimonio, de feſto S. Mariae ad Nives, quaſi id feſtum aetate S. Joannis Laudenſis paſſim eſſet eccleſiarum uſu receptum. Ibidem dictum eſt non videri id verum, quod aliqui tradunt de S. Joanne Laudenſi, fuiſſe ab eo dedicatam S. Salvatoris eccleſiam de Monte Acuto in dioeceſi Peruſina. Si extaret inſcriptio ejus rei teſtis, & index, cujus exemplum ibi protulimus, olim ab Angelino acceptum, qui ex Picotti hiſtoria ſe habuiſſe ſcripſerat; nullus reliquus eſſet quaeſtioni locus. Sed monuit me nuper humaniſſimus Repoſatus aliter eam inſcriptionem in Picotti hiſtoria extare, quam a me juxta exemplum ab Angelino acceptum vulgata fuerit. Sic enim in Picotti hiſtoria legitur: *Anno Domini ab ejus nativitate MCV. nonas Aug. Joh. ep. Eugub. hanc eccleſiam conſecravit in honorem S. Sophiae, & filiorum ejus, & S. Agathae, & omnium Sanctorum.* Non abſimile exemplum acceperam quoque ab Angelino ipſo, poſt editam S. Joannis Laudenſis vitam, quod exſcriptum eſſe monuerat ex Flaminii Beccoli adverſariis (a). Si itaque nihil hic vitii lateat, & inſcriptio genuina ſit, quod ex autographo ipſo, quod jamdiu periit, diudicari non poteſt, non dubitem quin ea eccleſia a S. Joanne Laudenſi dedicata fuerit. Sed hinc fieret beatam ejus mortem non jam trahendam in annum MCVI. ſed anno ipſi MCV. alligandam. Obiit enim S. Joannis Laudenſis ad diem VII. Septembris *ante peractum conſecrationis ſuae annum*, ut narrat anonymus ejus vitae ſcriptor, hic rurſum edendus. Si ergo anno MCV., menſe Auguſto, jam erat epiſcopus inauguratus, ita, ut eccleſias dedicare poſſet, in humanis eſſe non potuit ad Septembrem uſque anni inſequentis MCVI., quo anno dixeramus ſanctum epiſcopum ad ſuperos evaſiſſe: atque ita oporteret creatum eſſe epiſcopum ſub finem anni MCIV. Sed habeto hic ſancti Epiſcopi vitam, quam ex codice Eugubino exſcriptam, olim edidi, & praevia diſſertatione, ac variis animadverſionibus illuſtrare ſtudui. Eam poſtea a me acceptam ediderunt Bollandiani ſocii.

VITA

(a) *Extant in Archiv. Arman.*

VITA S. JOANNIS LAUDENSIS

Auctore Anonymo Monacho S. Crucis Fontis Avellanae.

PROLOGUS.

I. *Diu jam est, quod, Sanctae Eugubinae Ecclesiae filii, parvitatem meam non cessatis pulsare, ut de nostri vita antistitis, jam in Domino morientis, Sancti scilicet Laudensis Joannis, aliquid vobis aggrediar scribere; nec putatis de eo silendum lingua, per quem divina vobis coruscare crebra narratis miracula: quatenus quia superstiti vobis jam non datur irrigari doctrina, aedificationi vestrae, ut cognita proficiat vita. Atque dum alterum Jacob ejus oves perbibemini cernere, quasi ad virgarum ejus aspectum, spirituales Domino filios possitis generare* (a). *Ceterum hoc, quod mihi injungitis, onus, vires meas excedere ipsos vos non aestimo dubitare. Quippe cum sim inops scientiae, vacuus sanctitate: ad haec quia pro meritorum ejus magnitudine pauca me illius contigit nosse. Sed quia quandam typici argenti stillulam, Domino largiente, videor habere, nec eam tabernaculi ejus fabricae, quae vos estis, debeo non offerre; confidens in ejus misericordia, qui muta quondam animalia fecit facunda, vestris, dominorumque meorum, servorum scilicet Dei, cum quibus cohabito jussibus: postremo Domini Joannis Apostolici legati, religiosissimi per omnia viri, ejusdem in episcopatu successoris, imperiis, cum non audeam resistere, ecce quasi balbutiens incipio obedire. Vestrum autem sit, ut dignum possim aliquid de ejus vita proferre, id mihi divinitus precibus impetrare.*

Incipit vita S. Joannis confessoris, & episcopi Eugubini.

CAPUT I.

Joannis Laudensis pueritia, & adolescentia in saeculo piissime transacta.

II. *Joannes igitur Laudensis ab ipsa, ut dicitur, pueritia vixit laudabi-*

[a] *Genes.* 43. 11.

dabilis, Chriſtique tyrunculus jam tum indole agonizabat, ne a regenerantis gratiae degeneraret proſapia. Cum enim illa aetas per morum lubrica infraenis ſoleat diffluere, jam ille, ut a Deo doctus auriga, carnalium ſuorum equorum ſenſuum per arctam coeleſtis diſciplinae ſemitam cogebat incedere: & ante eremi forte notitiam, jam vitam imitabatur eremiticam. Dumque per temporalem vix pubeſceret aetatem, immaculatam per vitam, quandam praeferebat ſpecialem canitiem: meritoque ſibi poterat congruere, quod per Sapientiam dicitur de ſapiente: cani ſunt ſenſus hominis, & aetas ſenectutis vita immaculata (a). *Nempe cum literarum januam, acris ut puta ingenii puer, tranſmeaſſet, atque ad floribundos liberalium artium dumos perveniſſet, quos incaute contrectando, multa, proh dolor! hominum millia non modo vulnerata, ſed ad gehennam uſque irremediabiliter ſunt demerſa; ille, ut coeleſte animal, intus, & undique oculatus, tam circumſpecte a noxiis ſecernebat utilia, ut nulla, Domino cuſtode, animam ſauciaret laeſura. Senſus quippe dictionum, vires ſententiarum, genera caſuſque mentis armario recondebat. Ubi vero laſciva, impudica, animaeque damnoſa obviarent, quaſi ſcyllaeum Uliſſes* (b) *melos, cruci Chriſti annexus ſurda aure tranſibat. Nec tamen carpere omittebat thimum, dum viroſum tantopere contemnebat aconitum. Jamque illud Chriſti ſponſae epithalamium, quod nec dum forte legerat, ruminans ructabat in opere: ego, inquiens, dormio, & cor meum vigilat* (c), *dormiebat enim frivolis, cum vigilare non intermitteret ſeriis.*

III. *Unde cognito condiſcipuli tam miro, tamque inaudito illius propoſito, ludum ſibi ſuper eo aliquoties exhibebant, dum ad turpia illa atque hiſtrionica, quibus illi abundant libri, perventum erat. Dicebant enim alter ad alterum: ſi hoc a Johannis ore potes verbum elicere, tale te ſcias a me pretium reportare. Quibuſdam ergo ambagibus ad id proferendum, quaſi retibus, ambiebatur; ſed omnes ille acceſſus, ac ſi alter Argus, circumſpiciens fruſtrabatur, nec erat ad immunditiae faecem labilis, cujus ſupra petram jam Dominus pedes ſtatuerat mentis; quique cum Lot propoſuerat contendere ad montana, dedignabatur cum uxore reſpicere Sodomam* (d): *parvipendens a conſodalibus ob hoc illudi, vel deſpici, gaudens vero Apoſtolorum jam ſequax pro Chriſto contumeliam pati* (e). *Illis immo jam noverat condolere, atque ut Chriſto eos lucrifaceret, ſanctae exhortationis manum porrigere. Quos enim eorum per mundi obſcoena volutari didiciſſet, nunc hunc, nunc illum ſeorſim convenibat, ſanctiſque eos ſtimulis a vitiorum coeno ſejungere, ac Domino ſa-*

 stage-

(a) *Sap.* 4. (b) *Codex Eugubinus habet Ulixes.* (c) *Cant.* 5. 2. (d) *Gen.* 19. 26. (e) *Act.* 5. 41.

tagebat unire; magnumque ſe futurum bovem Chriſti praeſagiebat areae, qui tantillus jam boſculus ceperat triturare (a).

IV. *Quid enim aliud triturans agit, quam ut grana ſecernat a paleis? Spiritualia vero grana ſunt animae coeleſtibus horreis recondendae, quas ille nimirum a paleis ſequeſtrat, qui ab indignis earum iniquitatum involucris ſeparat. Hinc enim per Prophetam a Domino dicitur: ſi ſeparaveris pretioſum a vili, quaſi os meum eris* (b). *Vilis enim eſt mundus, quia, quid niſi quaedam eſt hominis peregrinantis domus? At pretioſae Domino ſunt animae, quia ipſae, lapides ſcilicet vivi, in coeleſtis Jeruſalem aedificio ſunt locandae. Qui ergo a vili mundo pretioſas animas, ſancta praedicatione, dividit, os Domini fit, quia id operis perpetrat, quod ipſe per utrumque teſtamentum ut fiat clamat. Hoc namque opus ſe Apoſtoli per mundum acturos jam praeſignabantur, quando per ſata Dominum ſequentes ſpicas manibus famelici confricabant* (c). *Et quod profecto opus eſt omnium Chriſtum, Chriſtique Apoſtolos non ficte imitantium, hoc iſte vir ſanctus jam praefigurabat ſe operaturum, & prius in prioratu, & poſtea in epiſcopatu.*

V. *Sed quiſquis eum audis jam tunc ſpiritualibus inhiantem, nequaquam eum circa corporalia etiam pietatis officia aeſtimes negligentem. Cum enim quemquam didiciſſet aegrotare, mox eum curabat inviſere, & ſi cura indigeret, ei aſſiſtere, atque ad ejus nutum pendere, piaeque matris ſollicitudinem, fideliſque clientis obſequium adhibere ſtudebat. Qui autem ſcire vult in quanta jam tum victus, in quanta tegumenti vixerit extremitate, quomodoque jam mundanum mare calcans, jam, quaſi alter Petrus* (d), *Chriſtum fuerit imitatus, id non difficulter poterit conjicere, ſi ſolius lecti ejus ſtruem non pigeat noſſe. Cuidam enim ex noſtris quidam juxta parvulam baſilicam, & locum monſtravit, & ſtratum, hoc inquiens ſub ſtemnio* (e) *Laudenſis ille Joannes ſolebat decumbere, hoc cervicem pulvillo fulcire, & humum videlicet oſtendens, & lapidem. Qui ergo pro cervicali ſaxo, nudaque humo utebatur pro fulcro, quantae in amictu vilitati, quantae in victu ſtuduiſſe putandus eſt frugalitati! Haec exigua de ejus, ante ſacrum habitum, vita, & mihi narraſſe, & vobis, chariſſimi, ſuffecerit dicidiſſe.*

CAPUT

(a) *Ex* 1. *ad Corinth.* 9. 9. 10. (b) *Jerem.* 15. 19. (c) *Matth.* 12. 1. *Marc.* 2. 23. (d) *Matth.* 14. 28. (e) *Lege:* ſubſternio: *Eſt autem proprie ſubſternium ſtramen, quod equis quieturis ſubſternitur.* Bolland.

CAPUT II.

Joannes Laudenſis fit monachus. Ejus fervor in monaſticae ſimul, & eremiticae vitae officiis.

VI. *Poſtquam enim quanta circa os diximus, tanta etiam circa reliquos ſenſus. cuſtodia uſus, variiſque pietatis officiis aſſuetus ephebi tempora tranſegiſſet, falcemque ingenii ad Chriſti putandam vineam in mundi Ægypto non modice acuiſſet, fervidus operarius mox contendit ad eremum* (a), *ſacrumque monaſticae profeſſionis arripit indumentum. Cujus aſperitatem hominem tam macilentum, tamque exanguem poſſe tolerare, plerique eremitarum coepere diffidere, cum multos eatenus & vegetos, & corpulentos incaſſum id meminiſſent expertos. At vero in brevi ille adeo omne eremiticae difficultatis ſubiit inſtitutum, ut nulli ſe in omni ſacroſancta obſervatione toleraret eſſe ſecundum. Imo vero cum ceteros praeire fratres virtutum paſſibus conſuevisſet, eecidiſſe ſibi videbatur, quando alii ſequebantur. Moris enim in hac eremo eſt, ut fratres, qui longe ab oratorio in cellulis manent, acrioribus ſemetipſos jejuniis regulariter macerent. Qui ſcilicet, quamvis diverſis ſancti exercitii diſciplinis jugiter occupentur, prolixitate tamen ſyncerae non tanta gravantur. Iſte vero cum baſilicae contiguus ſolito adhaereret, & eccleſiaſtico oneri pro columna erat, nec largiori tamen corpuſculum alimonia nutriebat. Quin etiam vix umquam a diverſis manuum operibus tolerabat quieſcere, dum per aliqua ab eccleſiaſticis intervalla reſpirare liceret. Sed aut ſua libros manu ſcribebat, ex ejus ſcriptis unum ſupereſt, vita ſcilicet S. Petri Damiani, magiſtri ſui, quam ei multis argumentis vindicavimus, aut ab aliis ſcriptos examuſſim corrigebat, aut per diverſa mittendas epiſtolas dictans exarabat. Cujus exortatoria verba in quoſcumque ſcintillabant, illorum ad Deum mentes mox ſurſum flammabant: nec poterant non ignire, quos tangerent, cum ab ignito ardentia carbone procederent.*

VII. *Verum haec ille omnia, quaſi minima, flocci pendebat, quia ad ſancti curſus finem medullitus anhelabat: ſciens quia, teſtante Apoſtolo, non coronabitur, niſi qui legitime certaverit* (b); *& dicente Domino: non qui bene incipit* (c), *ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Unde merito ſibi illa a coeleſti patre benedictio dirigitur, quae Iſachar a Jacob datur* (d): *Iſachar aſinus fortis accubans in terminis: vidit requiem quod eſſet bona, & terram quod optima: ſuppoſuit humerum*

[a] *Ad eremum ſcilicet S. Crucis Fontis Avellanae in agro Eugubino.* (b) 2. *Tim.* 2. 5. (c) *Matth.* 10. 22. (d) *Gen.* 49. 15.

rum ad portandum, & factus eſt tributis ſerviens. Quis enim eſt iſte fortis aſinus, niſi ad omnis boni operis onus paratus quilibet hujus exilii chriſtianus? qui ſcilicet cum Propheta poteſt dicere (a)*: ut jumentum factum ſum apud te, & ego ſemper tecum. Quid autem eſt vitam in terminis accubare, niſi in finem hujus vitae aeternam pro temporali labore quietem exoptare? Unde in Apocalipſi dicitur* (b)*: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis; donec enim hic vivitur, rationis non eſt, ut in vinea Domini a labore ceſſetur. Unde etiam ſequitur: vidit requiem, quod eſſet bona, & terram quod optima: ſuppoſuit humerum ad portandum. Quis enim, fidei oculos habens, non libenter nunc in hac terra morientium boni operis onus ſubeat ad momentum, ut in terra viventium beata quiete fruatur in aeternum? Hinc etiam ſequitur: factus eſt tributis ſerviens. Quid eſt enim tributis ſervire, niſi ferventem ſpiritu virum, ut in omnibus omnia fiat, ſatagere? Quis, inquit Apoſtolus, infirmatur, & ego non infirmor* (c)*? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Omnibus omnia factus ſum. Qui haec apoſtolice poteſt dicere, ille, quid ſit tributis ſerviens, valet exponere. Non ad haec ego, ſimileſque mei aſpiramus, quia virtutum quidem poma duntaxat odoramus, dentes vero, quaſi ſtupentes, nequaquam imprimimus. Tale autem jam conſueverat iſtud, de quo loquimur, animal coeleſte, quod parvipendebat ſe jam eſſe ſacrificium, dum totus niteretur, ut fieret holocauſtum.*

CAPUT III.

De Johannis Laudenſis ſollicitudine in animarum ſalute curanda, deque ejus ſtudio poenitentiae, & jejuniis.

VIII. *Unde id quoque audituris profuturum exiſtimo, ſi orto aliquando inter hunc, aliumque fratrem jurgio, quid iſte facere ſoleret enarro: Vir enim ſanctus & ſapiens, ſpiritualis lucri ſemper eſuriens, modo clam, nunc palam, interdum hunc, aliquando illum, prout Sanctus ei Spiritus infundebat, conveniens, vel ſuper vitiis ſolebat arguere, vel de negligentiis increpare. Quod aliquando quidem in proſperum, nonnunquam vero, ut aſſolet, cedebat in laevum. Contingebat enim aliquoties, ut iratus increpitus non modo medicinam reſpueret, ſed ut in ipſum medicum etiam verbis mordacibus inſiliret. At ille, ut curaret aegrum, ad alterum ſe vertebat antidotum: totum namque ſe irati veſtigiis ſolo tenus*

(a) *Pſ.* 72. 23. (b) *Apoc.* 14. 13. (c) *Corinth.* 11.

mus ſternebat, ſuaque illum culpa commotum ſaepius inclamabat (a). *Nec patiebatur ſe e terra ſurgere, donec jam deſtomachatus ille, qualibet eum, juxta ſuum libitum, poenitentia oneraret. Cujus quaeſo, inquam, animus tam ferreus, tamve inflexibilis eſſet, quin, tam ingenti victus humilitate, ultra plumbum, ceramve molleſceret? Procidebat ergo terrae tandem aliquando poſt increpantem increpitus, juſteque proferebat, culpa mea, quod ex humilitate didicerat aliena. Nec haurire jam, mordacem licet, medicinam aeger ſpernebat, quam ſanum pro ſe medicum praeguſtaſſe cernebat. Sic nonnunquam glacies, quam duravit aquilo, liquatur ab auſtro: ſic quod nequivit pigra, perfecit gera* (b). *Cum enim ad dominicae paſſionis bibendum calicem medullitus anhelaret, nec eum flagranti quiſpiam propinaret, per varia ſemetipſum alternans cruciamenta, ipſe ſibi fiebat pincerna.*

IX. *Hinc eſt enim, quod cum pruinoſa hyems adeo aſpera inhorreſceret, ut quadruplici corpora veſte parum nobis eſſet involvere, nudus ille pedes, per totas in choro ſynaxes, nocte, dieque perſiſteret: aut quia id prodere nolebat; in ſolis ſine pedulibus calceis maneret: ſive, quod adhuc immiſericordius eſt, calceos lapillis inſterneret, talique in materia plantas ſubdelinitus, ac ſubrefrigeratus ſtaret. Ad haec ſi rationabilis eum cauſa, per id temporis, equitare quopiam cogeret; nudas ferreae plantas ſtreviae ſuperferret. Contra Nabuzardan* (c) *vero, ignominioſum ſcilicet coquorum principem, tam infoederabile gerebat bellum, ut interdum in ſequentibus clarebit, ut vix ejus poſt biduum dignaretur alloquium. Sciebat enim quod Jeruſalem maenia illius rabioſa arſiſſent inſania, ſuaeque typicae metuebat urbi, quod tantae videbat accidiſſe Metropoli. Scriptum namque eſt, quia Nabuzardan coquorum princeps deſtruxit muros Jeruſalem. Quid enim per coquorum principem, niſi venter deſignatur incontinens, cujus ſcilicet juſſioni diligenter obediunt coqui? Jeruſalem autem viſio pacis interpretatur, per quam vel tota ſimul Eccleſia, vel unaquaeque intelligitur anima chriſtiana: quia ſcilicet pacificum Redemptorem ſuum etiam videt per fidem, & viſura ſe gratulatur per ſpeciem. Hujus autem urbis muri diverſarum virtutum ſunt chori,*

(a) *In codice Eugubino legeram:* Sterneret, ſuaque illum culpa commotum ſaepius inclamare, *quae invicem pugnabant. Bollandiani aliter hunc locum, rectiſſime tamen, emendant.* (b) *De pharmaco* Gerapigra *videſis Cangii Lexicon. Sed ex anonymo noſtro duo fuiſſe videntur pharmaca, quorum alterum* Gera, *alterum* Pigra *diceretur, vel ſaltem Gerapigra pharmacum fuiſſe videtur ex duobus vel contrariis, vel multum ſane diverſis compoſitum: quod ex Cangio intelligere non licet.* (c) *De Nabuzardan vide 4. Reg. 25. Sed in Vulgatae codicibus non invenies Nabuzardan coquorum principem fuiſſe. Habent id LXX. interpretes, quos anonymus noſter ſequitur. Vide & S. Gregorii Curae Paſtoralis caput vigeſimum. Hinc enim ea ſumpta ſunt, quae anonymus noſter hic allegorice profert ad eum ſcripturae locum. Ei porro familiare fuit allegoricas ſcripturae interpretationes, quas toto hoc libello exponit, ex S. Gregorii Magni ſcriptis mutuari. Viſe quae diximus in Obſervationem V. ad hunc locum vitae S. Jo: Laud. ſeorſim editae.*

quos coquorum princeps deſtruit, quia niſi ingenitae ventris concupiſcentiae ſolicite reſiſtatur, omne hujus urbis virtutum aedificium in ima proſternitur. Quinque enim modis daemon ſuas in hanc jaculatur faces, ut ſive omnibus, ſive uno illorum hanc valeat concremare. Hunc dum protoplaſtus, prob dolor! neſcivit cavere, in quod praecipitii ſe, omnemque demerſit proſapiam, utinam contigiſſet neſcire. Dum enim vetitum guſtavit pomum, ſe cum omni poſteritate in hoc condemnavit exilium.

X. *Contra hunc ergo morbum coeleſtis doctor, & medicus Chriſtus oſtendens antidotum, mox poſt baptiſmum dedicavit jejunium: ac ſi languido medicus dicat: contrariis curantur contraria. Ut ergo recuperetur patria, ametur inedia; illo enim reditur per jejunium, unde exulatur per cibum* (a). *Cum igitur ſcriptum ſit: oculi ſapientis in capite ejus, omnem ſuae mentis obtutum in Chriſtum Johannes dirigebat caput, nec putabat ſibi ſufficere, ſi juxta aliorum ſe menſuram jejuniis edomaret. Cum enim conſuetudo hic fratribus ſit in utriuſque principio quadrageſimae in pane tantum, & aqua triduum continuare, conſueverat ille nullum niſi ultima tridui die humanum cibum contingere* (b). *Quod ego, non alio mihi narrante, didici, ſed ipſe cum eodem una in cellula, exiguo ſeparatus interſtitio, deprehendi. Verum, cum hoc quoque, ſicut multa virtutum ſuarum conſueverat, vellet abſcondere, explaranti mihi non valuit occultare. Unde non immerito conjici datur per totos circiter quadraginta annos, quos in hac eremo degit, ab eo ſimiliter actitatum: ad haec eum, qui taliter triduum ſolebat tranſigere, multa bidua, multoſque ſimiliter ſingulares dies incibatum tranſiſſe.*

XI. *Memini eum, in ipſo prope caniculares dies caumate, ſe incarceraſſe, cum a quolibet infando homicida vix canonice extorqueri poſſit carina; nec ante inde exiſſe, quam omne quadraginta dierum curriculum homicidialiter elapſum eſſet* (c). *Cum vero diebus remiſſionis, menſa adita cum fratribus conſideret, pretioſaque interdum edulia, gulaeve ſuavia eſſent appoſita, occaſione aliqua inventa, nonnunquam dimittebat illaeſa. Ceteris autem vilioribus, tam moderate utebatur, ut ſecundum apoſtolicam ſuadelam, viva non immerito hoſtia putaretur* (d). *Non enim clauſa tranſierat aure, quod de turture immolando a Domino jubetur in lege, ut caput ſcilicet a collo non penitus abrumpatur, ſed ad pennulas tantum retorqueatur* (e). *In omnipotentis enim Domini ſacrificio nos teſtes eſſe debemus, ut tamen ad pennulas caput, ideſt ad virtutes retorqueatur animus, quia videlicet mens noſtra, a carnali quidem delectatione incidenda eſt, ſed a carnali cura incidenda non eſt: quatenus & vitia*

(a) *Eccl.* 12. 14. (b) *Vide quae dicta ſunt ad hunc locum in Obſerv. VI.* (c) *De hac re diximus in Obſerv. VII. in hunc locum.* (d) *Rom.* 12. 1. (e) *Levit.* 5. 8.

tia intereant, & ad virtutes tamen peragendas vires ſufficiant, quod agere tam ingentis eſt ars ſapientiae, ut multis, in quorum ego adhuc numero ſum, videatur quaſi impoſſibile. Johannes autem, qui totus jam pene, ut juxta illud ſapientis loquar, teres, & rotundus erat, id jam pene in naturam verterat, ut nec ſub ſacroſancti licet exercitii onere corporis aſellus prorſus decideret, nec in Dominum tamen calcitrare praeſumeret.

XII. *Didicerat namque illa anima, ac ſi altera Axa, tam diſcrete ei praeſidens miniſtrare, ut ſuperius inferiuſque irriguum a coeleſti patre poſtulans impetraret. Sic enim, ſacra hiſtoria referente, legimus, quod Axa, Caleb filia, ſuper aſinum ſedens dixit patri: terram auſtralem dediſti mihi, junge & irriguam* (a). *Dedit ergo ei pater irriguum ſuperius, & irriguum inferius. Axa enim ſuper aſinum ſedet, quia irrationabilibus carnis ſuae motibus anima praeſidet. Quae ſuſpirans a patre terram petit irriguam, quia cum magno gemitu a Creatore noſtro lacrymarum gratia eſt quaerenda. Dedit ergo ei pater ſuus irriguum ſuperius, & irriguum inferius: irriguum quippe inferius anima ſuſcipit, cum inferni ſupplicia flendo pertimeſcit. Irriguum vero ſuperius accipit, cum ſeſe in lacrymis, pro coeleſtis regni deſiderio, affligit: quaeque prius flet ne ducatur ad ſupplicium, poſt flere amariſſime incipit, quia elongatur a regno. Hujus autem utriuſque irrigui gratiam eatenus acceperat divinitus Johannes, ut vix dies ulla ei flueret, quin ſe eo uberrime inundaret. Hoc profecto illis eſt neceſſarium audire, auditumque imitari ſatagere, qui cum, mihi ſimiles, multis ſordentes iniquitatibus, ſacrum ad habitum veniant, lacrymarum a Deo lavacrum poſtulare non curant: ac ut myſtici ſe Tau tegmen amiciunt* (b), *Cherubim caetibus unitos praeſumunt: quaſi maculata veſtis non egeat ad lavandum aqua, aut vaſis rubigo lima. Verum quia aliter ſuper hoc Johannes ſenſerit, cordatis utique viris in ambiguo non reliquit, qui quidem, etſi ſacrum innocens habitum induerit, lacrymarum ſe tamen fluoribus nunquam baptizare ceſſavit.*

CAPUT IV.

Mira Johannis Laudenſis innocentia. Petrus Damianus eum ad ſacerdotium evehit, ſibique comitem eligit in ſuis legationibus, & apoſtolicis laboribus obeundis.

XIII. *Quantae enim tunc munditiae fuerit, ipſius Petri Damiani ſermo*

(a) *Joſue* 15. 19. (b) *Ex cap.* 9. *Ezechiel.*

mo teſtis exiſtit; qui, cum eum in monachum conſecraturus eſſet, ſuiſque eum ſuper peccatis, ut moris eſt, diſcuſſiſſet, juxta canonum cenſuram, nec unius ſibi diei imponere valuit poenitentiam (a). *Hoc ille tantus vir, qui, & per vitae munditiam ſtella, & per ſapientiae claritatem tenebroſi mundi erat lucerna, hoc inquam, cuidam noſtrum, non ſine ſui ipſius retulit contemptu; quippe, qui ſibi forte neceſſe putabat in alas jam duntaxat creſcere, ne viſco adhuc adhaereret, coactus eſt formidare.*

Audiat hoc omnis, per climata quatuor, orbis:
Audiat occaſus, pariter non neſciat ortus:
Hoc Scythicae gentes adhiſcant, hoc Garamantes,
Ne tunica, ſanguis careant, quam diluit Agni,
Ac pudeat nudos illo cenſore futuros,
Nec reparare queant, quam non ſervare laborant.
Aut nunc per fontes lacrymarum tergere ſordes:
Nunc geminae veſtis mulier Sopha, *piaque* (b) tegmina texit,
Seu vice fullonis candeſcere dat maculoſis,
Queis ea, queis cuncta velanda domeſtica turba,
His ut compta, viro veniente, ſit obvia Chriſto.

XIV. *Cognito ergo ille vir tantus, tanto eum candore divinis oculis refulgere, nefas duxit per ſacros eum gradus non ſurſum attollere; nec putavit eum diu foris indecorum dimitti debere, quem typicis Aaron veſtibus intus coopertum cognovit incedere. Quantocius igitur ſtuduit eum ad ſacerdotium provebere, ſecumque huc illucque, qua ipſe, velut mundi lampas, diſcurrere ſolebat, minare. In qua ſcilicet ſocietate non facile eſt dicere, quam multum alter ex altero credendus ſit profeciſſe. Meritoque has duas animas duas illas dixerim vaccas, quae cum divinae legis* (c) *arcam, de terra Philiſthiim ferunt, recto Bethſames, ideſt ad domum ſolis, itinere tendunt: nec, remugiant licet vituli, ideſt quamvis reclament conſaguinitate propinqui, ſe ſciunt tamen a Bethſames via deflectere, quibus aeterni ſolis ſpecioſitas micat in mente. Etſi namque eatenus in omnipotentis Dei amorem uterque ferveret, ex contubernio tamen illo, quaſi duo ſeraphim, alter ex alterius ardore putandi ſunt flammeſcere.*

CAPUT

(a) *Vide quae ad hunc locum dicta ſunt Obſerv. VIII.* (b) *Vox haec in verſu abundat.* (c) 1. *Reg.* 6. 10. *&c.*

CAPUT V.

Johannes Laudenſis a ſuis Avellanenſibus Monachis in Priorem eligitur.

XV. *Poſt felicem vero illius viri obitum, cum ſubditus jam ſacerdotali eſſet officio, ſic jam ſacris miſſarum myſteriis, pene quotidianus, ſatagebat vacare, ut priora ſua exercitia nequaquam omitteret: ſic dominicis pedibus aſſidebat cum Maria, ne frequens tamen miniſterium obliviſceretur cum Martha: ſic pulchrae rapiebatur Rachelis in gremium, ut lippientis licet Liae non horreret amplexum: ſicque ab activa vita in theoriam tendebat calefaciendus, ut a contemplativa in activam rediret calefacturus: ut ſcilicet ebrius debriaret, flammatus igniret. O quam ſunt in mundo rara hujus dignitatis vaſa! Non enim in hoc exilio poſitis Chriſti eccleſiis credo defore, ſed cupientia ſunt latere; ne qua ſcilicet incuria opercula amittant, & ſic de mundis immunda fiant. Scriptum namque in lege eſt* (a)*: vas quod operculum non habet inter immunda reputatur. Quid enim rationalis vaſis eſt operculum, niſi omnium interioris, exterioriſque hominis cuſtodia ſenſuum, quam ſi qui eis non ſemper adhibet, mors per eos criminum ad animam penetrat? Unde per Prophetam dicitur* (b)*: intravit mors per feneſtras noſtras; ingreſſa eſt domos noſtras. Ceterum hoc, de quo loquimur, vas divinum neſciebat deponere, vel ad momentum operculum, ideoque eum Dominus in phialam dignatus eſt vertere, dum ſuae per eum Eccleſiae ſapientiam ſtatuit propinare.*

XVI. *Sequenti ſiquidem tempore communi fratrum unanimitate in Priorem eligitur* (c)*, atque ut eis praeſideat inevitabiliter coarctatur. Quam ille ſarcinam, quamvis prae ingenti vellet humilitate declinare, dum divinum tamen ſibi formidat judicium, non praeſumit contemnere: ſciens ſcilicet quia, cum eum ferre idoneus eſſet, ſi obſtinate eam ubire ſperneret, pro omnibus, quos Chriſto lucrari poſſet* rationem eſset redditurus (d). *Si autem tanquam fidelis ſervus* (e)*, & prudens ſuper dominicam familiam conſtitutus in tempore, tritici menſuram ei diſpenſare ſtuderet, ad evangelicum illud euge poſt laborem pertingeret. Librans ergo in mente hinc palmam, inde coronam, aſſentitur ſuper fratres ſuſci-*

 pere

(a) Num. 19. 15. (b) Jerem. 9. 21. (c) *Poſt S. Petrum Damiani Avellanitarum praefecturam geſſerunt Damianus, & Atiprandus, tum Joannes Laudenſis, ut demonſtravimus in Obſervatione IX. ad hunc locum vitae S. Jo: Laudenſis ſeorſim editae.* (d) *Locus reſtitutus. In autographo erat* Domini numero civium devenire, *quibus verbis nulla recta ſubeſt ſententia.* (e) *Matth.* 25. 21.

pere magis clientelam, quam ſerulam: potius obſequium quam dominium: amari, quam timeri plus appetens: prodeſſe, quam praeeſſe animo concupiſcens; illud videlicet, quaſi mundum animal, ſedulo ruminans (a), *quod ille in coelorum regno futurus eſt major, qui nunc gaudet fratribus miniſtrare ſubjectior. Illum ſcilicet imitans, qui, cum omnium conditor eſſet, & Dominus, ad uſque tamen hanc miſeriae vallem eſt dignatus deſcendere, nec miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam pro ſervis redemptionem dare.*

XVII. *Ab hinc ergo, quoniam, non, ut eatenus, poterat jam latere, paulatim ſeſe coactus eſt publicare, qualiterque jam divinam per gratiam eſſet in occulto, prodiit in apertum. Quippe inborreſcente tunc temporis famis anguſtia, confluentique, undique ad ſubſidia poſcenda, innumera ad hunc locum gentium turba, cepit ille omnia, juxta evangelicum praeceptum, petenti tribuere* (b), *nihilque ſibi, aut fratribus de craſtino cogitare: nec ceſſavit ejus benevolentiae rivus effluere, donec quod daretur jam pene deeſſet. Hujus enim loci horrea, multiplicibus ejus largitionibus, omnia ſunt exauſta, quatenus in Apuliam ad emendum triticum cogeretur exulare, ut famis malum poſſet evadere. Ipſius quoque* condimenti (c) *abundantia ad diariam pervenit libram. Cumque in eremo tam dapſilis eſset, vix tamen uſquam egrediens vacua crumena ſolebat incedere, quam ſi contigiſſet deficere, inciperet ille nec veſtibus parcere. Adhuc namque ſuperſunt, qui meminerunt eum, cum ad agrarias viſendum cellas exiſset, abſque monachico ad eremum colobio remeaſſe: oblitumque coeleſtis Tau tegmen obvolvere corpori, dum medullitus id anxiaretur imprimere cordi, nihili pendens ſtultorum in calcaneo poſitis oculis diſplicere, dum ejus, ut vere ſapientis, oculi figerentur in capite* (d). *Attendebat forte, quid Sindonius* (e), *quid Petrus Telonarius, quid Paulinus ille feciſset Nolanus* (f), *qui ſcilicet, omnibus rebus primum ſuis pauperibus, imo Chriſto, erogatis, ſemetipſos poſtea in ſervos vendidere, ut egenorum poſſent inopiam largius ſublevare. Meditabatur ad haec, quia ſicut ignem aqua, ita eleemoſyna extinguit peccata* (g). *Et illud: ne avertas faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nunquam avertatur a te facies Dei* (h). *Et illud rurſum: eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. His ergo ſagittis verborum, dum praedictorum carbones adde-*

(a) *Matth.* 20. 26. (b) *Matth.* 5. 42. *Matth.* 6. 34. (c) *Ita in Codice, ſed forte legendum* alimenti. (d) *Eccleſ.* 2. 12. (e) *An rectius fortaſſe Sidonius? Sed de quo Sidonio, aut Sindonio dicat, atque unde id hauſerit noſter, non video. Sidonium tamen Apollinarem obſervant Bollandiani ad hunc locum caritate erga miſeros inſignem fuiſſe.* (f) *De Petro Telonario vid. act. Ss. ad d.* 20. *Jan.*, *ac de S. Paulino ad d.* 22. *Jun.* (g) *Tob.* 4. 7. (h) *Ibid.* 11.

adderet exemplorum, parum ſe aeſtimabat egiſſe, dum necdum illorum ad menſuram ſe ipſum impendens pertigiſſet.

CAPUT VI.

Iterum de ejus ſtudio pietatis, deque poenitentia, & humilitate. Tum de liberalitate, & miſericordia in pauperes.

XVIII. *Hucuſque de pietatis ejus operibus, quae ſcilicet circa corpora geſſit, dixiſſe ſufficiat; ſpiritualia namque ejus velim ſummatim perſtringere, ſi tamen ad id mihi divinitus datur aliquatenus aſpirare. Plus enim illud ſe coeleſte animal, Domino largiente, valuit in ſuperna ſuſtollere, quam indignus ego ſufficiam ſermonibus aperire. Et quia ad imitandum vix repo, ad enarrandum vix mutio. Ut enim nocturnas, diurnaſque regularium coenobiorum ſynaxes, a beato Benedicto inſtitutas, praeteream; ut omnia coenobiorum, vel eremorum ſynaxibus ſuperaddita praetermittam, quae tantopere ille ſtudebat quotidie Domino perſolvere, ut nefas inde putaret vel ſyllabam praeterire; quis digne explicare poſſit, quam Deo acceptum, quantumve animabus potuerit eſſe proficuum, quod vix ullum ſibi tolerabat diem effluere, quin pro vivis, vel defunctis totum, vel amplius Pſalterium pſallendo tranſcurreret? quod furtivis prope quotidie orationibus conſueverat incumbere, lacrymarumque rivis ſtratum ſuum rigare? quod tali faciem fonte lotus, jugis ſolebat ſacris miſſarum officiis inſiſtere, aliiſque rurſum lacrymarum fluoribus ſe inter ipſa mactare? quod, nunc metanaeas mittendo, interdum brachia extendendo, non ſolum laudis, & orationis thus ore, ſed omnibus ex membris, quaſi thuribulum quoddam, paſſionis ſuae Domino emanabat odorem? quod crebro per ſeptuaginta continuatim, pluriumve, pſalmorum prolixitatem, aſperis ſcuticarum flagris a ſe ipſo gaudebat, nudus corpore, vapulare (a), quatenus Apoſtolorum, ipſiuſque Domini Salvatoris quiret imitator exiſtere? quod divini verbi phialam, ut ipſe bibere, ita dominicae familiae domi foriſque anhelabat propinare? Ceterum ne verſutus hoſtis ad tantarum theſauros virtutum alicunde poſſet irrepere, jacturamque ſibi conſuetis niſibus, quod abſit, inferre, omnem ille ſuam Decapolim, Æliopolimve (b) dixerim, verae humilitatis vallo munierat, atque alterius inſtar Argo, undique oculatus obſepſerat.*

XIX. *Claret enim, arrogantium tumor quod ſpecies in quatuor dividatur*

(a) *Vid. Obſervat. X. in hunc locum.* (b) *Decapolis regio Palaeſtinae, ex decem urbibus ſic appellata: Æliopolis vero Ægypti civitas, de qua Geneſeos 41. quibus anonymus noſter animam virtutibus probe inſtructam, & munitam diſignat Bolland.*

datur, cum ſcilicet, aut bonum a ſeipſo habere quis aeſtimat; aut datum quidem ſibi divinitus, ſed pro ſuis meritis, penſat; aut cum ſe gloriatur habere, quod non habet; aut deſpectis ceteris, ſingulariter videri appetit habere, quod habet (a). *Quibus, quaſi quibuſdam malignus hoſtis ſcalis, ad cujuslibet Chriſtiani bona conatur irrepere, ut virtutum ejus deſiderabilia valeat devaſtare. Verum dum has machinari techas, inſidians ſancto viro, aſtuta ejus inſtaret malignitas* (b), *ille utpote ſponſae Chriſti naſus, in arce Libani ſitus, procul eas didicerat odorari, diviniſque viriliter accinctus armis, eminus fruſtrari. Quippe cum ſuarum bona virtutum ei ab illo ſuaderetur ſibi tribuere, ille cum Apoſtolo conſueverat dicere* (c): *nihil a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Itemque* (d): *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate. Illudque: quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Et cum Jacobo* (e): *omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens a patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Si autem ei inſuſurraſſet, quod pro ſuis ea meritis accepiſſet, hoc illi apoſtolicum noverat objicere: non ex operibus juſtitiae, quae fecimus nos* (f), *ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit. Et illud: quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo omnia* (g), *ipſi gloria in ſaecula ſaeculorum. Amen. Quod ſi virtutum ſibi ſuarum molem pertenderet, ut quaſi ſufficientem jam ab earum augmento eum retardaret; doctus erat ille cum Pſalmiſta cantare* (h): *ego vero egenus, & pauper ſum. Et rurſum: incola* (i) *ego ſum, & peregrinus. Poſtremo cum impudens hoſtis, quaſi phariſaeum illum, in corde moliretur extollere, ut fratribus ſe ſuis de ſublimi virtutum arce praeferret, non ignorabat ille publicani illius inſtar, hinc culparum ſuarum naevos, qui unquam ſibi quaſi homini, ſurrepſiſſent ante oculos reducere, hinc ſanctorum patrum ſublimia merita collocare; quatenus, dum ſibi ineſſe metueret, quod diſpliceret, in aliis attenderet quo creſcere in melius poſſet: ut ſibi fieret materia ſe humiliandi, quod hoſtis paraverat extollendi.*

CAPUT

(a) *Deſunt haec verba in noſtro Codice, ſed ſuppleri tamen debent ex Divi Gregorii Libro Moralium XXIII. cap. III.* (b) *Cant. 7. 4.* (c) *2. Cor. 3. 5.* (d) *Philip. 2. 13.* (e) *Cor. 4. 7.* (f) *1. Tit. 3. 5.* (g) *Rom. 11. 35.* (h) *Pſ. 69. 6.* (i) *Pſ. 38. 13.*

CAPUT VII.

Perpetuus Johannis Laudenſis in omni virtute profectus, & conſtans ejus propoſitum in tuenda inſtituti Avellanenſis diſciplina.

XX. *Vis ne, auditor, noſse quam nihil ſeſe, imo quantopere alios ſibi opinione praeferret? Si quos aliquando peregrinos, ut mos eſt, monachos, aliqua nobis occaſio applicaret, ſeriatim mox ille illorum mores, & ordinem ſagax attenderet, ac ſi quid in eis agnoſceret imitandum, praeſto ab eo, ac ſi divinitus oblatum, foret apprehenſum. Non enim ſe tum aeſtimabat Priorem, dum qualibet in virtute, quempiam attenderet meliorem, ſed fiebat illi in diſcipulum, qui videbatur aliis magiſter: mirabaturque typicus ille pavo alas aliorum geminas, dum pertingere ipſe conaretur ad ſenas. Nam cum inſelix ego, ſimileſque mei, & vitiis faetidi, & virtutibus vacui, vix in Apoſtolos, vix in ipſum dignemur Chriſtum occulos mentis levare, ut per aliqua eorum veſtigia noſtram poſſimus foeditatem aliquatenus tegere, huic viro, tam innumeris virtutibus opulento, nullus unquam ſciebat pudor obſiſtere, quin virtutum gazas a dyſcolis licet perſonis indeſinens mendicaret. Cumque gravis jam aetas declinaret in ſenium, virtus nitens neſciebat occaſum. Qui enim ſcire flagitat, quam irrevocabilis virtutum cucurrerit viam, quamque, manu ſuper aratrum miſſa, reſpicere ſit dedignatus, interea pauca, quae ſubdo conſideret, & per haec indeficuum viri fervorem poterit noſſe.*

XXI. *Cum enim de eremiticae regulae auſteritate die quadam ſermocinaremur, eamque, debilibus, aegriſque fratribus condeſcendendo, temperandam aliquatenus cauſaremur, praeſertim cum ipſe Domnus Petrus in eadem ſcriptum reliquiſſet, ut poſt obitum ſuum id fieret* (a), *ille etſi languidus, etſi cunctis pene nobis eſſet debilior, ejuſque aſſenſus ad id credendus eſſet facilior, cum multis, inquit, peccatis graver, hoc utique ſuperonerari non patiar; ſed ſicuti Domnus Petrus in vita id fieri non toleravit ſua, ita quoque fieri non aſſentiar in mea. His certe paucis verbis licet attendere, quanto ille conatu latam multorum ſpreverit viam, quamque medullitus arctam, quae paucorum eſt, tenuerit ſemitam, nec cum carnali Iſrael multitudine contemptas jam Ægyptias ollas ſit dignatus reſpicere, ſed cum ſolis Jeſu Nave, & Caleph, omni prorſus vi ſua, ad typicam promiſſionis terram perſtiterit anhelare* (b). *Ruminabat nam-*

 que

(a) *Petri S. Petri Damiani regula vitae Eremiticae, in qua haec legebantur. Vide quae ad hunc locum obſervavimus in alia editione hujus vitae.* (b) Num. 14. 30.

que vir ſanctus, mundum ſcilicet animal, multorum quidem eſſe bene incipere, paucorum vero, quod ſine gemitu recolendum non eſt, bene finire. Fruſtra enim velox in ſtadio currit, qui ante finem deficit; quoniam in curſus meta currentium eſt corona (a)*: nec in divinum ſacrificium accipitur hoſtia, quae caret cauda* (b)*. Ad hoc enim omnis Eccleſia, ad hoc niti debet omnis anima chriſtiana, ut, ſecundum apoſtolicam doctrinam, hoſtia viva vivat, mortua ſcilicet mundo, viva autem Deo: mortua facinoribus, & flagitiis, viva virtutibus univerſis. Obſecro, inquit Apoſtolus, vos per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem* (c)*. Ad quae duo qui, miſerante Deo, anxiatur pertingere, ad finem uſque opus eſt perſeverare. Cum enim in fine corporis ſit cauda, illa ſpiritualiter hoſtia caudata intelligitur, quae aduſque bujus vitae finem de bonis ad meliora tranſire conatur* (d)*. Idem quoque in eo nobis innui cernimus, quod in vinea laborantibus, non niſi in fine diei datur denarius. In eadem rei figura ſolus inter fratres Joſeph talari indutus eſt tunica* (e)*. Quid eſt enim talari tunica indui, niſi fidem, per dilectionem operante, uſque ad vitae terminum contegi?*

CAPUT VIII.

Johannes Laudenſis Eugubinorum Epiſcopus inauguratur. Ejus in Epiſcopali munere gerendo vigilantia, & labores.

XXII. *Talibus ergo virtutum exercitiis dum more ſuo Johannes inſtaret, apoſtolique inſtar* (f)*, quae retro oblitus, momentatim in anteriora contenderet, a te, ſancta Eugubinenſis eccleſia, necnon a Johanne apoſtolicae ſedis legato, reverentiſſimo per omnia viro, Eugubium accerſitur, quatenus, communicato vobiſcum conſilio, de praeficiendo vobis Paſtore tractatus habeatur. Quo ille, utpote caritate pleniſſimus, atque ut omnibus omnia fieret, ardentiſſimus, quamvis aetate jam gravis, quamvis languoribus debilis; tamen non ſegnis approperat, diuque, cui tanta imponenda ſit ſarcina, vobiſcum tractare non ceſſat. Sed dum tanta res in craſtinando diſcutitur, nec alia ad id perficiendi via idonea reperitur, ipſe hoc tandem onus, quamvis invitus, & obnitens, a vobis cogitur ſubire, qui alterum illo venerat onerare. Cui rei, tametſi per ſapientiam, & ſanctitatem eſſet idoneus, pro corporea tamen debilitate moleſtiaque erat incommodus. Quid ergo flammata in Domini* amore (g) *anima ageret? quod-*

(a) 2. *Tim.* 2. 5. (b) *Levit.* 22 23. (c) *Rom.* 12. 1. (d) *Matth.* 20. 8. (e) *Geneſ.* 37. 23. (f) *Philip.* 3. 13. (g) *Vocem hanc, quae in codice deſideratur, conjectura ſupplevimus.*

quodve tanto vallata populo confugium peteret? Certe cum ſaeri canones eis etiam, qui jam epiſcopantur, ſi dignam poſſint cauſam pertendere, ſucceſſores non abnuant dare, rationabilius qui hoc nondum onus ſubierat, juſtis ab hoc ſubeundo cauſis excuſabilis erat: hinc ſcilicet effaeto viribus corpuſculo reclamante; inde validiſſima languoris moleſtia ratiocinante. At qui ab ipſa pueritia omne, quod erat, Chriſto conſueverat tradere, nefas duxit non vinci ab ejus eccleſiae unanimitate: firmiſſime credens illum profecto ignem divinitus deſcendiſſe, qui tot animos in ejus electione conflaſſet: nec de impotentia jam cauſatur, cui omnipotentis voluntas ſuffragium pollicetur. Qui enim in ſe nihil poteſt, quid in domino non poteſt?

XXIII. *Volens ergo noſſe vere ne dominum habuerit complicem, attendat, quid tantillo in tempore egerit, & ab omni mox ſcrupulo conticeſcet. Mox namque ut, divina Eugubium miſerante clementia, a ſanctiſſimo Papa, ſecundo ſcilicet Paſchale, in antiſtitem conſecratur, tanta baſilicas inſtantia dedicare, pueros conſignare, omniaque omnino epiſcopalia peragere nititur, ut niſi aetatem cerneres, pubeſcere forte putares. Nec in ſui tantum epiſcopii anguſtiis contentus id agere, per quaecunque ſecundum canonicas regulas, collimitanea invitatus idem Chriſto largiente infatigabilis operatur* (a). *Ad haec divini pugionem verbi, quem tandiu acuerat, tempus nunc caelitus nactus, in girum rotat, ardetque vivas a mundo meſſes metere, ut ſupernis eas valeat horreis infercire. Ad quod tam egregium opus, quamvis multi a Domino meſſis videantur conducti, perrari, prob dolor! reperiuntur idonei. Huic namque negotio, ut digne quis poſſit inſtare, a ſemetipſo neceſſe eſt principium ſumere, Domino dicente:* (b) *ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies, ut educas feſtucam de oculo fratris tui. Quia videlicet, donec quis terrae inhaeret, impoſſibile eſt, ut a terra alterum ſecet. Hinc Dominus per Prophetam: gladii, inquit, ancipites in manibus eorum* (c). *Quis enim eſt iſte gladius, niſi, teſte Apoſtolo, ſermo divinus?* (d). *Per manus autem, quid intelligitur, niſi bonum opus, quod manibus exercetur? Quid ergo eſt gladium habere in manibus, niſi verbum Dei tenere in operibus? Hoc autem ille congrue peragit, qui ab omnibus ſe carnis, & ſpiritus vitiis nititur ſequeſtrare, & per geminae caritatis alas in alta juſtollere. Hinc eſt enim, quod alteri Prophetae falx volans oſtenditur,* (e) *per quam non niſi ſermo divinus identidem figuratur: quia videlicet falcis more, quos a terrenis vitiis deſecat, alas ſumere docet, ut ad caeleſtia tollat. Hanc ergo, quia a primaevo Johannes tempore,*

(a) *De rebus, a viro ſancto in epiſcopatu geſtis, vide quae ad caput iſtud ejus vitae alibi obſervavimus.* (b) *Matth. 7. Luc. 6.* (c) *Pſalm. 149. 6.* (d) *Epheſ. 6. 29.* (e) *Zach. cap. 5. 2. legimus* volumen volans *in vulgatae textibus; ſed ſeptuaginta legunt* falx volans.

pore, manibus bajularat, ſui jam ſecurus, quocunque ſe verteret in alios exerebat. Dumque eam per quinque carnis, totidemque animae ſenſus evaginat, quod nulli vitiorum monſtro parcendum ſit ignaris inſinuat. Hinc eſt enim, quod decem lata cubitis eadem falx dicitur, ut per omnes nimirum decem ſenſus divina framea ducenda monſtretur, nec ſufficere praelatis, ut ſola quinque ſenſuum vitia in ſubditis amputent, niſi turpes intus concupiſcentias radicitus jugulent. Multa enim a multis mala, & non patrantur corpore, & ſolo conſenſu, ac propoſito patrata, ante divinos oculos judicantur in corde. Sed ne hanc ſuper ſententiam quibuslibet a fratribus, dominis ſcilicet meis, hoc forte lecturis, ut mendax arguar, tuae me Domine Jeſu auctoritatis clypeo quaeſo defendas. Niſi abundaverit, inquit, juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſaeorum, non intrabitis in regnum coelorum. Audiſtis quia dictum eſt antiquis non occides: qui autem occiderit reus erit judicio: ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio. Item dictum eſt antiquis: non maechaberis; ego autem dico vobis, quia qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam maechatus eſt eam in corde ſuo. Dominica ecce ſententia: ea nunc, evangelio coruſcante, paena plectitur cordis ira, qua ante evangelium per legem puniebantur homicidia. Itemque, qui in corde maechari ſtatuit, appellatur maechus, ut qui corpore jam cum maecha noſcitur volutatus. Quae autem de his duobus dicta ſunt, ideſt homicidio, & maechia, quis non eadem eſtimat ſentienda de reliqua iniquitatum caterva? Ut non ſolum ſcilicet non peragantur corpore, ſe ne ipſo etiam eis aſſentiatur in corde. Quid enim prodeſt ſi domus ambitus coloribus, ac muſivo decoretur, a baſiliſcis autem & draconibus, quod interius eſt poſſideatur? Quod nimirum, quia hujus ſancti viri ſolertiae non latebat, merito divini verbi gladium, tam per interiora, quam etiam per exteriora trabere ſatagebat.

CAPUT IX.

Extremus Johannis Laudenſis morbus, & beata mors.

XXIV. *O quam felix, Eugubina eccleſia, eſſes, ſi diu te talis patroni vigilantia gubernaſſet. Ille certe caeleſti te ſponſo, forma prae filiis hominum ſpecioſo, non ſolum ſine macula formoſam exhibere, ſed etiam ſine ruga ſatageret. At aliter divina ſuper hoc providentia cenſuit, quae ante peractum conſecrationis ſuae annum tanto te Paſtore privavit. Cum enim, ſicut ſcriptum eſt, flagellat Deus omnem filium,*

(a)

(a) *quem recipit, jugi ſui corporis moleſtia vapularet, & carnis ergaſtulum egreſſuro nullius, vel levis peccati, naevus obſiſteret; adeo ei circa Septembris calendas ſolito impenſius incubuit, ut VII. earundem idus te illo viduarit, teque in hoc mundi laborante exilio, ille, ut confidimus, potiore ſui parte triumphat in regno* (b). *De cujus mihi vita, cariſſimi Patres, & Domini, quia ut ſcriberem juſſiſtis, ecce ut praeſumerem extorſiſtis. Etſi enim non feci ceu debui, facere tamen ſategi, quod potui.*

XXV. *Supereſt ergo, ut* meam puſillitatem (c) *audiat ſupplicantem, ſupplicatio namque mea nil niſi ſalus eſt veſtra, ſcilicet, ut qui coeleſtia jam ad regna, divina miſericordia ſumus vocati, coeleſtes cives, Deique filii, niſi a tanta, quod abſit, gratia degeneremus, decreti ejus ſequi ducatum, contendamus in via, ſi cum eo regnare deſideramus in patria. Tota enim haec vita, quid niſi quaedam eſt via? Per hanc profecto jam praeceſſit Chriſtus, eccleſiae videlicet ſponſus, ſecutus eſt conſequenter apoſtolicus numerus, comitata ſunt deinde tot jam electorum millia, quot quae explicet lingua? Ad hos, dilectiſſimi, omnes cordis oculos debemus attollere, ut per eorum veſtigia, tam glorioſam ad patriam nitamur aſcendere; ſed ad unumquemque tanto attentius, quanto Chriſti membrum eſſe conſtat electius, donec quibuſdam profectuum gradibus, ipſi paulatim Chriſto propinquare, & ab ipſo, quaſi adamantino ſigillo, ſuae impreſſionem imaginis poſſimus accipere. Quod ſi in ipſum juſtitiae ſolem Chriſtum, ſi in ipſius ſolis radios, ideſt Apoſtolos, ſi in ipſas denique ſtellas, reliquas ſcilicet ſanctorum turmas, noſter aciem figere non* veget (d) *obtutus, numquid vel ad certam ſtellam, noſtrum ſcilicet Johannem, noſter irrepere pigritabitur appetitus? Pudeat nos, dilectiſſimi, pudeat, inquam, ſub iniquitatis nocte jam ſtertere, quibus tam lucidam, tamque novam Dominus ſtellam in exemplum dignatus eſt prorogare.*

Spernant jam ſaeculum, quos ſpectat patria coelum:
Chriſticolas omnis pro carcere taedeat orbis;
Foeteat his mundus, quibus eſt promiſſus olympus.
Horrida carcerei, quem manſio mulceat antri?

(a) *Hebr.* 12. 6. (b) *Virum beatum eclogenarium obiiſſe tradunt plures, ſuffragante inſcriptione haud ſane antiqua, quae erat ad ejus aram in cathedrali Eugubina. Hanc ipſam aetatem tueri conantur Bollandiani ſocii* in comment. praev. §. 11. n. 17. *Sed fruſtra ſollicitant Anonymum noſtrum, qui S. Joannem tradit ad eremum veniſſe* poſtquam ephebi tempora tranſegiſſet, *eundemque in eremo annis circiter quadraginta vixiſſe, epiſcopatum denique Eugubinum anno uno tenuiſſe; ex quibus certe octoginta annorum ſumma colligi non poteſt. Vide, quae diſſerui ad hunc locum vitae S. Joannis Laudenſis ſeorſim editae* Obſerv. XIII. §. IV. V. *Alia inſuper multa ad caput hoc vitae S. Jo. Laudenſis ibidem. Ea vide, ſi lubet.* (c) Mea puſillitas *habetur in codice, ſed malim* meam puſillitatem. (d) *In codice eſt* eget, *quod nihil eſt.*

Quis ſocors olida depromat aroma cloaca?
Ergo jam veſtro coelo conſcripta caterva
Aſpiciens ſolem *fugiam* (a) jam noctua noctem,
Horreſcat tetras, quibus eſt illapſa tenebras.

XVIII.
JOANNES.

S. Joanni Laudenſi Joannes alter ſucceſſit, Ughello ignotus, vir eximius, & honorifica legatione pro Sancta Romana Eccleſia perfunctus, qui ſanctum ipſum Joannem Laudenſem eligi curaverat Eugubii epiſcopum. Habemus haec ex Anonymo Avellanenſi, ante allato, qui ſub initium opellae ſuae profeſſus eſt ſe eam provinciam ſuſcepiſſe *Domini Joannis apoſtolici legati, religioſiſſimi per omnia viri ejuſdem* (S. Joannis Laudenſis) *in epiſcopatu ſucceſſoris imperio*. De electione vero S. Joannis Laudenſis verba faciens *a te*, inquit, *ſancta Eugubinenſis eccleſia, necnon a Joanne apoſtolicae ſedis legato, reverentiſſimo per omnia viro, Eugubium accerſitur, quatenus communicato vobiſcum conſilio de praeficiendo vobis paſtore tractatus habeatur*. Huic igitur Joanni duplici nomine plurimum debet eccleſia Eugubina quod & Joannem Laudenſem eligi curaverit in epiſcopum, & ipſe poſt Joannis Laudenſis obitum ei eccleſiae praeeſſe non recuſaverit. Eſt autem eccleſiae Eugubinae laus eximia, quod iis temporibus, cum eccleſiae plures idoneorum paſtorum inopia laborarent, tam egregios ipſa epiſcopos divinitus ſortita ſit, atque in his etiam, praeter ceteros ſanctimonia illuſtres, unum apoſtolicae legationis munere illuſtrem. Sunt qui eum putent S. R. E. Cardinalem fuiſſe, non alia opinor ratione, quam quod pro ſede apoſtolica legationem obierit, quod non probabunt ii, quibus perſpectum eſt, non ſolis S. R. E. Cardinalibus legationes ab apoſtolica ſede conſueviſſe mandari, ſed aliis etiam doctrina, & rerum uſu probatiſſimis viris. De illo nonnulla habet Jacobillus in bibliotheca Umbriae, ubi eum ſine teſte, ac tabulis creatum dicit Cardinalem ad titulum S. Anaſtaſiae a Paſcale II. Addit ab eo confecta judicialia acta de vita & moribus S. Joannis Laudenſis, quo eum liceret Ss. faſtis adſcribere, & ejus ſancti viri vitam in compendium ab eo redactam. Quo ad haec fidem appellat antiqui Lectionarii, quod aſſervabatur apud minoritas Gualdenſes. Sed ni-

(a) *Ita in codice: ſed melius forſaſſe* fugiat, *ut congruere poſſit cum verbo* horreſcat, *quod poſtea ſequitur.*

nimis dubia eſt hujus ſcriptoris auctoritas, cui familiare eſt ſua ſomnia paſſim venditare. De ſynopſi vitae S. Joannis Laudenſis ſcripta a Joanne legato, quod meum judicium ſit, paucis aperui in diſſertatione ad ejus ſancti viri vitam ab Anonymo Avellanenſi ſcriptam, & a me primum ante annos aliquot editam (a).

XIX.

STEPHANUS.

Stephanus Joanni ſucceſſit anno MCVI. obiit anno MCXXX. Ita Ughellus paucis verbis errata multa complectens. Anno enim MCVI. menſe Septembri S. Joannes Laudenſis ad ſuperos evolavit, eique ſucceſſit Joannes apoſtolicae ſedis legatus, ut ſupra oſtendimus. Quod ſi non adulterina, nec vitiata ſit ea inſcriptio, quam dicunt olim extitiſſe in eccleſia S. Salvatoris de Monte Acuto, ex qua apparet S. Joannem Laudenſem anno MCV. eam eccleſiam dedicaſſe, tum vero is obiiſset Septembri menſe ejuſdem anni, anno autem inſequenti MCVI. ſedere debuiſset in cathedra Eugubina Joannes ille ſanctae ſedis legatus. Sed quia omnino ignoramus quamdiu is epiſcopatum geſſerit, aeque ignotum ſit oportet quo tempore Stephanus creatus ſit epiſcopus. Eſt ejus memoria in tabulis eccleſiae Eugubinae ad annum MCXXVI. *menſe Martio indictione quarta* (b), & ad annum inſequentem MCXXVII. quo anno Stephanus *epiſcopus S. Mariani* neſcio quem agrum eccleſiae ſuae locat, canonicis conſentientibus, & approbantibus, *menſe junio, tempore honorij pape, & Luterij imperatoris indic. V.* Aliud hujus epiſcopi monumentum vetus videre non licuit. Quod autem ejus epiſcopatum trahit Ughellus uſque in annum MCXXX., ne id quidem firmo talo nititur; eo enim anno S. Ubaldus epiſcopatum Eugubinum auſpicatus erat; ut mox oſtendemus. Flaminius Beccolus in ſuis adverſariis in archivo Armanno aſſervatis, Stephanum vixiſſe tradit in epiſcopatu annos XIII., & eccleſiam S. Andreae ab eo aedificatam (c). Addit illum ex gente Aldobrandina fuiſſe, quae incerta ſunt omnia, ne dicam ex arbitrio conficta.

Gualterium in Cantalmaii ſchedis (d) inter Eugubinos epiſcopos numeratum video, quaſi in vivis eſſet ad annum MCVIII., & decennio eam dignitatem tenuerit. Sed haec etiam ſine teſtibus, & tabulis. Gualterium tamen aliquando Eugubii epiſcopum fuiſſe arbi-

(a) *Diſſ. Praev. ad vit. S. Jo. Laud. §. IX.* (b) *Arch. Arman. l. D. cit. pag.* 25. (c) *Ex Angelini ſchedis.* (d) *Arch. Arman. lib. B. in 4.*

tror, ac de tempore tantum dubius haereo. Ejus nomen in ſuum illum catalogum antiſtitum Eugubinorum conjecit Maurus monachus is, de quo in commentario praevio diſſeruimus. Inde, opinor, Cantalmajus hunc habuit Gualterium.

XX.

S. UBALDUS.

I. Venimus ad antiſtitem Eugubinum omnium, qui in ea eccleſia floruerint, longe clariſſimum S. Ubaldum, cujus acta tam multi ſcriptores litteris commendarunt, tanta vero diligentia, & copia ſocii Bollandiani in primis illuſtrarunt, tum ad diem XVI. Maii Ubaldo ſacrum, tum in ejus *Gloria Poſthuma* in appendice ad tom. III. Maii, ut nihil integrum iis, qui poſtea ſcripturi eſſent, relictum videatur, in quo ſuam induſtriam exerceant. Eo factum eſt, ut fere nobis ipſi diffidentes, id unum conſilium capturi ſuerimus, ut eos, qui S. Ubaldi res geſtas cognoſcere voluiſſent, ad earum ſcriptores remitteremus. Sed ex iis tamen delibandum fuit aliquid, ne minus diligentes in S. Ubaldo, quam in aliorum epiſcoporum geſtis illuſtrandis videremur.

II. Igitur Ubaldus nobili familia Eugubii natus, cum adhuc infantulus patrem amiſiſſet, *Deo traditus eſt, atque oblatus priori eccleſiae Ss. Mariani, & Jacobi*, cathedralis ſcilicet Eugubinae, *ſub diſciplina eccleſiaſtici ordinis nutriendus*, (a) ut eſt apud Theobaldum ejus in cathedra Eugubina ſucceſſorem, rerumque geſtarum ſcriptorem egregium. Sed cum depravatos clericorum ejus eccleſiae mores videret, ad Divi Secundi eccleſiam ſe contulit, ubi tandiu fuit, quamdiu per S. Joannem Laudenſem licuit, qui probatae virtutis, & optimae ſpei adoleſcentem *ad eccleſiam ſuam*, Ss. ſcilicet Mariani, & Jacobi, *ſtuduit revocare*, ut ipſius Theobaldi auctoritate compertum eſt. Ajunt ſcriptores multi, adſtipulante Ughello, Ubaldum a S. Joanne Laudenſi ſacerdotem eſſe ordinatum, quod minus veroſimile eſt, ne dicam manifeſte falſum. Nam S. Joannes Laudenſis brevi admodum tempore Eugubinum epiſcopatum geſſit, nec ea aetate tunc erat Ubaldus, quae ad ſacerdotium eſſet idonea, erat enim adhuc adoleſcens, ut a Theobaldo accepimus. Videri poſſunt, quae ad cap. VIII. vitae S. Joannis Laudenſis diſſeruimus. Edita eſt Aeſii an. MDCCXLVIII.

III. Cum haec ſcripta eſſent, allatum eſt ad me, diſplicuiſſe nonnul-

(a) *Vit. S. Ubald. c. 1.*

nullis Eugubinis, quod ego in animadverſionibus ad vitam S. Joannis Laudenſis a me editam (a) S. Ubaldum a S. Joanne Laudenſi ſacerdotem eſſe inauguratum vel negaverim, vel certe minus veroſimile judicaverim. Verentur, opinor, ne mea hac opinandi novitate aliquid detrahatur gloriae ſanctiſſimorum epiſcoporum, atque ipſius eccleſiae Eugubinae. Laedi etiam putant illuſtre nomen Alexandri Sperelii, clariſſimi viri, qui ſaeculo ſuperiore epiſcopatum Eugubinum geſſit. Is enim, cum S. Joannis Laudenſis ſacellum reſtituiſſet, in eleganti tabula, ad ejus aram poſita, hanc ipſam S. Ubaldi inaugurationem pingi voluit. Sed non dubito, quin prudentiores Eugubini ſatis intelligant, ita Ss. Joannem Laudenſem, & Ubaldum, atque eccleſiam Eugubinam abundare veris laudibus, ut falſis, aut certe admodum dubiis non egeant. Neque eſt cur quiſpiam, minus iſtarum rerum peritus, judicet non fuiſſe mihi convellendam venerabilem ejus eccleſiae traditionem, quam tabula illa, ad S. Joannis Laudenſis aram appoſita, confirmat. Ego enim non antiquam, ac genuinam traditionem eccleſiae Eugubinae, ſed novam, & ſuperiore ſaeculo haud multo antiquiorem, opinionem hic agnoſco. Quod ſi religio eſſet, hoc traditionum genus ad trutinam revocare, anilibus fabulis omnis redundaret hiſtoria. Ceterum quod in animadverſionibus ad vitam S. Joannis Laudenſis olim a me dictum eſt, hic iterum dico, eſſe mihi quidem cur ſuſpectam habeam falſitatis eam opinionem de S. Ubaldo, a S. Joanne Laudenſi in ſacerdotem conſecrato, ſed tamen integrum ejus rei judicium permittere me doctis atque eruditis Eugubinis.

IV. Ubaldus, exacta adoleſcentia, a ſodalibus ſuis prior electus eſt, enim ejus collegii praefectum appellabant, ut ceteri canonici regulares. Sed eos haud multo poſt non leviter ejus rei poenituit, cum ſanctiſſimum juvenem viderunt id unum ſibi propoſuiſſe, ut collapſam loci diſciplinam ad majorum inſtituta, & Ss. Patrum praecepta conformaret. Sed id tamen eſt ab eo egregie perfectum, & collegii ſui diſciplina non reſtituta ſolum ad tempus, ſed ſanctiſſimis legibus, quas a Portuenſibus canonicis Ravennatibus acceperat, validius munita. Ubi non ſatis intelligere me fateor, quid ſibi velit Ughellus, cum ait, canonicos regulares Eugubium ab Ubaldo inductos eſſe. Multo enim ante Ubaldum canonicos regulares, & in cathedrali eccleſia Eugubina, & ad Divi Secundi in eadem civitate fuiſſe conſtat, nec parum in canonicis Eugubinis reformandis egit, ante natum Ubaldum, S. Petrus Damianus, cui eccleſiae Eugubinae cura a Ro-

(a) *Vit. S. Jo. Laud. c. VIII. Obſerv. XII.*

Romanis Pontificibus demandata erat, ut ſupra oſtendimus, quique ut in reſtituenda canonica diſciplina in aliis eccleſiis diu multumque, & quidem felici ſucceſſu laboravit, multo majori ſtudio cleri Eugubini reformationem curare debuit. Damiani enim ſollicitudine factum erat id, quod ſcribit S. Joannes Laudenſis in ejus vita cap. XV. ut nimirum *matricum eccleſiarum clerus per Romanam provinciam undique contiguam congregatus eſſet, & nonnulla canonici ritus, Deo favente, imitaretur, qui relictis olim cunctis canonicis inſtitutis, & a communis vitae ordine prorſus receſſerant, & in ſingulis laribus una cum mulieribus ſaeculariter degebant.*

V. Quo anno Ubaldus canonicorum praefecturam in cathedrali eccleſia Eugubina ſuſceperit incertum eſt. Anno tamen MCXVIII. id munus ei erat impoſitum. Ex eo enim anno ad annum uſque MCXXVIII. creberrime occurrit Ubaldi, vel Ubaldini prioris nomen in tabulis eccleſiae Eugubinae, a Fr. M. Armanno in ſaepe laudato codice relatis. Ubaldinum porro dictum puto vel propter aetatem, pro eo munere adhuc admodum immaturam, vel propter quandam morum ſuavitatem, atque elegantiam, qua qui maxime ornati ſunt, diminutivis iſtiuſmodi nominibus, more hodiedum etiam apud nos uſitatiſſimo, vocitantur. Anno MCXXIX. ex tabulis *menſe Novembri* datis *temporibus Honorii Papae* Baruncium ejus collegii moderatorem fuiſſe intelligimus (a). Quare illud quoque nutare videtur, quod a multis, Ughello probante, traditum eſt, Ubaldum ſcilicet anno MCXXX. electum eſſe Eugubii epiſcopum, & ab Innocentio II. inauguratum. Ubaldum enim ex priore canonicorum eccleſiae Eugubinae factum eſſe ejus civitatis epiſcopum conſentiunt omnes. Cum ergo ſaltem exeunte anno MCXXIX. Baruncius ejus collegii praefecturam gereret, ut ante eſt dictum, Ubaldum jam tum oportet electum fuiſſe patriae ſuae epiſcopum. Sed cum, Theobaldo teſte, ab eodem illo Romano Pontifice inauguratus ſit Ubaldus, a quo non ſine divinitatis inſtinctu fuit electus, eum neceſſe eſt ab Honorio II. cum electum, tum conſecratum fuiſſe. Honorius enim II., Innocentii item II. praeceſſor, Februario menſe anni MCXXX. vitam cum morte commutavit.

VI. Plura narrat de S. Ubaldo Jacobillus (b) more ſuo, hoc eſt vera miris modis corrumpens, & falſa plurima de ſuo obtrudens. Totam vero temporis rationem pervertit, ac turbat, in quo illud prae ceteris ſpongia dignum judico, quod anno MCVIII. Ubaldum Eugubinis canonicis jam tum praefuiſſe autumat. Eo anno canoni-

co-

(a) *Cod. Fr. M. Arman. cit. pag. 28. arch. Arm. I. D.* (b) *To. I. St. Umbriae.*

corum aedes, Ubaldi ſcilicet opera jam reſtauratas, incendio correptas ac miſere vaſtatas tradit, quibus reficiendis adjutum pecunia confirmat a Petro Avellanenſium monachorum priore. Scilicet Petrum Ariminenſem monaſterii S. Crucis fontis Avellanae priorem viderat in vita S. Ubaldi a Theobaldo ſcripta, eundemque noverat S. Ubaldi amiciſſimum fuiſſe. Sed ut erat in chronologia egregius, ut haec ſimul componi poſſent, & temporum ratio conſtaret, ad annum ipſum MCVIII. Petrum Avellanenſem praefecturam geſſiſſe ſcripſit (a). Atque ita eccleſiae Eugubinae, & monaſterii Avellanenſis hiſtoriam turbavit. Verum haec ita ſe habent. S. Ubaldus adoleſcens ad eccleſiam S. Mariani a S. Joanne Laudenſi evocatus eſt, anno ſcilicet MCV. vel MCVI., nec prioratum ejus eccleſiae ea aetatula gerere potuit. Petrus vero Avellanenſes moderabatur ad annum MCXXVI., ut in antiquitatibus Avellanenſibus, ex incorruptiſſimis monumentis demonſtrabitur. Per idem tempus Ubaldus canonicis Eugubinis praeſidebat. Igitur temporum ratione recte conſtituta, epochae prioratus S. Ubaldi in eccleſia Eugubina, & Petri Ariminenſis in monaſterio S. Crucis fontis Avellanae mire invicem conciliantur. Potuit igitur Ubaldus Petro Ariminenſi priore familiariter uti; potuit ejus hortatu fere deſperatam provinciam ſuſcipere reparandi iterum ſuam S. Mariani canonicam, flammis conſumptam, ut idem auctor eſt Theobaldus; potuiſſet etiam pecunia ad eam rem a Petro juvari, ut a Jacobillo ſcriptum eſt, ſed ſilente Theobaldo, ſuſpicari fas eſt, id eſſe pium inventum Jacobilli, vel ſcriptoris cujuſpiam Jacobillo ſimilis, a quo is acceperit.

VII. De geſtis S. Ubaldi in epiſcopatu vix quidquam ſuppetit, quod addere poſſimus iis, quae Theobaldus ejus ſucceſſor litterarum monumentis commendavit. Anno MCXXXVIII. Benedicto priori, & ſuis S. Mariani canonicis campum donavit in fundo Stafili. Syngrapham ipſius manu obſignatam in hunc modum vidimus apud Vincentium Zittellium patricium Eugubinum: *Ego Ubaldus epiſcopus manu mea ſcripſi;* atque anno item MCXXXVIII. iiſdem canonicis neſcio quid agri in alio fundo donavit, ut ex ſimili auctographa ſyngrapha apud eundem Zittellium. Neque hic liberalitatis ſuae finis erga S. Mariani canonicos; iiſdem enim anno MCXLIV. molendinum inſuper donavit apud flumen Caminianum (quo ſcilicet Eugubina civitas alluitur), ſitum in plebe S. Joannis (b). Neque minori beneficentia fuit erga S. Secundi eccleſiam, apud quam aliquandiu educationis caula fuerat, an-

(a) *To. III. Ss. Umbriae de Ss. monaſter. Avellan. pag.* 343. (b) *Arch. Arman. cod. D. p.* 39.

antequam ad S. Mariani eccleſiam migraret. Anno enim MCXL. eam eccleſiam, & ſua impenſa reſtauravit, & vinea donavit, tum inſequenti anno ad eam certum canonicorum numerum conſtituit, eoque agente factum arbitramur ut Innocentius II. ejus eccleſiae jura, ac bona univerſa ſuo diplomate confirmarit (a). *Letoni priori eccleſiae Ss. Agabii, & Secundini martyrum* eſt diploma iſtud inſcriptum, quod *datum* eſt *Laterani per manus Gerardi S. R. E. presbiteri cardinalis, & bibliothecarii* x. *cal. April. ind.* v. *incarnat. Dom. anno MCXLI. anno XIII* obſignatum eſt ab Innocentio ipſo, tum a pluribus cardinalibus in hunc modum:

Ego Innocentius catolicae eccleſiae epiſcopus ſs.
✠ *Ego Conradus Sabinenſis ep. ſs.*
✠ *Ego Albricus Hoſtien. ep. ſs.*
✠ *Ego Stephanus Preneſtinus ep. ſs.*
✠ *Ego Guido ſac. Rom. eccl. indignus ſacerdos ſs.*
✠ *Ego Stantius presb. card. tt. S. Savine ſs.*
✠ *Ego Rainerius presb. card. tt. S. Priſce ſs.*
✠ *Ego Thomas presb. card. tt. Veſtine ſs.*
✠ *Ego Petrus presb. card. tt. Paſtoris ſs.*
✠ *Ego Cuido diac. card. tt. Ss. Coſme, & Damiani ſs.*
✠ *Ego Vaſſallus diac. card. tt. S. Euſtachii ſs.*
✠ *Ego Petrus diac. card. tt. S. M. in Porticu ſs.*

Decernit hoc diplomate Innocentius, ut ordo canonicus ſecundum regulam B. Auguſtini ibi inſtitutus, perpetuo ſervetur. Cetera communia ſunt ſecundum uſitatas ejuſmodi diplomatum formulas.

VIII. Id vero non tam ad S. Ubaldi memoriam illuſtrandam, quam ad eorum temporum morem pertinet, quod in tabulis archivi eccleſiae majoris Eugubinae ad annum MCLIV. d. 14. Augus. confectis, (b) perſcriptum eſt. Cum enim foemina quaedam, nomine Ireſia, mortua jaceret in ipſa cathedrali eccleſia, Theobaldus, Juliana, & Suppo, Rolandi, & ejuſdem Julianae filii, acceſſerunt ad Ubaldum epiſcopum flagitantes, ut ſibi remittere dignaretur, quae dare tenebantur pro anima Rolandi, & Julianae parentum ſuorum, eo quod ipſi contra jus, falſque bona eccleſiae Eugubinae occupaſſent, ac poſſediſſent. Itaque promiſerunt ſe deinceps nullam ei eccleſiae moleſtiam illaturos; cumque poſſeſſiones, injuſte detentas in manus epiſcopi, & canonicorum prioris Benedicti reſtituiſſent, Ubaldus ipſe mortuam foeminam a contracta noxa abſolvit, & eccleſiae ſuffragiis reſtituit.

IX.

(a) *Extat in arch. S. Secundi.* (b) *Arch. Arman. cod. D. pag. 63.*

IX. Sebaſtianus Andreantonellus in libro, quem de Aſculana eccleſia ſcripſit, ſuaeque Aſculanae hiſtoriae adjecit, anno MCXLII. eccleſiam S. Petri in Caſtello a Presbytero Aſculano antiſtite dedicatam narrat, titulumque altari S. Benedicti martyris, quod eſt in ea eccleſia, inſculptum affert, qui ejuſmodi eſt:

A. D. MCXLII. P. ÆSCVLANVS. EPIS. CVM.
T. SENOGALIENSI. ET. EGUBINO. EPISC.
HANC. ECCLESIAM. CONSECRAVIT. VI. D. AVG. P.
DIAC. CUM. PRESBYTERO. STABIL. HVIVS. ECCL.
PRIOR. HOC. FIERI. STVDVIT.

Non unicum forte mendum in hac inſcriptione cubat apud laudatum auctorem: ego unum curo. Presbyter epiſcopus Aſculanus cum T. Traſmundo ſcilicet Senogallienſi, & Eugubino item epiſcopo, hanc eccleſiam dedicaſſe dicitur. At quis ille fuit Eugubinus antiſtes? Num idem Traſmundus Senogalliae ſimul, & Eugubii eodem tempore epiſcopatum geſſit? Apage nugas. Ut enim per eos dies Aſculi Presbyterum, & Senogalliae Traſmundum, ſic Eugubii Ubaldum ſediſſe certo certius eſt. Excidit ergo ejus inſcriptionis exſcriptori litera V., legendumque omnino T. SENOGALIENSI. ET. V. EGVBINO. niſi forte ſcriptum fuerit GVBINO, quod exemplo non careret, & exſcriptor litteram V. antiquitate corruptam in E converterit, & EGVBINVM legerit. Igitur S. Ubaldus ei dedicationi adfuiſſe dicendus eſt, ſi ejus inſcriptionis auctoritatem ſalvam eſſe volumus.

X. Eſt in extremis Ubaldi geſtis magnopere commendandum ejus ſtudium in ſanctum Chriſti confeſſorem Feliciſſimum, cujus eccleſia perantiqua extat extra civitatem in fundo Bagelata, ac tota fere ex marmoribus, e ruderibus antiquae civitatis Iguvinae erutis, conſtituta eſt. Ei eccleſiae privilegium ejuſmodi contulit Ubaldus, quale ex autographo exſcriptum hic edere placuit: (a)

„ Anno dominice incarnationis milleſimo CLX. tempore Frederici „ imperatoris die nona Maii ind. VIII. Eugubii.

„ Humane fragilitatis prudentia revera cognoſcat magis divinitatis, „ quam humanitatis fore omnia ſue retinere memorie, qua de cau„ ſa in Chriſti nomine. Ego Ubaldus Dei gratia Eugubine eccleſie „ epiſcopus, cum voluntate meorum clericorum & maxime Benedicti

(a) *Extat in arch. S. Petri: plut. II. faſcic,* S. Feliciſſimus *n. I.*

„ prioris canonice S. Mariani, & Offredi abbatis monaſterii S. Pe-
„ tri, archipresbiteri S. Joannis, nec non archipresbiteri S. Victo-
„ rii, aliorumve quamplurium meorum clericorum eccleſie S. Felicif-
„ ſimi, & tibi donno Viviano priori ejuſdem eccleſie, & donno Ba-
„ runtio ſacerdoti veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum tale privile-
„ gium concedo, ideſt ut ab hac hora in ante firmiter, & ſine ali-
„ cujus calupnia habeatis, teneatis, poſſideatis quidquid hodie habe-
„ tis, & tenetis jure, vel uſu, & utquemodo habuiſtis diebus meis,
„ & abbatis veſtri, aut in antea adcquirere poteritis jure, vel uſu
„ canonice. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus,
„ ut eorum devotioni, & extreme voluntati, qui illic ſepeliri ſe de-
„ liberaverint, niſi forte excommunicati ſint, nullus obſiſtat, & qui-
„ cumque intuitu pietatis, vel religionis veſtram voluerint ingredi ec-
„ cleſiam, niſi ſervus ſit vobis, & ingredientibus eccleſiam veſtram
„ cum ſuis bonis liberam concedimus facultatem. Nec alicui vero
„ ſucceſſori meo, vel alicui alio in minori dignitate conſtituto vi-
„ del. archipresbitero, liceat prefate eccleſie, vel ſuis parochianis pre-
„ ſentibus, vel futuris injuriam irregorare, vel excommunicationem
„ indicere, vel officium interdicere, vel decimas exigere, vel mor-
„ tualia, vel ad aliqua obſequia, niſi voluntaria aliquo modo coerce-
„ re. Si quis vero auſu temerario contra noſtrum prohibitum quid-
„ quam facere preſumpſerit, ex parte Dei, & mea ſit excommunica-
„ tus, & ejus exactio, ſeu petitio ſit innanis, nec ejus ſententia vos,
„ vel veſtros parochianos ledat, tanquam alicujus privati ſententia
„ ledatur. Ad hec vobis donno Viviano, tuiſve ſucceſſoribus libe-
„ ram poteſtatem concedo interdicendi, & excommunicandi, corri-
„ piendi, & emendandi tuos parochianos tam preſentes, quam futu-
„ ros, archipresbitero quoque nihilominus baptiſmalia, & cetera, que
„ ſine plebano fieri non poſſunt, & veſtris parochianis ſine mora im-
„ pendente. Quod ſi forte in ſua ignavia hoc facere neglexerit, vel
„ contempſerit, poſt excommunicationem cujuſcumque tranſgreſſionis
„ pena ſine tarditate, vel contradictione aliqua, appellatione ceſsante,
„ a quocumque recipere valeatis. Quatenus illic Deo ſervientes fratres
„ ab omni epiſcopali poteſtate liberi ſecurius Deo, & monaſterio B.
„ Petri, cujus juris eſse dignoſcitur, ſervire valeatis. Item preci-
„ pio ſub anathematis vinculo, ut nemo deinceps audeat minuere,
„ vel tollere predicte eccleſie jus, vel uſum, quem diebus meis ha-
„ buit, vel id, quod adcquirere potuiſtis jure, vel uſu canonice; &
„ inſuper concedo vobis, veſtriſque ſucceſsoribus in predicta eccleſia
„ peragendis, & deffendendis, in negotiis veſtris in epiſcopali, vel

civi-

„ civili curia eſse quotieſcumque vobis utile, & neceſsarium erit, ſi
„ aliquis contrarium vobis facere voluerit. Et ſi aliquis contra hoc,
„ quod ſuperius dictum eſt in curia, vel extra de facto frangere cle-
„ ricos, vel laicos, ex parte Dei Omnipotentis, & B. Marie Virgi-
„ nis, & omnium Sanctorum, & mea, vinculo anathematis ſit inno-
„ datus, & mulctetur pena viginti librarum argenti puriſſimi predi-
„ cte eccleſie S. Feliciſſimi. Et inſuper hoc meum decretum fir-
„ mum, & ſtabile permaneat ſemper.

„ s. Manus Ubaldi epiſcopi, qui ſcribere rogavit.

„ sssss. Manus B. Joannis Imizelle, & D. Stephani S. Laurentii, & D.
„ Ugonis Govedii, & D. Angeli, & D. Homodei S. Georgii.

„ sssss. Manus teſtium Philippus Sighinolphi, Petrus, & Gualfredutius
„ Perizacii, Corvolus Berardi, & Joannes Martuli, & Baſtar-
„ dus, & Ubertus Rainerii Urſi dela Iſola, & Tudinus Joannis
„ Leoni, & Zampulus Cauſidicus hi omnes rogati ſunt teſtes.

„ Ego Ubaldus ſcripſi, & complevi.

Offredus, qui quartus a S. Ubaldo ſedem tenuit Eugubinam, hoc ſancti praedeceſſoris ſui diploma confirmavit, ut ex ſimili ejus diplomate, quod ſuo loco dabimus, ex quo intelligimus S. Feliciſſimi corpus in ea eccleſia per eos dies, ſaltem quoad magnam partem adſervatum fuiſse. Anno MDCCVII. vit. cal. Martii apertus eſt ſarcophagus lapideus praegrandis, qui ſub altari S. Feliciſſimi ſitus erat, in eoque reperta eſt arca lignea ferreis clavis affabre occluſa, in qua praeter oſsa non pauca cineri immixta, vaſculum erat rotundum, ſerme ad calicis grandiuſculi formam, cum hac epigraphe SANCTI FELICISSIMI MERITA. Quae omnia rurſum in eadem arca lignea condita ſunt, & arca ipſa rite obſignata a vicario capitulari Caſtore Nuti abbate S. Donati, & canonico cathedralis eccleſiae, qui a monachis Olivetanis, ad quos pertinet S. Feliciſſimi eccleſia, vocatus fuerat ad inſpicienda, & recognoſcenda S. Feliciſſimi lipſana.

XI. Ad Ubaldi aetatem, quod attinet, Ughellus, aliique annos natum unum, & octoginta obiiſse exiſtimarunt. Sed id vix componi poſse videtur cum rationibus Theobaldi ejus rerum geſtarum ſcriptoris accuratiſſimi. Cum enim Ubaldi obitus ab anno MCLX. non ſit dimovendus, Papebrocio judice (a), contra quam nonnullis auctoribus erat viſum, quibus anno MCLXII. beatum antiſtitem ad ſuperos evolaſse perſuaſum erat, natum illum eſse oporteret anno MLXXIX. Itaque cum S. Joannes Laudenſis ad cathedram Eugubinam eſt evectus

(a) *Act. Sc. Maii ad diem 16. ad S. Ubaldi vitam.*

ctus, exeunte ſcilicet anno MCV. ni ſorte mavis anno MCIV. ut ſupra ſuo loco indicavimus, Ubaldus annum aetatis vigeſimum ſextum, aut vigeſimum quintum attigiſſet, vel fortaſse etiam expleiſet. Quod ſi anno MLXXVI. editus eſset in lucem, ut M. Angelo Eugenio viſum eſt, tricennem aut fere tricennem fuiſse oporteret, cum a Sancto Joanne Laudenſi ad cathedralem eccleſiam revocatus eſt: bellus ſane adoleſcentulus, qualis a Theobaldo deſcribitur. Omnibus igitur recte circumſpectis, vix credere poſsem Ubaldum ſeptuagenario majorem ex hac vita migraſſe. Fac enim numeraſse quindecim circiter annos cum, S. Joanne Laudenſi volente, ad eccleſiam S. Mariani acceſſit, anno ſcilicet MCV. exeunte, vel anno poſtero MCVI. ante menſem Septembrem, his enim terminis S. Joannis Laudenſis epiſcopatus concluditur. Hoc poſito cetera ſua ſponte fluunt, ut facili negotio unuſquiſque ſubductis rationibus comperiet; atque ita natalis annus ſanctiſſimi epiſcopi non fuerit ſeptuageſimus ſextus, aut nonus, ut quibuſdam aliis viſum eſt, ſupra milleſimum.

XII. Unum erat, quod totam hanc rationem noſtram turbare poſſe videbatur. Quotquot enim de antiquis illis Avellanenſis eremi moderatoribus egerunt, Petri Ariminenſi praefecturam circa annum MCVIII. conſtituerunt, ut videre licet apud Bollandianos ſocios in primis, & Grandium noſtrum. Sed hanc difficultatem jam praeoccupavimus, ubi oſtenſum eſt, multo ſerius Petri Ariminenſis praefecturam contigiſſe, quam Jacobillo eſt viſum, quem nimis bona fide Bollandiani ſocii, & Grandius noſter ſecuti ſunt.

XIII. De cultu religioſo, qui S. Ubaldo poſt mortem adhibitus eſt, copioſiſſime egerunt Bollandiani ſocii, ubi illud ſingulare occurrit, quod ſtatim ab ejus obitu ab eccleſia Eugubina ſanctus eſt habitus. Avellanitae noſtri, ut vivum magnopere coluerunt, ita poſt mortem peculiari religione proſecuti ſunt. Quoadusque Avellanitae illi veteres in monaſterio S. Crucis Fontis Avellanae fuerunt, non in eccleſia ſolum altare habuerunt S. Ubaldo ſacrum, ſed & cubiculum in monaſterio de S. Ubaldi nomine dictum: illud ipſum opinor, quod olim, cum in vivis eſſet, Avellanenſis monaſterii hoſpes aſſiduus incoluerat. Cubiculum hoc, ex antiquis veterum Avellanenſium monumentis compertum, Andreas Philippus Fattorinus abbas monaſterii Avellanenſis a ſordibus purgatum S. Ubaldo, me ſuadente maxime, reſtituit. Altare autem, de quo diximus, dedicatum fuerat jam inde ab anno MCXCVII.. Sic enim legimus in tabulis antiquis dedicationis eccleſiae Avellanenſis ad eum annum habitae: *Altare, quod eſt a ſiniſtra parte eſt conſecratum ad honorem S. Trinitatis, S. Jacobi majoris, S.*

Bar-

Bartholomei, & Barnabae apoſtoli, & S. Ubaldi epiſcopi, & confeſſoris.

XIV. Sedente S. Ubaldo Innocentius II. Benedicto praepoſito, ceteriſque eccleſiae Eugubinae canonicis amplum diploma conceſſit, quo eorum bona, & jura confirmat. *Datum Laterani x. kal. April. indic. I. incarn. dominicae an. MCXXXVII. Pontificatus vero D. Innocentii Pp. II. anno IX.* Ita apud Ughellum, qui integrum diploma producit. Sed in his notis chronicis ſumma confuſio. Si annus Innocentii II. nonus retinendus eſſet, diploma iſtud ad annum MCXXXIX. pertineret, cui anno congruit indictio II. Eſt aliud ſimile Caeleſtini II. diploma eidem Benedicto praepoſito, & canonicis Eugubinis inſcriptum, ac datum anno MCXLIII.. Hoc etiam ab Ughello eſt editum, in eoque plures eccleſiae, & caſtra etiam nonnulla numerantur, quorum nulla mentio eſt in diplomate Innocentii II. Non vacat hic eadem diplomata rurſum edere, quae apud Ughellum legi poſſunt. De iis aliquid dictum eſt in diſſertationis praeviae capite quinto. Sed tamen operae pretium eſt S. Ubaldi vitam a Theobaldo, ejus ſucceſſore, ſcriptam, quam ſupra memoravimus, quamvis a Bollandianis (a), & a Vincentio Armanno editam, (b) hic rurſum vulgare, loco ſcilicet ſuo, atque ut omnibus in promptu ſit; pauci enim ſunt, qui rara ea volumina ad manus habere poſſint. At quae Bollandiani tum in commentario praevio, tum in animadverſionibus, tum denique in gloria poſthuma S. Ubaldi ſcripſerunt, cum in pauca contrahi non poſſint, omnino omittimus, apud Bollandianos ipſos videnda.

VITA SANCTI UBALDI.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Federico Romanorum Imperatori Tebaldus, contra votum, & meritum Eugubinae eccleſiae electus, caeleſtis Regni diadema perpetuum. Vitam ſcripturus, & miracula viri Dei Ubaldi, quidquid memoria de eo dignum veraciter addiſcere potui, Vobis fideliter deſtinare decrevi: cui tantam gratiam divinae bonitatis clementia contulit, ut ejus & ſuaviſſimo alloquio perfrui, & ſacris merueritis benedictionibus roborari: cujus etiam pietas divinitus edocta, ſanctitatem ejus & reverentia obſequii, & oblatione proteſtata eſt muneris. Nondum viderat eum veſtra majeſtas coruſcantem miraculis, & tamen devotiſſime venerata eſt ejus gloriam ſanctitatis.

Unde

(a) *Acta Ss. ad d. XVI. Maii.* (b) *Arman. epiſtol. vol. III. pag. 408.*

Unde gloriari Vos in domino, & exultantius convenit gaudere, quia divini muneris fuit gratia, quod eum, qui tantis modo fulget mirabilibus vivifice mortuus, ſanctum meruiſti intelligere mortaliter vivum. De cujus ego ortu, & vita, nec non & obitu tantum ſcribere decrevi, quantum ex relatione fidelium, qui veraciter noverant, addiſcere potui. Nam de miraculis ejus, quae poſt vitalem ejus mortem propter eum dominus fecit, ea tantum ſcribere volui, quae vel propriis oculis videre, vel eorum relatione, in quibus patrata ſunt, potui agnoſcere. Pauca vero de illis etiam, iſtis, & probis viris referentibus, in longinquis, & remotis partibus veraciter facta percepi. Fideliter igitur veſtra ſerenitas credat quidquid praeſens ſcriptura de B. Ubaldo gloriae veſtrae commendat.

CAPUT I.

Vita S. Ubaldi ante epiſcopatum.

I. *Beatus itaque Ubaldus, Eugubina civitate progenitus, nobilis quidem genere, ſed nobilior effulſit integritate vitae. Cum eſſet infantulus, & adhuc in cunis vagiret, patre orbatus, traditus eſt Deo per quendam ſuum patruum, religioſum videlicet virum, nomine Ubaldum. Traditus eſt autem nutriendus ſub diſciplina eccleſiaſtici ordinis, & oblatus eſt priori eccleſiae Ss. mm. Mariani, & Jacobi. Qui cum jam factus eſſet docilis, literarum ſtudiis traditur, & in eadem eccleſia divinas literas ſtudioſe docetur. Sed cum jam ad intelligibilis aetatis tempus veniſſet, & illius eccleſiae clericos inordinate vivere, nulliuſque religionis regulam ſervare videret, ad eccleſiam S. Secundi ſe contulit, ibique per aliquantum temporis honeſtiſſime vixit. Tardius quippe venturae maturitas ſenectutis, honeſtate jam gravem reddebat aetatem adoleſcentiae,*

II. *Videns autem beatae memoriae Joannes Grammaticus, praedictae civitatis epiſcopus, religioſae converſationis adoleſcentem, ad eccleſiam ſuam eum ſtuduit revocare: & gravitati ejus paterno amore congaudens, ſaepe illum ſecum faciebat manere. Cui quadam die quidam amicorum ſuorum ſecretius loquenti, carnalis affectu amicitiae motus, talia verba dixit: En haereditatem parentum tuorum conſanguinei tui retinent; & tu nullum inde lucrum, nullumque ſervitium habes. Duc uxorem, quae nobilitatem tuam deceat, & recuperatam viriliter poſſidebis haereditatem tuam. Ad quem vir Dei Ubaldus taliter reſpondit dicens: Abſit ut quam ſemel Domino conſecravi, virginitatem meam amittam, & integritatis meae munditiam muliebri luxuria polluam. Quantum autem ad haereditatem meam*

ſpe-

ſpectat, portio mea in terra viventium, & pars haereditatis meae eſt Deus meus.

III. *Cum autem Dei famulus adoleſcentiae annos ſeniliter tranſiſſet, & morum illum gravitas omnibus commendaret, in praedicta eccleſia Ss. mm. Mariani, & Jacobi prior efficitur, & praelationis eccleſiaſticae dignitate communi omnium voto honorifice ſublimatur. Et quidem ſuſcepti prioratus dignitas ſatis erat honorabilis; ſed qui ſuſcepti fuerant ad regendum clerici, omni honore, & reverentia erant indigni. Nam in praedicta eccleſia nulla tunc temporis ordinis obſervantia, nulla prorſus religionis colebatur memoria. Mercede annua erat conductus, qui campanas pulſaret in hora officiorum; & quia clericorum unuſquiſque in domo propria epulabatur, & dormiebat, tota fere obſervantia eccleſiaſtici cultus cuſtodiebatur in pulſu nolarum. Clauſtrum patebat omnibus, viris ſcilicet, ac mulieribus, nec ullo ibi tempore porta claudebatur. Quiſque habebat pellicem ſuam, & relicta diſciplina eccleſiaſtici ordinis, turpitudini, & luxuriae ſerviebat muliebri.*

IV. *Quid igitur vir domini faceret? Unde conſilium, unde adjutorium ſperaret? Videbat eccleſiae ſuae navim ita confractam, & tempeſtuoſis procellis undique quaſſatam. Quatiebatur Deo devotus animus, fluctuans in medio tempeſtatum, quia in medio perverſorum hominum frater erat draconum, & ſocius ſtruthionum. Sed Dominus, qui verbum evangelizantibus dat virtutem multam, priori ſuo Ubaldo evidenter largitus eſt opem ſuam. Nam primum de omnibus illis clericis tres ſibi cum adjutorio Domini adiunxit, quos benignis ſuaſionibus ſervando ordini ſecum arctius copulavit; cum quibus quantum poterat regulariter vivere, & clauſtrum, & menſam, & dormitorium, & chorum ſtudebat canonice tenere.*

V. *Poſtmodum vero ad eccleſiam B. Mariae in Portu perrexit, ubi ſatis honeſte apoſtolicae ſervabatur regula inſtitutionis, & ſplendor in omnibus fulgebat totius ſanctitatis. Ibi ergo tribus menſibus ſub diſciplina fratrum illorum regulariter vixit: quatenus diſcipulus veritatis factus, ſine errore poſtea doceret, quod primum viſu, & auditu veraciter didiciſſet. Scriptam itaque canonici ordinis regulam rediens attulit, (& ipſo ſuo regreſſu, licet itinere fatigatus, nunquam jejunium ſolvit. Cum autem in quodam nemore cum ſocio dormitaſſet, exinde ſurgens codicem regulae oblivione dimiſit, & ſolicitus pro libri amiſſione, vel ſaltem devaſtatione, propter imbrem maximum, qui ceciderat, rediit. Librum reperit ubi dimiſerat juxta viam, nec raptum ab homine, nec a pluvia madefactum) eamque regulam fratribus omnibus proponens, Divino comitatus adjutorio ſervandam injunxit. Factumque ut ex illo jam tempore cun-*

cti

eli regulariter viverent, & canonicum ordinem omnes devote cuſtodirent.

VI. *His ita compoſitis, civitas Eugubina ex maxima parte comburitur, & terribili Dei judicio venerabilis Ubaldi canonica funditus concrematur. Cujus damni dolore acriter moeſtificatus, priorem eremi Fontis Avellanae Petrum Ariminenſem adiit, cujus vita in Dei ſervitio admodum habebatur mirifica, & praeconium ſanctitatis longe, lateque clarius coruſcabat. Huic ergo ſimpliciter innotuit, quia & prioratum deſerere, & locum mutare vellet. A quo benigna increpatione correptus, & rationabili exhortatione commonitus, didicit virum Dei, ſicut aurum in fornace, in tentationibus probari, & coronam non niſi legitime certantibus poſſe largiri, graveque nimis ſe peccatum perpetrare, ſi creditos ſibi fratres in tali adverſitate relinqueret. Credidit homo Dei Ubaldus tanti viri exhortationibus; & feſtinus cum alacritate rediens, coepit & combuſtam eccleſiam, Deo ſe in omnibus adjuvante, reficere, & amiſſarum rerum damnum ſolatiantibus amicis, & vicinis viriliter reparare. Atque ita in brevi tempore divinitus adjutus, non ſolum omne damnum eccleſiae combuſtae reſtituit; ſed etiam in praediis, & poſſeſſionibus, ceteriſque humanae vitae neceſſariis eam tantum augmentavit, ut incendium illud non detrimentum intuliſſe, ſed emolumentum potius, & religionis, & ſubſtantiae probatum ſit praeſtitiſſe.*

CAPUT II.

Perufino epiſcopatu recuſato ad Eugubinum coactus Ubaldus, miraculis clareſcit.

VII. *Interea beatae memoriae Peruſinus epiſcopus humanum debitum ſolvit, & vir Dei Ubaldus eligitur ad epiſcopatum a Peruſinis. Sed cujus erat propoſitum caeleſtem in omnibus ſequi magiſtrum, ſicut ille terrenum vitaverat in terris accipere regnum, ita iſte Peruſinum ſuſcipere devitavit epiſcopatum. Nam ſicut beatus evangeliſta dicit: Poſtquam de quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiavit dominus quinque millia hominum, cum cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent regem, iterum ſolus aufugit in montem. Hoc itaque fugiendi honoris exemplum bonus diſcipulus imitatus, cum cognoviſſet, quod Peruſini de ſe diſpoſuerant, occulte aufugit, & in eremo, quae Inter-ambas partes dicitur, per aliquantum temporis ſe occultavit. Poſtea inde recedens clam Eugubium rediit, & inde quatuor clericis aſſumptis, pedeſter cum ipſis, ſine alicujus vecturae adminiculo, ad Romanum pontificem ivit. Cui cum ſe humiliter repraeſentaſſet, votum animi ſui ſimpliciter innotuit;*

& quantum potuit per ſe, & per ſuos amicos cardinales, eum ſupplici-ter oravit, ut eum ad epiſcopatum benignus papa non cogeret, immo po-tius ab electione facta de ipſo apoſtolica auctoritate abſolveret. Annuit itaque ſanctae memoriae Honorius papa tam devotis petitionibus ejus, & nolens contriſtare, ſecundum apoſtolum, quem in ipſo videbat habitare Spiritum Sanctum, ſuſcepit preces, exaudivit votum, & complevit deſi-derium. Reſervatus itaque vir Dei Ubaldus divina ordinatione ad epi-ſcopatum civibus ſuis, gaudens, & exultans Eugubium rediit.

VIII. *Poſt haec beatae memoriae Stephanus epiſcopus migravit ad Do-minum, & Eugubium, viri ſcilicet Dei Ubaldi civitas, epiſcopali cura viduatur. Cum autem non eſſet conſenſus de clericis civitatis eligendi antiſtitem, Dei famulus cum aliquantis Romam perrexit, ut ſcilicet de Romana eccleſia eligerent, quem ſibi Romanus pontifex epiſcopum conſe-craret. Sed qui lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, eſſe fecit in caput anguli; famulum ſuum Ubaldum, a civibus quidem ſuis reproba-tum, ſed a ſe cognitore meritorum electum, conſtituit paſtorem ſuper po-pulum ſuum. Nam cum praedictus Dei famulus una cum clericis ſuis peteret, quos papa nulla ratione concedere acquieviſſet; ipſe per ſe papa divinitus edoctus Ubaldum nominavit, & ut ipſum ſibi epiſcopum eli-gerent, qui aderant, Eugubinis clericis praecepit. Igitur tam honorabi-liter electus, & honorabilius poſtea ab eodem Romano pontifice conſecra-tus, Eugubium rediit, & cathedram epiſcopalem regendam feliciter per ſaecula ſuſcepit.*

IX. *Jam vero conſecrato epiſcopo, ſicut creverat dignitas honorit, ita crevit virtus manſuetudinis, & omnis bonitas. Nam ſupra modum hu-manae converſationis manſuetus erat, & humilis, ſimplex, benignus, & affabilis. Mortificatio corporis, tolerantia laboris, atque contemptus ſae-culi, pluſquam credi poſſit, inerat ei. Nam de patientia ejus quid di-cam? cum ſemper eam inſeparabiliter amplexatus fuerit ſuper menſuram humanam. Verba ejus pauca, ſed ſemper ſapientiae ſale condita. Victus parcus, ſed diſcretus, & ideo inani gloria vacuus. Nam cum de omni ge-nere ciborum licet parciſſime ſumeret, & cenodoxiam familiarem abſtinen-tibus vitaret, pane ſicco, & arido magis utebatur, quo & corpuſculum reficeret, & delicioſis epulis non ſerviret. Veſtitus ejus tenuiter modicus, & magis nutriens, quam expellens frigus; ita humiliter, ac temperate abjectus, ut nec pretio carus, nec omnino vilitate foret deſpectus. Jam vero de lectuli ſui abjectione quid referam? Ubi cum pauca palea, mo-dico ſacculo, & vili ſatis, ac valde parvo utebatur operimento. Quan-do vero aſperitas eum frigoris coercebat, jacebat ſuper ſe caligas, & fe-moralia. De frequentia vero orationis ejus ſilere potius quam pauca di-*

cere decrevimus, quoniam in omni tempore omnis locus erat ei oratorium. Et quia patientem eum ſupra menſuram humanam diximus, juſtum eſt, ut unum de multis patientiae illius exemplum ponamus.

X. *Quodam die, dum murus civitatis aedificaretur, & in ipſo muro aedificium quoddam coementarii facerent, quod vineae epiſcopii, quae muro ſubtus jacebat, nimis injurioſum detrimentum afferret; prohibuit, & ne vineae ſuae injuriam facerent humiliter interdixit. Cujus interdictum is, qui operi praeerat, pertinaciter recuſavit; & eum cum injuria impellens, in liquidum coementum, quod paratum erat, dejecit. De quo totus infectus cum ſurrexiſſet, humiliter ſiluit; & cum ſumma patientia, quaſi nil paſſus fuiſſet, ad epiſcopatum rediit. Sed cives injuriam epiſcopi non ferentes, ei qui injuriam fecerat, non ſolum domum deſtruere, & omnia, quae habebat, minabantur auferre, ſed etiam ipſum volebant extra civitatem longius propulſare. Epiſcopus autem tumultum populi benigne compeſcuit, & quaſi eum acrius punire vellet, ad ſuum imperium vindictam reſervavit. Ducitur itaque reus ante epiſcopum, & interrogatus ſi ejus vellet obſervare mandatum, promittit ſe homo facturum quidquid epiſcopus in eum praeciperet, etiam ſi in eum poenam mortis dictare vellet. Epiſcopus autem proteſtatur eum nullo modo ſuam ſervaturum ſententiam, quam tantum duram in illum promere diſponebat. Sed homo cum devotione multa, & obteſtatione horrenda promittebat ſe facturum quidquid Dei vir vellet dictare in ipſum. Stupentibus itaque plurimis, & quid epiſcopus praecipere cogitaret expectantibus, B. Ubaldus de ſede ſua ſurrexit, & ei, qui ſe in terram dejecerat, approximans; Da, inquit, mihi oſculum, fili, & Dominus omnipotens remittat hoc, & omnia tua peccata tibi.*

XI. *Seditio dura quadam die orta fuerat in platea civitatis, & civibus acriter inter ſe pugnantibus, hinc inde multi vulnerati perimebantur. Quod cum audiſſet B. Ubaldus, nimium doluit; & ad locum pugnae velociter currens, anxius pervenit. Sed cum nulla ratione bellum ſedare potuiſſet, in medias acies concertantium curſu rapidiſſimo proruit, & inter pugnantium gladios, & lapidum grandines, quaſi mortaliter vulneratus, ſe ſubito in terram dejecit. Exiſtimante autem populo illum eſſe mortuum, omnia ſtatim arma projiciunt, crines evellunt, & ad tanti patris, ut putabatur, tam tremendum funus viri, & mulieres pariter currunt. Aſcendit clamor plangentium ad aethera, & unuſquiſque ſe reum mortis ejus, ſe clamat homicidam. Ut autem vir Domini hac arte bellum illud perſenſit eſſe ſedatum, leniter ſurgens, nutu manus annuit, & quia nullius dolorem vulneris pateretur indicavit. Atque ita factum eſt, ut dum epiſcopus ſe tradit morti pro populo, & populus viveret, & epiſcopus non periret.*

XII.

XII. *Hic cum apud Fontem Avellanae cauſa quietis frequenter ſecederet, & ex conſuetudine quotidie miſſam cantaret, & loci ſacriſtam, ex eo quod ſibi ad id valde habilis eſſet, multum diligeret, contigit, ſemel dum iviſſet, fratrem illum infirmari uſque ad mortem. Cui cum alii dicerent: Domine, ecce quem amas, infirmatur, ait ad illos: ubi jacet? At illi dixerunt ei: Domine, veni, vide. Cumque ad eum veniſſet, & ſalutaſſet ex more, ait ad eum vir beatus: Licet, frater cariſſime, nimium infirmaris, tamen, ſi tibi placet, facito nobis dari librum, & veſtes, & cetera, quae habemus ad miſſam neceſſe. Cumque poſtulata percepiſſet, & inter ſacra pro aegroto Dominum poſtulaſſet, eadem hora monachus, qui moriebatur, factus eſt ſaniſſimus, nec expectavit epiſcopum in lectulo.*

XIII. *Equitabat cum quibuſdam B. Ubaldus quadam die ad plebem S. Creſcentini; & cum appropinquaſſet plebi, quidam coecus occurrit ei, qui ex reſponſione praecedentium virum Dei cognoſcens, cum magnis obteſtationibus clamando coepit rogare, ut ſibi manum oſculandam dignaretur porrigere. Quam mox, ut coecus oris oſculo contigit, lumen, quod per quadriennium amiſerat, recepit. Quo Dei famulus cognito, ei terribiliter interdixit, ne dum ipſe adviveret, quod in ſe factum fuerat aliis intimaret. Sed non potuit manere occultum, quod ad gloriam ſervi ſui Deus voluit eſſe manifeſtum; nam ipſe, qui coecus fuerat, hoc multis innotuit, & dum ſanctus Dei viveret, multis manifeſtavit. Ad eccleſiam S. Orphiti conſecrandum B. Ubaldus cum aliis coepiſcopis advenerat, ad quam cum multitudine populi quaedam paralytica in carrucula fuerat adducta. Cumque vir Dei, ſicut moris eſt, infulatus coram ea tranſiret; illa divinitus edocta veſtimenta ejus apprehendit, & ei dum fidenter inititur, de carrucula ſana ſurrexit.*

XIV. *Cuidam coeco reſponſum eſt in ſomnis, ut iret ad Ubaldum, epiſcopum Eugubii, quoniam ab ipſo eſſet lumen recepturus. Narravit coecus mane ſomnium his, qui convenerant ad miſſam; & confortatus ab omnibus, ne ſit piger ad obediendum, venire coepit ad civitatem Eugubii. Veniens autem divertit ad quandam ceraſum, in qua duo viri aſcenderant, qui ejuſdem arboris poma legebant. Quos cum vidiſſet puer, qui eum trahebat ad manum, innotuit ei, & hortatus eſt ad petendum. Rogavit itaque coecus eos, qui ſtabant in arbore, ut ſibi pro amore Dei de ceraſis darent. Illi reſpondentes dixerunt: Aſcende ad nos, & collige tibi, ſicut & nos colligimus. Ad quorum reſponſum coecus vehementer erubuit, & corde trahens ſuſpirium, ut ſui miſereretur rogavit Dei virum Ubaldum. Mirabile verbum! Statim aperti ſunt oculi ſui; & cum undique circumſpiceret, coepit undique clare videre. Videns autem homi-*

homines in arbore dixit: Comedite vos de his ceraſi pomis, quia ego gratia refectus ſum divinae propitiationis. Gaudens itaque, & exultans coepit currere ante puerum, cujus prius trahebatur ad manum; & qui per decennium lumen coeli non viderat, per invocationem nominis B. Ubaldi omnia clare videbat. Venit Eugubium, & omnia narravit viro Dei Ubaldo: quod Dei famulus aegre nimium accepit, & increpans eum monuit, ut non ſuis meritis, ſed tantum divinae adſcriberet bonitati. Extorſit itaque ab eo multis obteſtationibus, ut nemini unquam hoc praeſumeret referre, quamdiu in hac communi vita ipſe cum hominibus viveret. Cum ergo praedictus Dei famulus migraſſet ad Dominum, manifeſte qui coecus fuerat, omnibus innotuit, quomodo per B. Ubaldum eum dominus illuminavit.

XV. *Illis temporibus undecim civitates potentes cum tota virtute ſua convenerunt in unum, & Eugubium venientes caſtra prope muros poſuerunt. Tantuſque erat populus boſtium, ut vix unus de Eugubinis numeraretur ad quadraginta de illis. Ante aliquantos dies vir Dei Ubaldus cum proceſſione magna triduo civitatem circumiverat, & pro ſalute populi devotiſſime omnipotentem Deum deprecatus fuerat. Cum ergo dies pugnae veniſſet, ſanctus Dei populum ſuum prudenti exhortatione commonuit, & ad ſperandum indubitanter de coelo victoriam conſtanter animavit. Et iſti quidem, epiſcopi ſui benedictione muniti, pergunt ad bellum: epiſcopus autem clauſtri ſui aſcendit tectum, locum ſcilicet excelſum, unde videret populum ſuum. Sed qui Moyſe orante Amalecitas coram Iſrael proſtravit, ipſe Ubaldo deprecante coram Eugubinis omnes adverſarios in fugam convertit. Nam primo congreſſu pugnae omnes terga vertunt, fugiunt, arma projiciunt, & dum ſe ſalvare cupiunt, omnia ſua relinquentes, pro nihilo ducunt. Qui enim caſtra Sennacherib per angelum ſuum percuſſit, & una nocte centum octuaginta quinque millia, regis Ezechiae precibus, interemit, ipſe virtute ſuae potentiae innumerabilem illum populum famuli ſui oratione perterruit; & qui ante per trecentos armatos Gedeonis inaeſtimabilem perſecutus eſt Madianitarum multitudinem, ipſe cum paucis armatis Ubaldi, Eugubinorum fugavit boſtes. Et quod non minus mirandum eſt, ita timor Domini invaſit omnes, ut in domibus ſuis reverſi tremerent, & prae pavore nimio in cubilibus ſuis ſe occultarent.*

XVI. *Cujuſdam presbyteri, Azonis nomine, de civitate Eugubina, digitus manus nimis intumuerat, & inde etiam totam manum tantum dolebat, quod nec quieſcere, nec dormire ullatenus poterat. Huic ergo per viſionem vir Dei Ubaldus apparuit, & faciens ſignum crucis ſuper digitum, presbyterum liberavit. Expergefactus autem presbyter, cum in veri-*

ta-

ritate cognoviſſet ſe ſanum factum, benedixit Deum, & Dei virum, venerabilem Ubaldum. Veniens igitur, ipſi Dei famulo omnia, quae acciderant, ſibi narrans, & de collata ſibi ſanitate reverenter ei gratias referens; vir Dei eum acriter corripuit, & non ſine quadam indignatione animi, ut ultra talia non diceret, interminando mandavit.

XVII. *Glorioſus Romanorum imperator Federicus cum ad Theutonicas partes Roma rediret, ab inimicis civitatis ductus, venit Eugubium. Conabantur autem Eugubinorum hoſtes victorioſi animum imperatoris ad ſubverſionem civitatis, & perditionem civium, precibus, & muneribus flectere. Sed Deus omnipotens, qui ſub tanti patris ſolicitudine Eugubinos cuſtodiebat, non permiſit, animum manſuetiſſimi imperatoris deſtitui clementia pietatis. Nam pro ſalute populi ſui eunti dedit Deus gratiam B. Ubaldo in conſpectu ſereniſſimi imperatoris, vel potius imperatori dedit Deus gratiam in conſpectu B. Ubaldi, ut eum ſanctum intelligeret, reverenter ſuſciperet, honorifice tractaret, & quae vir Dei poſtulaſſet, libenter annueret. Cui etiam munificus imperator ſcutellam argenteam cum multis aliis muneribus obtulit: & ejus genibus inclinatus, illius ſe orationibus ſuppliciter commendavit, atque humiliter poſtulatam benedictionis gratiam obtinuit. Cumque poſtmodum Eugubinorum obſides cuſtodiae ſancti epiſcopi bonus imperator reddere voluiſſet, & epiſcopus quieti ſuae providens recipere noluiſſet; parvulum nepotem ſuum, filium ſcilicet nepotis ſui, humiliter petiit, & abſolute recepit.*

XVIII. *Hic autem ſanctus Dei, ut dignus eſſet coelo, purgatus omni rubigine, dure nimis ſaepiſſime flagellatus eſt in mundo; bis enim fracturam paſſus eſt cruris, & ſemel rupturam armi dextri. Multas etiam alias graves frequenter paſſus eſt infirmitates; ſed nemo unquam eum in ſuis doloribus murmurantem audivit, vel aliquod indicium murmuris ex ejus ore percepit. Gloriabatur quippe cum Paulo in infirmitatibus ſuis, & tunc fortior, & devotior erat in mente, quando durius flagellabatur in corpore.*

CAPUT III.

Mors S. Ubaldi, & eam ſecuta miracula.

XIX. *Poſtquam B. Ubaldus ad ſenilem aetatem graviter perveniſſet, & omnipotens Deus praerogativam ejus patientiae, & ceterarum virtutum opera ejus remunerare decreviſſet, ut in regni coeleſtis diademate margarita de terra ſumpta clarius fulgeret, per biennium fere gravi eum infirmitatis moleſtia corripuit; & quidquid per ſuſcepti regiminis negligentiam humanitus admiſit, quidquid per remiſſae manſuetudinis diſſo-*

lutionem minus diſcrete pepercit, quidquid denique quocunque modo de terreno pulvere macularum contraxit, & intus caminus decoxit amaritudinis, & foris abluit aqua paternae percuſſionis. Miſericordia quippe Domini, ſicut ſcriptum eſt, in ſtatera: & ex adverſo, potus datur in lacrymis in menſura: quatenus nec miſericordiae libra meritum irremuneratum relinquere, nec poenae vindicta reatus debeat limitem praeterire. Dum autem appropinquaſſet depoſitionis ſuae tempus, debile ejus corpuſculum totis deſtituebatur viribus: unde factum eſt, ut decimo die ante migrationis ſuae horam, ab eccleſia S. Laurentii martyris deportaretur ad epiſcopatum ſuum.

XX. *Adveniente autem ſabbato, quo ſacri Pentecoſtes vigiliae celebrantur, divino ſpiritu ducti cives cum mulieribus ad epiſcopatum veniunt, candelas accendunt, & tanti patris glorioſum exitum ſumma cum devotione praeſtolantur. Per totum ergo diem ſabbati, & ſanctum diem dominicum reverentiſſime frequentatur, colitur, & cuſtoditur. Beatum ſe credit, qui ejus manus, vel pedes poteſt oſculari. Orationibus ejus omnes ſe ſuppliciter commendant; & quicunque ſe in eum peccaſſe reminiſcitur, ſumma cum humilitate rogat, ut ſibi remittere dignetur. Sequenti autem nocte, quam ſancti Pentecoſtes dies dominicus praeceſſerat, migravit ad Dominum. Delatuſque in eccleſiam BB. MM. Mariani, & Jacobi honorifice colitur, & celebratur. Currunt populi, non ſolum de vicinis villis, & caſtris, ſed etiam de longinquis urbibus: conveniunt etiam epiſcopi, & clerici, abbates, & monachi, omnis aetas utriuſque ſexus accurrit. Et quia vivus ab omnibus habitus fuerat ſanctus, mortuus non immerito ab omnibus adoratur. Mittunt interea boni cives legatum ad contadinos ſuos, cum quibus guerram habebant, & eos, ut ad tanti patris obſequium ſecuri veniant, vocant: remittunt ſibi viciſſim culpas: & praecipue nobilibus contadinis omnes, quas per guerram contraxerant, offenſas ignoſcunt.*

XXI. *Sed quam glorioſe tam ſancta anima ſuſcepta fuiſſet in coelo, manifeſtum factum eſt per corpus, quod mortuum jacebat in feretro; & quidquid in carne vivens meruerat, per exanimata Dominus dignatus eſt oſtendere membra. Coepit enim diverſis coruſcare miraculis, qui pannis involutus jacebat humanis; & coeleſtium mirabilium oſtentare virtutem, qui terreni corporis videbatur amiſiſſe fortitudinem. Nam quaedam mulier Callienſis, nomine Maria, per multum temporis ex uno latere fuerat contracta. Haec ad lectulum, in quo ſanctus jacebat, acceſſit, & plenam fidem mente concipiendo, languori ſuo miſericordiam poſtulavit. Forte adhuc manui S. Ubaldi manuale defuerat, quod utique, quando pontificalibus veſtimentis fuerat indutus, per oblivionem remanſerat: cujus*

cum

cum camerarius ejus recordatus fuiſſet, velociter currit, & manuale in manum S. Ubaldi, ſicut moris eſt ſacerdotis, immiſit. Mirabile dictu! Mox ut ſanctus, quod de pontificalibus veſtimentis ſibi defuerat, accepit, & infirmitatibus ſanitatem reddere, & ex obſeſſis corporibus daemones coepit effugare. Nam praedicta mulier ſtatim ſanctum tetigit; & omnis illa contractio receſſit; ſurrexitque illico ſana, & quae ante conſueverat incedere curva, coram omnibus ſtare coepit erecta. Diſcurrebat ubique velociter, quae antea vix leviter poterat ambulare. Laudes in commune domino referuntur, campanae pulſantur, & B. Ubaldus eo glorioſius ſanctus praedicatur, quo ejus ſanctitas evidentibus ſignis manifeſtius oſtenditur.

XXII. *Hoc primum poſt depoſitionem ejus miraculorum ſignum ſunt alia multa ſigna ſecuta; & ſicut evidenter cognoſcitur, quotidie ſequuntur. Nam per quatuor dies, quibus inhumatus jacuit, coecis viſum, ſurdis auditum, & claudis reddidit greſſum: mutos etiam fecit loqui, daemones effugavit, & alios plures diverſis languoribus laborantes ſanitati reſtituit. Mariae quippe de Caſtilione de Syria viſum; & Martino, qui de ſui epiſcopatus dominio fuerat, reddidit auditum. Cuidam puero de Certaldo, qui fuerat claudus, greſſum; & Mariae de Boibo loquendi reſtituit officium. Cuidam etiam mulieri de ſuo comitatu manum, per vicennium contractam, reſtituit. Quemdam Majolum de plebe S. Paterniani de tumore coxae liberavit. Liberavit a daemonibus Imyzam de Vico Fenocleti, & aliam foeminam de colle S. Donati.*

XXIII. *In caſtro etiam, quod collis de Arbore dicitur, quod videlicet caſtrum eſt in comitatu Peruſino, jam ſeptennis erat quaedam infantula, quae aurium, & linguae a nativitate officio carebat; pedum quoque ita deſtituta erat viribus, ut nec de loco ad locum pergere, nec in loco poſſet per ſe ſuis pedibus ſtare. Hujus itaque mater cum audiſſet mirabilia, quae per B. Ubaldum fiebant; oravit devotiſſime Dominum, ut ea in filia ſua experiri mereretur. Vocantur interea mulieres, quae habitabant in praedicto caſtello, ut portent arenas, & lapides ad aedificandum murum. Cum ergo mater praefatae infantulae invitaretur a commatre, ut ſecum iret, conqueſta eſt lacrymabiliter, quia non haberet, cui miſeram filiam ſuam cuſtodiendam relinqueret. Verum quia vox praeconis ſub banni comminatione urgebat, cum injunctum non poſſet praetermittere ſervitium, commendavit filiam attentius ſancto viro Dei dicens: Meorum pignus viſcerum commendo tuae cuſtodiae, illudque tuae defenſioni ſervandum dimitto; & ſi vera ſunt, quae de te dicuntur, modo in ſe filia mea ad tui nominis gloriam experiatur. Dixit, & abiit; & injunctum ſibi ſervitium pro tempore perſolvit. Cum autem ab opere domum rediret, invenit filiam ſuam ſalvam, & incolumem; nam & loquebatur,*

batur, & audiebat, & propriis pedibus, quod nunquam fecerat, ambulabat: ad telam quippe matris acceſſerat, & quaſi texere volens, ad eam ſedebat; regreſſamque matrem, ei gratulando, reſpexit, & interroganti quid ageret, voce clara, rectoque ſermone reſpondit. Quod mater, ut percepit, magno clamore Deo gratias retulit, & convocatis amicis, & vicinis, non minus de ſanitate filiae, quam illa mulier evangelica gaviſa eſt de inventione dragmae. Operatus eſt etiam multas alias virtutes, & miracula, antequam poneretur in ſepulcro: & quaſi medicus de coelo miſſus medebatur omnibus infirmitatibus.

XXIV. *Quarto autem die mediante B. Ubaldus ponitur in tumba, & per venerabilium manus epiſcoporum, qui convenerant, terrae redditur quod fuerat de terra: ſed ut prophetia ſancti viri de eo, quem poſt ipſum eſſent electuri, ciso completur; eadem hora, immo eodem momento, quo ſanctus ponitur in tumba, qui eligendus erat, adveniens ingreditur eccleſiam: atque ita omnium voluntas prophetiae ſancti viri ſamulatur, ut nullus prorſus, qui aliud ſentiret, inveniret. Et cum pauci eſſent, qui ſcirent quid ſanctus praedixerat; omnes omnino, qui aderant, illud dicunt, illud affirmant. Saepius quippe S. Ubaldus dicere conſueverat, & ſciſcitantibus ſe aliquantis non praecipiendo, ſed prophetando dicebat: Quia ille reget Eugubinam eccleſiam. Sicque factum eſt, ut dum ille, quem ſanctus praedixerat, ſine mora eligitur, etiam prophetiae ſpiritu S. Ubaldus claruiſſe videatur. Fecerunt ſibi interea conſuetudinem boni cives, ut per totum fere annum omni die cum candelis accenſis ad S. Ubaldum venirent: veniebant autem cum proceſſione omnes pariter cantantes, viri, & mulieres; & qui per ſe non poterant venire, adducebantur etiam infantes. Reſonabat Eugubina civitas voce canentium, & coruſcabat a ſplendore luminis candelarum. Nox vertebatur in diem, & totius noctis fugabantur a lumine tenebrae: & quod de Jeruſalem per Tobiam prophetatum legitur: Quia per omnes vicos ejus alleluja cantabitur, videbatur tunc completum in Eugubio; cujus per omnes plateas, & vicos laudes Domino reddebantur. Per omnium ora S. Ubaldus canitur; per omnium voces S. Ubaldus praedicatur; & quaſi non ſit aliud nomen, quod nominari debeat, ita S. Ubaldum omnes frequentant.*

XXV. *Totus ille annus ſit Eugubinis jubilaeus, totus plenus laetitia, & gaudio: ſit annus ille gratus omnium bonorum ubertate: ſit dulcis, & amabilis concordia, & pace. Quod enim priori Fontis Avellanae ante fuerat intimatum, hoc totum completum eſt in depoſitionis ejus anno. Nam cum idem prior, qui poſt ipſum electus eſt, eſſet Aeſii, quinta decima nocte ante migrationem ſancti viri, hoc ſaepiſſime verbum coepit in ejus ore, tam dormientis, quam vigilantis, frequentari: Orietur*

tur in diebus ejus, juſtitia, & abundantia pacis. Quod cum duobus fratribus ſuis Fontis Avellanae mane retuliſſet, reſponſum eſt ab eis, quia in partibus illis ipſe pacem faceret. Sed ſicut poſtea evidentiſſime claruit, de diebus B. Ubaldi, & Eugubina civitate tunc ſignificatum fuit: in cujus depoſitionis diebus & abundantia pacis eſt orta, & juſtitia, quae deberetur pauperibus nata: de qua ſcilicet juſtitia propheta dicit: Diſperſit, dedit pauperibus; juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi. Nam in illo die, & anno reformata eſt inter civitatem, & comitatum pacis concordia, & guerra, quae per multum temporis inter eos fuerat, ad integrum eſt ſedata. Miſericordia etiam in pauperes tam large fiebat, ut contra conſuetudinem non haberent neceſſe inopes rogando poſtulare, ſed magis ipſi rogabantur, ut diguarentur accipere. Peregrini autem ad hoſpitandum non ſolum invitabantur, ſed etiam trahebantur. Dulce ſatis ſpectaculum erat videre ducentos, & tercentos, interdum quadringentos pauperes in eccleſia comedere, & omnibus, quae neceſſaria erant, affluenter abundare. Afferebantur elemoſynae de omni genere ciborum; & quaecunque neceſſaria erant, ſanis, & infirmis afferebantur copioſe de villis, & caſtellis. De Eugubinis civibus non eſt neceſſe aliquid dicere, quomodo pro ſancti ſui amore parati erant omnia dare. Tunc ergo coepit devotum illud pauperum obſequium, quod Eugubini caritatem vocant: tunc in veritate coepit pacis, & juſtitiae pollere abundantia.

XXVI. *Sed jam ad enarranda cetera S. Ubaldi miracula veniamus, & quam ſtrictius poſſumus, ea breviando numeremus. Ut autem fides certior adhibeatur, quorundam liberatorum & loca, unde fuerunt, & nomina ponimus. Poſitus itaque B. Ubaldus in ſacrae ſuae dormitionis thoro, quaſi potentiſſimus princeps adepto principatu, expellere coepit daemonum multitudinem, & omnes morbos, omniaque gencra fugare infirmitatum. Liberavit quippe quandam puellam, nomine Bonam, de caſtro S. Victorini, a tribus daemonibus vexatam, & Bertam ſimiliter de comitatu Camerini, a peſſimo daemone obſeſſam, Clarium quoque, & Flandulam de caſtro Caſtaneae; & aliam mulierem de Reggio, nomine Mariam; atque quandam puellam de Anxiano, filiam Adalmarii. Salvavit etiam Adoleitam de Foſſato, & Bertam de Sigillo. Bonam quoque foeminam de Fabriano; & Mariam, & Meſſaram, duas puellas de Poſtiniano. Berta quoque de Trunca, cum a daemone vexaretur, audivit ab ipſo daemone, quem patiebatur, quod ſi inciperet iter ad S. Ubaldum epiſcopum, in medio itinere liberaretur: Credidit mulier dictis daemonis, & coepit venire ad muros S. Ubaldi: Et quamvis diabolus ſit ſemper mendax, & pater mendacii; in iſto tamen ad gloriam hujus ſancti vetax fuit: nam ſicut dixerat, in medio itinere mulierem ſanam dimiſit,*

& ipſa mulier ad B. Ubaldum ſaniſſima, referens Deo gratias, venit.

XXVII. *In feſtivitate quoque B. Joannis Baptiſtae populus innumerabilis convenerat ad eccleſiam S. Ubaldi; ad quem ſcilicet populum cum electus ſermonem faceret inter ſolemnia miſſarum, quaedam daemoniaca venit ad eccleſiam; ſed nulla ratione is, qui eam vexabat, intrare permittebat. Clamor populi attollitur, pro ſalute illius devote Domino preces offeruntur; ſed clamor daemonis vincebat, & ſuperabat omnes clamores plebis. Tandem a multitudine juvenum comprehenditur, trahiturque, & uſque ad S. Ubaldi corpus, licet violenter, perducitur. Quo mox ut pervenit, ſine mora evomit, & ſaniſſima reddita, ad locum, ubi praedictus electus praedicabat, perrexit. Viſa eſt ergo ab omni populo referens Deo gratias, quae antea viſa fuerat horrendas dicere blaſphemias. Sunt ergo ſexdecim, quos liberavit Dominus ad vocationem nominis S. Ubaldi.*

XXVIII. *Alios etiam, quos ſalvavit de diverſis infirmitatibus, quanta poſſumus brevitate, perſtringere tentabimus. Erexit Bonum hominem de vico S. Petri in Scorceto, languore guttae, & crurium; & puerum Joannem de Foroſempronio, omnibus viribus coxarum, & crurum deſtitutum. Reddidit loquelam Benedicto, puero de vico Palcadi, quam nunquam habuerat; & Baſilio de Laureto, qui eam per triduum amittere ſolitus erat: qui etiam cum eſſet paralyticus, integrae eſt ſanitati reſtitutus. Gaſcbiliae quoque amenti, & mutae mentem reddidit, & officium linguae, Paulum de Colle Nucis a febre; & Mariam de comitatu Caſtellano ab ingenti tremore liberavit. Reddidit viſum Meldo de Sorbolongo; & cuidam mulieri, quae vocabatur Burga, de Caſtello. Duobus quoque peregrinis Geraldo, & Jordano oculorum lumen reſtituit; quorum ſcilicet Geraldus penitus lucem amiſerat, Jordanus vero cum uno tantum oculo parum videbat. Salvavit Piſarinum de Camerino de ulcere, quod per viginti quinque annos paſſus fuerat; & quandam mulierem ſimiliter de comitatu Callienſi, cui nomen erat Altemilia: Martinus quoque de plano Ravennae cum pateretur fiſtulam, duo capita habentem, venire coepit Eugubium, rogaturus pro infirmitate ſua S. Ubaldum. Sed dum adhuc eſſet in via, voluit, ſicut conſueverat, mutare fiſtulam ſuam; ſolvens autem lentiolum, ita ſanam eam reperit, ut nec aliquod ſignum appareret cicatricis. Similiter Himelda de Foſſato cum, gravem fiſtulam pateretur in mamilla, veniens ad ſepulcrum S. Ubaldi cum ibi vellet curare fiſtulam, reperit illam ſanam. Eodem modo Stephanus de plebe Bunginiani ab eodem ulcere eſt ſanatus ante ſepulcrum S. Ubaldi. Non diſſimiliter Avolina Fanenſis ſalva facta eſt de ulcere alterius generis ad tumulum S. Ubaldi.*

XXIX.

XXIX. *Quaedam etiam mulier, nomine Teuza diu terribilem ſerpentem in ventre portaverat, cujus cruciatum tam durum patiebatur, ut horis ſingulis ad mortem duci videretur. Haec auditis mirabilibus ſancti viri, proſtravit ſe in terram, & Dominum oravit, fudit preces, & vovit votum, ut Dominus eam liberare dignaretur per ſervum ſuum Ubaldum; ſed ut mox de terra ſurrexit, ſerpentem cum ſanguine evomit; atque ita incolumis facta venit ad ſanctum Dei, votum, & gratias redditura. Salvavit Mariam de Pregio, ita per paralyſim trementem, ut a neſcientibus daemonium putaretur habere. De eodem morbo Joannem Bonelli de Montelanciani ſanavit. Bertrama de Cortona habebat nares vermibus plenas, quorum cruciatu miſerabili dum laboraret, nec per diem, nec per noctem poterat dormire: mox autem ut fecit votum B. Ubaldo, veames coeperunt quieſcere. Liberata autem illa coepit Deo gratias agere, & B. Ubaldo, cujus evaſerat meritis libera a vermium cruciatu. Multa etiam alia miracula, tam in vita, quam poſt mortem fecit, pluresque homines utriuſque ſexus ab infirmitatibus liberavit, coecos illuminavit, & ab oculorum infirmitatibus viſum deperditum reſtituit: contractos membris, & claudos erexit; paralyticos membrorum impotentia ſanavit. Paucà autem prae multitudine geſtorum veſtrae propoſui ſerenitati de his, quae mirabiliter operatus eſt Deus meritis confeſſoris ſui Ubaldi; rogans attentius, ut ſi minus eleganter ſunt propoſita, meae parvitati veniam non negetis, illi ſoli gratias agentes, qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis, & per omnia ſecula ſeculorum vivit, & regnat. Amen.*

XXI.

THEOBALDUS.

I. Ughellus S. Ubaldo ſucceſſorem affigit Bonactum, cui Theobaldum ſufficit, auctores non bonos ſecutus. Sed Theobaldus ipſe S. Ubaldi & encomiaſtes, & ſucceſſor eſt audiendus (a). *Quarto*, inquit, *die mediante B. Ubaldus ponitur in tumba. Sed ut prophetia ſancti viri de eo, quem poſt ipſum eſſent electuri, cito compleretur, eadem hora, imo eodem momento, quo ſanctus ponitur in tumba, qui eligendus erat adveniens ingreditur eccleſiam: atque ita omnium voluntas prophetiae ſancti viri famulatur, ut nullus prorſus, qui aliud ſentiret, inveniretur. Et cum pauci eſſent, qui ſcirent, quid ſanctus praedixerat, omnes omnino, qui aderant, illud dicunt, illud affirmant. Saepius quippe*

(a) *Vit. S. Ubaldi num. XXIII.*

Sanctus Ubaldus dicere conſueverat, & ſciſcitantibus ſe aliquantis non praecipiendo, ſed prophetando dicebat; quia ille reget Eugubinam eccleſiam; ille ſcilicet, qui adventurus erat, cum ejus corpus ſepulturae mandaretur. Haec Theobaldus de S. Ubaldi ſucceſſoris electione. Ac paulo poſt de incredibili Eugubinorum laetitia, & felicitate, quae S. Ubaldi obitum conſecuta eſt ob infinita fere ejus patrocinio patrata miracula, verba faciens (a): *totus ille annus*, inquit, *ſit Eugubinis jubilaeus totus plenus laetitia, & gaudio ..... quod enim priori Fontis Avellanae ante fuerat intimatum hoc totum completum eſt in depoſitionis ejus anno. Nam cum idem prior, qui poſt ipſum electus eſt, eſſet Aeſii, quintadecima nocte ante migrationem ſancti viri hoc ſaepiſſime verbum coepit in ejus ore tam dormientis, quam vigilantis frequentari: Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis.* Qui ergo poſt S. Ubaldum electus eſt, Fontis Avellanae prior erat, qui cum Eugubii non eſſet, cum vir beatus e vita migrarat, commodum eo venit cum Ubaldi corpus cleri, & epiſcoporum manibus terrae mandabatur. Oliverius cum Armanno, ne quidquam reclamante M. Angelo Eugenio, qui multa hac de re, ſed inani conatu verba fundit (*epiſt. ad Jo. Tad. Donnola pag.* 11., *& ſeq.*) ſcite conjecit Theobaldum eo loco de ſe ipſo eſſe locutum, ac nomen ſuum modeſtiae cauſa ſubticuiſſe (b). Quale autem peccatum fuiſſet, ſcriptorem alias ſatis accuratum, cum de ſancti viri ſucceſſore ſemel, atque iterum, & quidem ex inſtituto eſſet locutus, ejus nomen non prodidiſſe? Habemus in archivo Avellanenſi tabulas plures, quae Theobaldi Avellanenſium prioris nomen praeferunt circa annum MCLX. (c) Cum igitur & Theobaldus ipſe S. Ubaldi ſucceſſor non obſcure indicet ſe ex Avellanenſium priore Eugubinorum antiſtitem eſſe factum, cumque ex tabulis item Avellanenſibus conſtet Theobaldum quemdam per eos dies Avellanae priorem fuiſſe, cum S. Ubaldus ad ſuperos migravit, anno ſcilicet MCLX. nemo, ut opinor, negabit, eumdem eſſe Theobaldum, qui ex Avellanenſi praefectura ad cathedram Eugubinam evectus eſt, & praeceſſoris ſui S. Ubaldi vitam ſcripſit. Non igitur S. Ubaldi ſucceſſor Bonactus, ſed Theobaldus, quod etiam probat Armannus ex tabulis eccleſiae Eugubinae anno MCLX. menſe Novembri ſcriptis, (d) in quibus a Petro notario Theobaldus electus appellatur. Theobaldus vero ipſe omnino expungendus eſt ex canonicorum regularium faſtis, & noſtris Avellanitis reſtituendus contra Ughelli, aliorumque multorum ſententiam.

II.

(a) *Ibidem num. XXV.* (b) *Vid. Papebroc. in cap. III. vit. S. Ubaldi ad lit. N.* (c) *Faſcicul. XIII. Membran.* (d) *Tom. III. pag.* 468.

II. Sed quid eſt, quod iterum ad annum MCLXII. Theobaldi prioris memoria in tabulis Avellanenſibus occurrit? Ex eo aliquis fortaſſe conjiciet Theobaldum vel expulſum a ſede Eugubina, vel ſponte ſe ſubducentem, ob turbas in eccleſia Eugubina excitatas in diro illo Friderici Oenobarbi ſchiſmate, ad ſuos ſe Avellanitas recepiſſe, ejuſque loci praefecturam, vel ſibi honoris cauſa oblatam, vel a nemine adhuc poſt ſuum diſceſſum occupatam, iterum geſſiſſe. Id ſane ſupra fidem non eſt. Etenim admodum veroſimile eſt, electum quidem ab Eugubinis Theobaldum, minime vero inauguratum fuiſſe; nam idem ipſe Theobaldus praedeceſſoris ſui Ubaldi res geſtas ſcribens, *electum* ſe tantummodo dicit, ac fortaſſe non multo poſtquam S. Ubaldi vitam ſcripſerat, ad Avellanam rediit. Certe nullum monumentum eſt, quo probari poſſit, manſiſſe illum paulo diutius apud Eugubinos. Anno MCLXIII. Bonactum habemus eccleſiae Eugubinae electum in diplomate Friderici Oenobarbi, quod eſt Bonacto inſcriptum, quodque infra dabimus, ubi de Bonacto agemus.

III. Ex eodem anno uſque ad annum MCLXXIX. quo Offredum Romanae ſynodi actis ſubſcriptum legimus, nullum monumentum alicujus Eugubini epiſcopi habemus. Ughellus quidem Theobaldum autumat in cathedra Eugubina ſediſſe ad annum uſque MCLXXI. *quod eatenus correctum velim*, inquit Papebrochius, *ut ſubſtituatur MCLXI. & ſic epiſcopatus ejus ſolum fuerit octimeſtris* (a). Nam quod Ughellus addit cathedralis Eugubinae canonicos, Theobaldo favente, ampliſſimum diploma ab Alexandro III. obtinuiſſe anno MCLXX., quo jura, bonaque omnia ejus eccleſiae Apoſtolica auctoritate confirmantur, nihili aeſtimat Papebrocius, cui perſuaſum erat, ideo Ughellum ſcripſiſſe, diploma illud favore Theobaldi epiſcopi ab Eugubinis canonicis impetratum fuiſſe, quia Theobaldum ipſum ad annum uſque MCLXXI. vitam produxiſſe opinatus erat. Certe in eo diplomate apud Ughellum nullius epiſcopi Eugubini nomen occurrit. Ughello igitur temere affirmanti haud ita facile aſſentiendum eſt.

IV. Sed num Ambroſius Lucentius melius aliquid in ea rerum obſcuritate vidiſſe cenſendus eſt? Putat Theobaldum ab Eugubina ad Jaderenſem cathedram translatum eſſe. Ex chronico enim Andreae Danduli conſtat Jaderenſes poſt obitum Lampridii archiepiſcopi, honorem hunc ad Eugubinum epiſcopum unanimi ſententia detuliſſe. Ac Dandulus quidem Eugubini hujus epiſcopi nomen reticet; ſed cum anno MCLXXX. Theobaldum in Jaderenſi cathedra ſediſſe conſtet ex ve-

(a) *Loc. cit.*

veteri monumento apud Joannem Lucium de regno Dalmat. cap. 12. ubi legitur: *A. MCLXXX. d. 14. maii tempore Auri Maſtropetri ducis, & Theobaldi venerabilis Jaderenſis archiepiſcopi, &c.* non inſcite conjicit Lucentius (apud Ughellum in adnot. ad archiep. Jader. nuperae editionis) hunc ipſum eſse, qui Eugubio Jaderam migravit, nam & temporis ratio conſtat, & Theobaldi nomen conſentit, nec alius quiſquam poſt Lampridium Jaderae archiepiſcopus occurrit.

V. Haec igitur ita componi poſse videntur, ut primo quidem deſignatus ſit Eugubii epiſcopus Theobaldus poſt Ubaldi deceſsum, ſed eo vel ingruentem tempeſtatem Fridericiani ſchiſmatis declinante, vel etiam a ſua ſede expulſo, Bonactus ſuffectus ſit, quem ſi quis intruſum ſuſpicetur a ſchimaticis, haud fortaſse multum a vero abhorrebit. Vel ipſe Ughellus putavit, Bonactum noxias Friderici partes eſse ſecutum, in quo reprehenditur a Papebrochio. Sed non erat fortaſse reprehendendus. Diploma enim Bonacto inſcriptum, quod ante commemoravimus, datum eſt anno MCLXIII. cum jam altius debacchari coeperat flamma Fridericiani ſchiſmatis. Ecquis autem erit, qui ſibi facile ſuadeat Fridericum Romanae eccleſiae hoſtem aperte declaratum, eccleſiam Eugubinam ampliſſimo diplomate in Bonacti gratiam ornare, & munire voluiſse, ſi quidem Bonactus pro eccleſia Romana ſtetiſset? Multum igitur vereor ne eccleſia Eugubina non leviter in eo ſchiſmate turbata, Bonactum contra jus faſque admiſerit, quae tandem vel eo exacto, vel ſponte cedente, vel fortaſse etiam e vivis ſublato, Theobaldum ex Avellanenſi ſeceſsu acciverit, ac tamdiu retinuerit, quamdiu per Jaderenſes licuit, a quibus, ut haud ſane infeliciter conjectatur Lucentius, Jaderam perductus eſt, & Offredo, de quo infra, vacuam Eugubii cathedram reliquit. Quod ſi non placeat Theobaldum e ſua ſolitudine Avellanenſi rurſum ſe ab Eugubinis abduci paſsum eſse, nihil obeſt quominus ex ipſa Avellanenſi eremo ad cathedram Jaderenſem acciri potuerit, vir ſcilicet probatae virtutis, & ob eam ipſam ſeceſſionem ab eccleſia Eugubina notiſſimus.

VI. Sed quo anno Jaderam migrarit, quamque eccleſiam illam diu rexerit, haec etiam in obſcuro ſunt. Ubi mirari ſatis non poſsum ſcriptorum plurium bonam fidem, ne quid pejus dicam, qui Theobaldum Beati, imo & Sancti titulo ornatum volunt. Addunt aliqui, ſanctum ejus corpus in cathedrali Eugubina religioſe adſervari, atque ut annum ejus emortualem aſſignant eum fere, quem Ughellus adſtruit, ita & ejus obitum in 20. Februarii diem conjiciunt (a). Sed ne-

(a) *Jacobillus in SS. Umbriae Tom. I. pag. 648. diem habet vigeſimum Junii.*

neque ullus ei cultus Eugubii adhibetur, nulla ejus corporis memoria extat, nullae tabulae, nullum monumentum, nullus idoneus auctor occurrit ad eas res comprobandas. Esto enim Theobaldus Jaderam fortasse non migrarit, meras enim conjecturas ejus rei dedimus, solidas quidem, sed quae tamen factum id manifeste non evincunt; fatendum tamen est, nihil nos de sanctimonia Theobaldi, nihil de ejus obitu, iisque de rebus, quae tam fidenter de illo dicuntur definire posse, nisi divinare, & fingere velimus. Id unum verissime possumus dicere, Theobaldum ab ipso S. Ubaldo dignum esse judicatum, ut ei in episcopatu succederet; cur enim tam saepe dixisset Ubaldus eum recturum esse ecclesiam Eugubinam, nisi tali eum munere dignissimum putasset?

VII. Vidimus in archivo Armanno tabulas anno MCLX. mense Novembri scriptas, (sunt illae ipsae, quas supra n. I. ex Armanno indicavimus) ex quibus constat Theobaldo electo S. Mariani, & Benedicto ecclesiae Eugubinae priori Rustichellum quondam Theobaldi Rainerii filium ampla latifundia donasse. Ea hic indicasse sufficiet. Sed de Theobaldo erit alius dicendi locus, in libris nimirum antiquitatum Avellanensium, quos, ubi sat otii erit, absolvere, & in publicum emittere, decretum est.

VIII. Edidit Ughellus peramplum Alexandri III. diploma datum anno MCLXX. inscriptum Benedicto praeposito, & canonicis ecclesiae Eugubinae, quo Innocentii, & Coelestini diplomata confirmantur, quae supra indicavimus. Illud idem est, ex quo aliqua excerpsimus capite quinto dissertationis praeviae.

XXII.

BONACTUS.

I. Michael Angelus Eugenius, rerum gestarum S. Ubaldi scriptor, Bonactum autumat ab Avellanensi praefectura ad episcopatum Eugubinum evectum esse, non alia ratione, quam, quod, cum ex Theobaldo constet S. Ubaldi successorem fuisse Avellanae priorem, ipse autem existimaret Bonactum statim ab S. Ubaldi obitu episcopum esse factum, Bonactum ipsum Avellanae priorem fuisse consequi videbatur. Sed is revera S. Donati de Pulpiano abbatiam gerebat, quod monasterium prope Eugubium erat, cujus reliquiae etiamnum visuntur cum ecclesia antiqui admodum operis, quae canonicis regularibus S. Secundi subjecta est. In eorum archivo vetus instrumentum adser-

ſervatur, in quo Bonacti memoria occurrit, cujus hic particulas aliquot proferre juvat: (a) *In nomine Domini amen. An. MCLXXIX. Federico imperatore imperante menſ. Octobris indic. XIII. Eugubii. Ego quidem in Dei nomine Kiſius Joannis volendo ratificare concordiam optatam ab eterne bone memorie, & beatiſſimo viro D. Ubaldo epiſcopo olim Eugubine civitatis inter abbatem, & monacos S. Donati, & inter me, mediante patrocinio dominorum..... conſulum Eugubinorum interpoſito ab imperiali majeſtate Federici auguſti, & invictiſſimi imperatoris in cauſa definiendi infraſcriptam diuturnam litem narro, &c. Unde Bonactus tunc ejus eccleſie abbas, ejuſve monaci renunciarunt mihi ob inſtantiam, & petitionem ipſius epiſcopi &c.* Bonactus igitur S. Ubaldo eccleſiam Eugubinam moderante S. Donati monaſterio praeerat. Sed multo ante eum annum Bonactus ea dignitate auctus ſit oportet, ſi quidem ipſe idem eſt, qui in aliis ejuſdem archivi tabulis anno MCXXXI. ſcriptis memoratur, quas Joannes Baptiſta Cantalmadius in ſuis adverſaris in archivo Armanno adſervatis ſummatim retulit (b). In iis tabulis Laurentius Nuceriae epiſcopus quas res, quaeque bona Bonacto abbati S. Donati de Pulpiano permutatione inter eos facta obligaverat, ea ſe rite, ſancteque praeſtiturum promittit. Unde non Bonactum modo jam inde monaſterio S. Donati praefuiſſe intelligimus, ſed Laurentium Nuceriae epiſcopum Ughello ignotum eruimus locandum inter Lotharium ad annum MCXXV. viventem, & Monaldum, qui anno circiter MCXLIV. Nucerinis praefuiſſe dicitur.

II. Bonactum S. Bartholomaei abbatiam obtinuiſſe, antequam Eugubii epiſcopus deſignaretur, auctor eſt Ughellus, quod fortaſſe repudiandum non eſt. Cum Ughello enim conſentit Eugubinae hiſtoriae ſcriptor Piccottus. Is enim ait Bonactum monaſterio S. Bartholomaei, & S. Donati praefuiſſe, (c) quae duo monaſteria fortaſſe jam tum unita erant, ut in diſſertatione praevia monuimus (d). Idem auctor eſt Bonactum Salinguerrae viri apud Eugubinos clariſſimi, & bellica virtute praeſtantiſſimi fratrem fuiſſe. Addit praeterea ipſius Salinguerrae opera potiſſimum factum eſſe, ut Bonactus a Friderico imperatore ad epiſcopatum Eugubinum poſtularetur, eumdemque dicit vix anno elapſo poſtquam a Friderico redierat, Bonactus enim ad Fridericum in Longobardia degentem iverat, ex hac vita migraſſe, electum quidem, minime vero inauguratum Eugubii epiſcopum, propterea quod ejus electionem Romanus Pontifex aperte improbarit. Haec de Bonacto Piccottus, quae id confirmant, quod de ejus intruſione in fe-

dem

(a) *Codic. arch. Arman. ſignat. lit. N pag 76.* (b) *Arch. Arman. Joan. Bapt. Cantalmad. n ſſ. in 4. verbo: arch. S. Secundi.* (c) *Piccot. hiſt. Eugub. mſſ. pag. 152. 157. in arch. Arman.* (d) *Cap. VI.*

dem Eugubinam ante ſuſpicatus eram. Diploma, quod Bonactus a Friderico Oenobarbo impetraverat ſupra non ſemel commemoratum, nuper editum ad calcem apologiae ab erudito Eugubino contra auctorem Pergulanae hiſtoriae Aegidium Janninium emiſsae, hic etiam afferre placuit.

„ In nomine Sancte & individue Trinitatis. Fredericus Divina fa-
„ vente clementia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus.

„ Quoniam ea, que inter homines geruntur tum ſucceſſiva, & mul-
„ tiplici temporis mutabilitate, tum rariſſima humane vite diuturni-
„ tate, ex diverſarum quoque occupationum, & negotiorum numero-
„ ſitate ab hominum facillime memoria elabuntur: ea que perpetuo
„ vigere, ac valere cupimus, ſcripture miniſterio memoriali perhenni-
„ tati commendare dignum ducimus. Ideoque univerſis ſacratiſſimi
„ imperii noſtri fidelibus preſentibus, ac futuris cupientes innoteſcere
„ conventionem Eugubine civitatis, & civium ſuorum de ſervitio no-
„ ſtro, quam fecerunt Bonactus eccleſie Eugubine electus, & Benedi-
„ ctus prior ejuſdem eccleſie majoris, Offredus abbas monaſteri S.
„ Petri de eadem civitate, & Rainaldus Ugonis Petri Conſul Eugu-
„ binus, & Ugo Ianucii pro aliis conſulibus, ſcilicet, Albertino, &
„ Rainaldo de Serra, & Rainaldo de Honeſto pro tota civitate, &
„ univerſo populo vice noſtra cum glorioſo imperii noſtri principe,
„ videlicet domino Rainaldo Colonienſi electo, & Italie archicancella-
„ rio, aſtante domino Ottone comite Palatino majore de Witlinisbach,
„ & Burcardo Burenguio Magdaburgenſi, Arnaldo Barbavaria poteſtate
„ Placentinorum, & aliis plurimis viris honorabilibus, eamdem con-
„ ventionem ſcripture juſſimus vinculis innodari. Videlicet ut ipſa
„ civitas, & homines habitantes in ea, & in ſuis appenditiis cum
„ ſuis poſſeſſionibus una cum eccleſiis ſuis & ſuis tenimentis, que
„ nunc juſte habent, vel in antea juſtis modis acquirent, hoc eſt ca-
„ nonica S. Mariani, & epiſcopatus, monaſterium S. Petri, & mo-
„ naſterium S. Donati cum eccleſiis & caſtellis, hiiſque pertinentiis
„ ad epiſcopatum predictum, & eccleſias prenotatas attinentibus, quo-
„ rum hec ſunt nomina. Mons epiſcopi. Agnanum. Mons ranaldi.
„ Mons Lulianus. Montecelli. San Victorini. Monte fragajo. La tur-
„ re. Colle palumbi. Glomiſſo. Monte Sancte Marie. Cleſi. Petrojo.
„ La Sclizza. Collis Caſalis. Convenimus ut ipſa civitas cum ec-
„ cleſiis & caſtellis predictis neque duci, neque marchioni alicui, &
„ nulli umquam perſone magne vel parve in aliquo reſpondeant, niſi
„ legitime. Inſuper neque in fodro, neque in collecta, neque in aliquo
„ cuiquam reſpondeant, niſi tantum nobis, vel generali noſtro nun-

„ cio, qui juriſdictionem ad hoc habeat. Conſules quoque, qui in „ ea civitate ſunt, vel pro tempore erunt, facere debent juſtitiam in „ civitate, & in diſtrictu ejus, atque in predictis caſtellis: Si epiſco- „ po & prelatis ſupradictarum eccleſiarum placuerit. Et ſi facere „ non poterunt, imperialis noſtri nuncii auxilium petant, & ſecum „ pariter faciant. Preterea conſules & cives ſupradicte civitatis nun- „ cium imperiale ſodrum noſtrum colligere bona fide juvabunt infra „ & extra comitatum Eugubinum, ſi ipſe nuncius noſter eos roga- „ verit. Nichil autem aliud conſules predicti vel cives nuncio no- „ ſtro ex debito occaſione noſtri facere debent pro eo quod in pre- „ ſenti ad felicem noſtram expeditionem in Apuliam, vel quocumque „ voluerimus, centum libras denariorum Lucenſium, vel Piſanorum „ nobis dare debent, & in poſterum ſingulis annis ſexaginta libras „ Lucenſium vel Piſanorum de civitate, & eccleſiis cum poſſeſſioni- „ bus ſuis, ac pertinentiis, & caſtellis predictis. §. Inſuper juvabunt „ ſine fraude & bona fide nuncium noſtrum acquirere reſiduum ſo- „ drum noſtrum de anno preterito. Si quis autem hanc conventio- „ nem infregerit, pene mille librarum auri ſubjaceat. Et has ſexa- „ ginta libras annuatim in feſto S. Martini apud S. Miniatem, aut „ ubi juſſerimus in Tuſcia nobis perſolvent, niſi eo anno, quando ſo- „ drum Imperiale per totam Italiam, & ſimiliter ab ipſis nobis tolle- „ re placuerit. Que omnia ut verius a cunctis credantur, ac perpe- „ tuo diligentius obſerventur, preſentem paginam manu propria ro- „ borantes, majeſtatis noſtre ſigillo precepimus inſigniri.

„ Signum Domini „ Frederici Romanorum „ Imperatoris invictiſſimi

„ Ego Rainaldus Sancte Collonienſis eccleſie electus Italie archican- „ cellarius recognovi.

„ Data ſexto idus Novembris anno dominice incarna. MCLXIII. „ indictione XII. imperante domino Friderico Romanorum imperato- „ re invictiſſimo anno regni ejus XII. imperii ejus IX. Actum lau- „ de in Dei nomine feliciter amen.

„ Loco ✠ Sigilli.

XXIII.

XXIII.
OFFREDUS.

I. *Offredus, ſive Offreduccius an. MCLXXI. Lateranenſi concilio interfuit anno MCLXXIX. cujus decreta ſubſcripſit.* Ita Ughellus. Inter patres concilii Romani ab Ughello memorati Offreductus Eugubinus recenſetur vel depravatione codicum, vel operarum incuria. Id puto mendoſum Ughello eſſe viſum, qui propterea Offredum, ſive Offreduccium ſcripſit. Sed verum hujus epiſcopi nomen Offredus. Ita certe legitur in antiquis monumentis omnibus, quae de eo extant apud Eugubinos. Ex his nullum eſt, quod ante annum MCLXXIX. ſcriptum ſit; quo fit, valde incertum eſſe, quod Ughellus ait, praefuiſſe illum Eugubinae eccleſiae jam inde ab anno MCLXXI. Nullum etiam ſuppetit certum monumentum, quo probari poſſit eum vixiſſe poſt annum MCLXXXIV. quo ſcilicet anno fuiſſe illum in vivis conſtat ex ipſius Offredi diplomate, quod, quia ab Ughello praetermiſſum eſt, infra dabimus cum alio Alexandri III. diplomate, ubi Offredi memoria occurrit, quod etiam ignoravit Ughellus. Utrumque cl. Angelino debemus. Offredus antequam ad cathedram Eugubinam eveheretur, monachis Benedictinis praefuit ad Div. Petri in ipſa urbe Eugubii, ſi tamen idem ille Offredus eſt, qui in diplomate Friderici Oenobarbi ſupra allato memoratur, quod veroſimillimum eſt.

II. Scripſiſſe dicitur Offredus annales Eugubinos, in quibus multa de eccleſia Eugubina ſcitu digniſſima, ut inquit Ughellus, & Lucentius. At nullum extat horum annalium apud Eugubinos veſtigium. Nam quod Joannes Soperchie, ad Divi Petri in ea civitate monachus, quem vix credo ante ſuperioris ſeculi initium vixiſſe, de Offredi annalibus mentionem fecerit, haud ſane multum me movet. Is enim antiſtitum Eugubinorum, & abbatum ſui monaſterii ſyllabum conſarcinare aggreſsus, ſub initium ſcriptiunculae ſuae haec habet: *Ex annalibus R. D. Offredi olim monaſterii S. Petri de Eugubio abbatis in praefatione eorundem. Adde quod haec civitas multis ſanctiſſimis epiſcopis illuſtratur, quos ſummam, divinamque clementiam pro populo olim ſibi credito aſſiduis precibus orare procul dubio credimus. Ex his fuerunt beatae memoriae Joannes Laudenſis, olim B. Petri Damiani diſcipulus, Stephanus, Ubaldus, Raphael Salutius, & piae memoriae Vilanus, omnes Deo dante in hunc uſque diem ſignis, & miraculis clari.* Ex Vilani epiſcopi aetate, qui medio fere ſecul. XIII. vixit, facile quivis intel-

ligere poterit, quam inepte auſus ſit aliquis haec Offredo affingere, qui tamdiu ante Vilanum vixit, ac mirum eſt, bonum illum monachum non id pervidiſſe. Quamquam quid eſt, quod illum reprehendimus? Eos reprehendere oportet, qui cum in ejus ſcriptiuncula *Offredi olim S. Petri abbatis* memoriam, nomenque repererint, eumdem Offredum eſſe ſumma ſupinitate crediderunt, qui aliquando Eugubii epiſcopus fuerat, quaſi vero non alius eſſe potuerit Offredus S. Petri abbas. Ego vero neque Offredum epiſcopum, neque alterum quempiam Offredum S. Petri abbatem, qui fortaſse nunquam fuit, annales Eugubinos ſcripſiſſe reor, ut jam monui in commentario praevio.

III. Sed ecce tibi Alexandri III. diploma ſupra memoratum *Salvo priori eccleſiae Ss. Agapii, & Secundini, ejuſque fratribus* inſcriptum. In vita S. Ubaldi a Theobaldo ſcripta eccleſia haec S. Secundi dicitur, minime vero S. Secundini, atque id etiam nunc fert uſus. Eam nunc obtinent canonici regulares congregationis Renanae, ibique Ss. Agapii, & Secundini mm. corpora, & S. item Secundi reliquiae, condita eſse traduntur. Offredus anno MCLXXX. decreverat, ne quis intra certos quoſdam ſatis amplos terminos circa eam eccleſiam oratorium conſtruere poſset, ut ex tabulis in ejus archivo adſervatis manifeſtum eſt. Id porro prae ceteris probavit, ratumque habuit Alexander III. cujus diploma ex auctographo apud praeſatos canonicos ejuſmodi eſt.

„ Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Salvo prio-
„ ri eccleſie Ss. Agapii, & Secundini, ejuſque fratribus tam preſen-
„ tibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

„ Effectum juſta poſtulantibus indulgere, & vigor equitatis, & or-
„ do exigit rationis, preſertim quando petentium voluntatem & pie-
„ tas adjuvat, & veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Do-
„ mino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & pre-
„ fatam eccleſiam Ss. Agapii, & Secundini, in qua divino mancipa-
„ ti eſtis obſequio, ad exemplar fel. rec. predeceſſoris noſtri Innocen-
„ tii Pape ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & pre-
„ ſentis ſcripti privilegio communimus. Imprimis ſiquidem ſtatuen-
„ tes, ut ordo canonicus, qui ſecundum Deum, & B. Auguſtini re-
„ gulam in eadem eccleſia inſtitutus eſse dignoſcitur, perpetuis ibidem
„ temporibus inviolabiliter obſervetur. Preterea quaſcumque poſſeſ-
„ ſiones, quecumque bona eadem eccleſia in preſentiarum juſte, &
„ canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largi-
„ tione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis mo-
„ dis, preſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſuc-

„ ceſ-

„ ceſoribus, & illibata permaneant. In quibus hec propriis duxi-
„ mus exprimenda vocabulis. Curtem Campitelli cum eccleſia, &
„ hoſpitali adjacente, & omnibus aliis pertinentiis ſuis. Eccleſiam
„ de Crepezo cum omnibus pertinentiis ſuis, & eccleſiam S. Mar-
„ garite cum omnibus pertinentiis ſuis. Statuimus inſuper, ut jux-
„ ta conſtitutionem Ven. Fr. ñri Offredi Eugubini epiſcopi infra
„ terminos ab eo diſpoſitos, veſtreque aſſignatos eccleſie nullus eccle-
„ ſiam, vel oratorium ſine aſsenſu ipſius epiſcopi, & veſtro edificare
„ preſumat, ſalvis tantum privilegiis Romanorum pontificum. Obe-
„ unte vero te nunc ejuſdem loci priore, vel tuorum quolibet ſuc-
„ ceſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia, ſeu violentia pre-
„ ponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars
„ conſilii ſapientioris ſecundum Dei timorem, & B. Auguſtini regu-
„ lam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino ho-
„ minum fas ſit, prefatam eccleſiam temere perturbare, &c.

„ Ego Alexander Catholice eccleſie epūs.
„ ✠ Ego Ubaldus Hoſtien. & Vellitren. ep. ſs.
„ ✠ Ego Theodinus Portuen. & S. Ruffine ep. ſs.
„ ✠ Ego Paulus Preneſtinus ep. ſs.
„ ✠ Ego Johannes presb. card. tt. S. Marci ſs.
„ ✠ Ego Vivianus tt. S. Steph. in Celio monte ſs.
„ ✠ Ego Cinthius presb. card. tt. S. Cecilie ſs.
„ ✠ Ego Ard.us presb. card. tt. S. Cruc. in Hierus. ſs.
„ ✠ Ego Laboranus presb. card. S. Marie Tranſtib. tt. S. Calixti ſs.
„ ✠ Ego Jacinthus diac. card. S. Marie in Coſmedin. ſs.
„ ✠ Ego Gratianus SS. Coſme, & Damiani diac. card. ſs.
„ ✠ Ego Johannes diac. card. S. Angeli ſs.
„ ✠ Ego Mattheus S. Marie nove diac. card. ſs.

„ Da-

„ Datum Tuſculani per manus Alberti S. R. E. presbiteri cardi-
„ nalis, & cancellarii decimo Kal. maii indic. decimaquarta incar-
„ nat. dominice MCLXXXI. pontificatus vero Domini Alexandri Pp.
„ tertii XXII.

Pendet bulla plumbea cum uſitatis Ss. apoſtolorum Petri, & Pauli capitibus, & in averſa parte inſcriptum eſt: ALEXANDER PP. III.

IV. En alterum Offredi monumentum, quod ſupra promiſimus petitum ex auctographo apud monachos divi Petri (a).

„ In nomine Chriſti amen. Anno ejuſdem milleſimo centeſimo
„ LXXX. quarto. Tempore Lucii pape Federico imperatore imperan-
„ te. Menſe aprilis indict. ſecunda Eugubii.

„ Humane fragilitatis prudentia revera cognoſcit magis Divinitatis,
„ quam humanitatis fore omnia ſue retinere memorie. Qua de cau-
„ ſa in Chriſti nomine Offredus Dei gratia Eugubine eccleſie epiſco-
„ pus cum voluntate meorum clericorum ſequendo privilegium B. U-
„ baldi glorioſe memorie, eccleſie S. Feliciſſimi, & tibi donno Vi-
„ viano ejuſdem eccleſie priori, cunctiſve clericis ejuſdem loci, & o-
„ mnibus ſucceſſoribus veſtris in perpetuum tale privilegium conce-
„ do. Ideſt, ut ab hac hora in antea firmiter, & ſine alterius ca-
„ lumnia habeatis, teneatis, poſſideatis quidquid hodie habetis, & te-
„ netis jure, vel uſu, aut uſque modo habuiſtis diebus meis, vel ab-
„ batis veſtri, aut in antea acquirere poteritis jure, vel uſu canoni-
„ ce. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut
„ eorum devotioni, & extreme voluntati, qui illic ſepeliri ſe deli-
„ beraverint, niſi forte excommunicati ſint, nullus obſiſtat, & qui-
„ cumque intuitu pietatis, vel religionis veſtram voluerint ingredi eccle-
„ ſiam niſi ſervus ſit, vobis & ingredientibus veſtram eccleſiam cum
„ ſuis bonis, liberam concedimus facultatem. Preterea ne divinum
„ officium reverende eccleſie B. Feliciſſimi, vel ejus clericis nulla de
„ cauſa poſſit turbari, ſpeciali beneficio pro reverentia ſanctiſſimi cor-
„ poris B. Feliciſſimi concedimus, ut nulli epiſcopo ſucceſſori meo,
„ vel alicui alio in minori dignitate conſtituto, videlicet archipresbi-
„ tero liceat prefate eccleſie, vel ſuis clericis, ſuiſve parochianis pre-
„ ſentibus, vel futuris, injurias irrogare, vel excommunicationem in-
„ dicere, vel officium interdicere, vel decimas exigere, vel mortua-
„ lia, vel ad aliqua ulla obſequia, niſi voluntaria aliquo modo ſupra-
„ dictam eccleſiam & ejus clericos; ejuſve parochianos coercere. Si
„ quis vero auſu temerario contra hoc noſtrum prohibitum quicquam
„ fa-

(a) *Plut. 4. faſcicul. S. Feliciſſimus n. I.*

„ facere preſumſerit ex parte Dei, & B. Ubaldi, & mea ſit excom-
„ municatus, & ejus exactio, ſeu petitio ſit inanis, nec ejus ſenten-
„ tia vos, vel veſtros clericos, aut veſtros parochianos ledat, nec quo-
„ ad metum, tanquam alicujus privati ſententia. Ad hec vobis don-
„ no Viviano, tuiſque ſucceſſoribus liberam poteſtatem concedo inter-
„ dicendi, & excommunicandi, corripiendi, & emendandi tuos paro-
„ chianos tam preſentes, quam futuros; archipresbitero quoque ni-
„ hilominus baptiſmalia, & cetera, que ſine plebano fieri non poſ-
„ ſunt vobis, & veſtris parochianis ſine mora impendente. Quod ſi
„ forte ſua ignavia hec facere neglexerit, vel contemnere preſumpſe-
„ rit, poſt excommunicationem cujuſcumque traſgreſſoris pena ſine
„ tarditate, vel contradictione aliqua, omni appellatione ceſſante, a
„ quocumque recipere valeatis. Quatenus illic Deo ſervientes fra-
„ tres hoc noſtro privilegio muniti, & ab omni turbatione liberi ſe-
„ curius Deo, & monaſterio B. Petri, cujus juris eſſe dignoſcitur,
„ ſervire valeant. Item precipio ſub anathematis vinculo, ut nemo
„ deinceps audeat minuere, vel tollere jus predicte eccleſie, vel uſum
„ quem diebus meis habuit, vel in antea canonice acquirere poterit
„ jure vel uſu. Et inſuper concedo vobis, veſtriſque ſucceſſoribus
„ in predicta eccleſia peragendis, & defendendis in negotiis veſtris,
„ in epiſcopali vel civili curia eſſe quotieſcumque vobis utile, vel
„ neceſſarium erit ſi aliquis contrarium vobis facere voluerit: & ſi a-
„ liquis contra hoc quod ſuperius dictum eſt, in curia, vel extra de
„ facto frangere tentaverit clericos, vel laicos, ex parte Dei omni-
„ potentis, & B. Marie V. & omnium Sanctorum, & mea vinculo
„ anathematis ſit innodatus, & mulctetur pena viginti librarum ar-
„ genti puriſſimi predicte eccleſie S. Feliciſſimi. Et inſuper hoc meum
„ decretum firmum, & ſtabile permaneat ſemper.

„ S. Manus donni Offredi epiſcopi qui ſ. rog.
„ ✠ Donni Munaldi, qui conſenſit.
„ ✠ Manus donni Rainerii abbatis, qui ſcribere rogavit.
„ SS. Teſtium. Guaſton Tebaldi teſtis, & conſul. Ermannus
„ Bernardi. Tebaldus Boneore. Joannes Corboli. Pri-
„ mapars Zampoli, hujus omnes teſtes rogati ſunt.
„ Ego Homodei in preſenti, ut mihi rogatum.....ita manu
„ mea ſ. & complevi.
„ Ego Philippus prior S. Secundi manu mea ſcripſi.

V. Vidimus aliud Offredi monumentum in Angelini ſchedis, quod hic damus:

„ In

„ In nomine, &c. anno MCLXXX. menſe auguſti. Federico im-
„ peratore regnante indict. XV. Eugubii.

„ Quoniam memoria hominum labilis eſt, & didicimus aliis ſpiri-
„ tualibus, ſepe inter plebes, & monaſteria, nec non & alias paro-
„ chiales eccleſias maxima oritur diſcordia; idcirco ego Offredus Eu-
„ gubinus epiſcopus de querela, quam S. Victoris plebanus faciebat
„ de monaſteriis, & aliis parochialibus eccleſiis in ſuo plebatu con-
„ ſtitutis, aſſerebat enim prefatus plebanus, quod monachi jam di-
„ ctorum monaſteriorum, & ſacerdotes predictarum eccleſiarum, &
„ parochianus monaſteriorum, & capellarum non debere medietatem
„ decimationis prefate plebi perſolvere dicebant. Verum plebanus
„ pluribus teſtibus preſentibus, qui inferius declarabuntur, nobis oſten-
„ dit prefatam plebem medietatem decimationis in integrum de ſuo
„ plebatu antiquitus habuiſſe; unde ego jam dictus epiſcopus hinc in-
„ de hac controverſia ſepe audita, & intellecta ſic ſtatuo, & decreto
„ in perpetuum valituro diſpono, firmiterque precipio, quatenus de
„ cetero omnes parochiani in predicto plebatu conſtituti de poſſeſſio-
„ nibus, quas in eo plebatu habent, medietatem decimationis jam pre-
„ dicte plebi perſolvant, nec occaſione proprietaris, vel colonorum
„ monaſteriorum aliquid de ſupradicta parte ſubtrahant. Et hec diſpo-
„ ſitio facta fuit in eccleſia S. Hippolyti in feſtivitate ejuſdem eccle-
„ ſie in preſentia prioris canonice S. Johannis Vitiſgroſſe, & canoni-
„ corum ejuſdem canonice, & in preſentia donni Munaldi canonici,
„ & mri Priſciani, & aliorum quamplurium clericorum, & in preſen-
„ tia laicorum Raynerii, & Guelfutii Saxonis, & Rolandi Guelfutii,
„ & Gualterii Rodulphi, Ugonis Zampoli, & Tardutii, &c.

„ Ego Joannes Notarius ſcripſi, & complevi. “

Hujus epiſcopi temporibus, vel haud multo ante, eccleſiae S. Martini partem dimidiam Benedicto priori, & canonicis eccleſiae Eugubinae, injuria occupatam, reſtituerunt Tornainpars, & Suppolinus Rodulphini filii, ut ex tabulis in archivo Armanno ad diem IV. cal. Maii ſcriptis anno MCLXXIV.

VI. Offredi obitum contigiſſe ad annum MCXC. narrat Piccottus (a), ſed id omnino incertum reor; etenim poſt annum MCLXXXIV. nullum ejus monumentum videre datum eſt, nec Piccottus ullum affert. Flaminius Beccolus in ſuis adverſariis, quae olim in archivo Armanno vidimus, ubi multa de hiſtoria, & epiſcopis Eugubinis, Offredum Beati titulo extollit, in quo ejus prudentiam deſideramus.

Eo

(a) *Hiſt. Eug. mſſ. in archiv. Arman. pag.* 169.

Eo ſedente Lucius III. canonicis Eugubinae eccleſiae amplum conceſſit diploma, quod apud Ughellum videre licet. Sed annus tamen dati diplomatis apud hunc auctorem corrigendus; anno enim MCLXXXI. datum dicitur, *die IV. Januarii, indic. XV. Pontificatus D. Lucii Pp. III. anno I.* Lucius III. electus eſt ſub finem Auguſti anno MCLXXXI., quo anno indictio XIII. erat in curſu. Si ergo & menſis Januarius, & annus primus Lucii III. retinendus eſt, datum erit diploma anno MCLXXXII. non indictione XV. ſed XIV. quae inchoata fuerat a Septembri menſe anni praecedentis MCLXXXI.

XXIV.

BENTIVOLUS.

I. Ita Offredi ſucceſſorem vocat Ughellus, aliique non pauci rerum Eugubinarum ſcriptores. Non deſunt tamen qui Benedictum appellatum velint. In his eſt hiſtoriae Eugubinae ſaepe laudatus ſcriptor Piccottus. Is Benedictum ex priore cathedralis eccleſiae ad epiſcopatum evectum narrat, ac propterea Bentivolum appellatum quod eſset ex gente Bentivola apud Eugubinos clariſſima. Protulit Ughellus Coeleſtini III. diploma Bentivolo inſcriptum, datum Laterani an. MCXCI. Si eam inſcriptionem legitimam eſſe conſtaret, nihil praeterea quaerendum eſſet ad hanc litem dirimendam. Sed quid ſi in autographo hujus epiſcopi nomen litera tantum initiali B indicatum ſit? Ita certe enuntiatum habemus in alio ejuſdem Coeleſtini diplomate, quod videre licet in Bullario Romano, & in alio item Clementis III., quod ab Eugenio in vita S. Ubaldi memoratur, cujus ſynopſim in ſaepe laudato Franciſci M. Armanni codice vidimus (a). Utrumque B. epiſcopo Eugubino inſcriptum eſt, quod unicuique licebit vel pro Benedicto, vel pro Bentivolo interpretari, niſi quod monumentum aliud clarius emergat.

II. Tale eſt, opinor, pervetus apographum primi ejus diplomatis, quod ſupra memoratum eſt, apographum inquam, nam autographum fruſtra conquiſitum, nuſquam reperire licuit. Productum eſt hoc diploma exeunte ſeculo XIII. in cauſa, quae inter commune Eugubinorum, & rectorem ducatus Spoletani agitabatur, de qua dicemus aliquid ubi de Ventura epiſcopo. Itaque in ejus cauſae actis, ſane prolixis, quae extant in codice membranaceo archivi Armanni, iiſdem illis temporibus ſcripto, inſertum eſt ejus diplomatis exemplar, atque

(a) *Archiv. Arman. D pag.* 3.

inſcriptum legitur conceptis verbis: *Dilecto filio Bentivolio epiſcopo Eugubino*. Quare cum ea acta ſcripta fuerint vix annis centum poſt datum Coeleſtini diploma, quo nimirum tempore ejus epiſcopi memoria recentior erat, quam ut ignorari verum ejus nomen poſſet ab Eugubinorum procuratoribus, qui ex autographo diploma illud exſcripſerunt, prorſus incredibile eſt in eo nomine ſcribendo erratum eſſe, ac propterea Bentivoli, ni mavis Bentivolii nomen omnino retinendum cenſeo. Quod autem Lazarellus Bentivolum a Benedicto ſecernit, & illum anno MCLXXXVIII. ſediſſe ſcribit, hunc anno MCXC. id nihili faciendum, ac ceteris hujus infelicis chronographi figmentis adnumerandum cenſeo. Nec me movet, quod Benedictum S. Ubaldi diſcipulum, & eccleſiae Eugubinae priorem fuiſſe ſcribit, eumdemque curaſſe addit, ut Ubaldus in ſanctorum albo ſcriberetur, & S. Gervaſii eccleſiam ampliaſſe, eamque Ubaldo ipſi dicaſſe, poſtquam ſacrum ejus corpus in eamdem intuliſſet: quae ſi vera eſsent, aeque uni Bentivolo convenire poſsent. De eccleſia S. Gervaſii aliquid dicendum eſt ſub S. Vilano epiſcopo, qui ſeculo XIII. floruit.

III. Sed quidquid tandem ſit de nomine hujus epiſcopi, ei ſane multum debent Eugubini cum aliis de cauſis, tum quod apud ſanctam ſedem egit, ut beatiſſimo praeceſsori ſuo Ubaldo divini honores decernerentur, quod a Coeleſtino III. impetravit ad annum MCXCII. Eſt ea de re Pontificium diploma Bentivolo ipſi perhonorificum in Bullario Romano, illud nimirum, quod ſupra indicavimus. Quadriennio ante a Clemente III. obtinuerat, ut ſibi liceret ſanctorum reliquias ex antiqua civitate, quam oportebat jam fere deſertam eſſe, in novam, quae tum condebatur, inferre. Ea etiam de re Clementis III. diploma extabat B. epiſcopo inſcriptum, & datum Laterani XIII. kal. Nov. Pontificatus ejus anno I. hoc eſt anno MCLXXXVIII., atque hoc illud ipſum eſt, quod ab Eugenio memoratum vidimus, ſed ejus tamen neque autographum ipſum, neque exemplum aliquod nanciſci potuimus. Tantum vidimus quamdam ejus ſynopſim in ſaepe jam citato Franciſci M. Armanni codice (a).

IV. Clariſſimus Papebrochius aliquando dubitavit num diploma iſtud ad tertium, an ad quartum Clementem pertineat. Inauguratus eſt Romanus Pontifex Clemens tertius ad annum MCLXXXVIII. quartus autem ad annum MCCLXV. Has vero dubitandi cauſas habuit, nam & eccleſia princeps Eugubina, in qua nunc ea Ss. lipſana condita ſunt, Papebrochio non videbatur *opus turbatiſſimi ejus ſeculi*, &

anno

(a) *Loc. cit.*

anno tantum MCXCI. Henricus Imperator VI. imminentem urbi antiquae montem, *ejuſque appendicias ad aedificandam novam civitatem* Eugubinis conceſſiſe legimus in ejus diplomate apud Ughellum, ex quo fit anno MCLXXXVIII. non potuiſſe in novam civitatem, quae nondum condi caeperat, ea, quae diximus, Ss. corpora transferri.

V. Sed Clementis III. diploma ſupra memoratum, & B. epiſcopo inſcriptum ad Clementem IV. pertinere nullo modo poteſt. Nam circa annum MCCLXV. quo ad Petri cathedram aſcendit Clemens IV. nullus epiſcopus ſedem Eugubinam tenuit, cujus nomen litera B incoharetur, ut ſuo loco videbimus, quod abunde eſt ad hunc Papebrochii ſcrupulum tollendum. Cathedralis vero eccleſia Eugubina, quae nunc eſt, pro antiquitatis more equidem ampla eſt, & magnifica, ſed rudis tamen, nec elegantiori ſtructura, quam quae eo tempore conſtrui potuerit. Novimus enim eodem illo XII. ſeculo exeunte alias plures ſacras aedes, adhuc ſuperſtites, ſi non eleganter, at minus certe rudi opere conſtructas, quam haec eccleſia Eugubinorum cathedralis. Quamquam quid impedit quominus Bentivolum dicamus Ss. reliquias ex antiqua civitate, pene jam diruta, non in hanc quidem quae nunc extat, ſed in aliam eccleſiam, vel jam tum ſitam intra novae civitatis ambitum, vel tunc opere tumultuario excitatam intuliſſe, ne latrociniis paterent in veteri civitate, ubi nec commode, nec fortaſſe etiam tuto epiſcopo, & clero Eugubino degere licebat? Quamvis autem anno duntaxat MCXCI. Henricus VI. Eugubinis permiſiſſe legatur, ut novam urbem conderent, poterant ipſi ſuo marte operi manum admoviſſe, antequam ad Imperatorem confugerent, ut ejus auctoritate imperfectum adhuc vel fortaſſe etiam interruptum opus perficere liceret. Sed haec eruditis Eugubinis excutienda relinquimus.

VI. De hoc epiſcopo pluribus agit Eugubinus hiſtoricus Piccottus, (a) eumque narrat S. Ubaldi diſcipulum fuiſſe, atque ex priore eccleſiae Eugubinae factum eſſe epiſcopum, non ſecus ac S. Ubaldo contigerat. Ejus vero ſanctioris vitae opinione factum ſcribit, ut bona eccleſiae Eugubinae plurimum aucta ſint, piis hominibus palam certantibus, ut eam eccleſiam amplis largitionibus ditarent, idque ſe compertum habere ait ex tabulis in archivo canonicorum ſervatis. Sed ipſe etiam admodum liberalis fuiſſe videtur erga eccleſiam Eugubinam, ut ex tabulis, quas in compendium refert Cantalmajus in ſuis hiſtoriae Eugubinae adverſariis, in archivo Armanno aſſervatis.

(a) *Archiv. Arman. pag. 169.*

Itaque ad annum MCXCII. (diem Cantalmajus omiſit) Bentivolus exemplo Tedaldi anteceſſoris, donat, & confirmat priori, & canonicis eccleſiae Eugubinae locum ipſum, in quo aedificatum eſt epiſcopium S. Mariani, & S. Ubaldi, cum clauſtro, cellis, aedificiis omnibus, & libris, calicibus, ceteriſque eccleſiae ornamentis. Addit plebem S. Joannis ſuburbanam, & S. Mariae in Ghezano, S. Donati de Exercita, cum eccleſia, & parte caſtri Agelli, plebem S. Superantii de Agnana, & S. Mariae, S. Viriani, & S. Patricani (an Patriniani?) de Caſale, cum ſuis juribus, ac bonis omnibus; tum hoſpitalem domum de Grimo, cum eccleſia S. Eleazari, & eccleſiam S. Juliani prope urbis moenia, & S. Bartholomaei, S. Angeli de Fenonica, & S. Georgii, & S. Nicolai, & S. Crucis de Murofracto; locum denique S. Gervaſii, qui pro epiſcopio deputatus fuerat. Optavi fruſtra ejuſmodi tabulas totidem verbis edere, ſed quoniam id non licuit, hoc compendio contentum eſſe oportet.

VII. Edidit Ughellus, ut initio diximus, Coeleſtini III. diploma Bentivolo inſcriptum, datum anno MCXCI. De eo dictum eſt capite quinto praeviae diſſertationis. Edidit etiam Ughellus Henrici VI. diploma, quo permiſit Eugubinis, ut novam civitatem conderent, quod quale ſit, intelliges ex diplomate ipſo, quod hic recudendum eſt, ut menda corrigantur, quibus miris modis deturpatum eſt apud Ughellum.

„ VIII. In nomine Sanctiſſime & individue Trinitatis. Heinricus „ Sextus Divina favente Clementia Romanorum Imperator & ſem„ per Auguſtus.

„ Noſtrorum deſideriis fidelium Imperialis noſtra benignitas facilem „ prebere conſuevit aſſenſum, & eterna futurorum firmare memoria; „ Noverint itaque omnes amplitudinis Noſtre fideles tam preſentis „ etatis quam future, quod Nos cives Eugubinos a banno Imperiali „ abſolventes, omnes offenſas, quas contra Nos, vel noſtros commi„ ſere Nuntios, eis ſincere dimittimus, & nominatim fracturam Ar„ cium Eugubini montis ab ipſis civibus Eugubinis factam, & res „ ab eis inde ablatas, & concedimus eis montem ſuper civitatem po„ ſitum undique cum ſuis apenditiis ad edificandam novam civitatem, „ quam & informare, & reformare ſuo eis liceat arbitrio. ad inter„ ventum quoque fidelis noſtri Cunradi ducis Spoletani, & ad peti„ tionem VValfredutii Martholi Eugubini conſulis, & Adelardi Im„ perialis judicis concedimus eis omnes ſuas poſſeſſiones ubicumque „ ſint conſtitute; & ut pro epiſcopatu, canonica Sancti Mariani, mo„ naſterio Sancti Petri, monaſterio Sancti Donati, monaſterio Sancti

„ Be-

„ Benedicti, monaſterio Sancti Angeli de Claſſerna, monaſterio San-
„ cti Verecundi, monaſterio Sancti Angeli de Aſſino, eccleſiis, poſ-
„ ſeſſionibus, caſtellis, aliiſque pertinentiis ad predictum epiſcopatum,
„ & ad eccleſias prenominatas, ſeu monaſteria pertinentibus, ſcilicet,
„ monte Epiſcopi, Ana, Agnano, monte Ranaldi, monte Luliani,
„ monte Cellii, monte Vitorini, monte Fragario, la Torre, colle Pa-
„ lumbo, Glomiſco, monte Sancte Mariae, Cliſce, Petrojo, la Scleza,
„ Colle Caſalis, Caſtilione Ildebrandi, & vallis Marcula, nulli reſpon-
„ deat predicta civitas, nec duci, neque marchioni, nec ulli alii per-
„ ſone, niſi modo legitimo, ſed nec ſuper fodro, ſeu collecta reſpon-
„ deant alicui, niſi nobis, vel generali nuntio noſtro. Conſules Eu-
„ gubini, qui pro tempore fuerint, facere debent juſtitiam in civita-
„ te ipſa, & in diſtrictu ipſius, & in locis prenotatis; ſi vero facere
„ non poterunt, Imperialis noſtri nuntii requirant auxilium, ab omni
„ namque vexatione, & requiſitione nuntiorum noſtrorum, & alio-
„ rum immunitatem habeant. Niſi quod annuatim in feſto Sancti
„ Martini centum libras Lucenſium Nobis perſolvant. Preter hoc de
„ conſulatu, & bonis eorum conſuetudinibus eos inveſtivimus, & hac
„ Divali ſancientes pagina, ut nullus hominum adverſus hanc noſtre
„ Celſitudinis conceſſionem, aut ſtatutum venire preſumat. Quod ſi
„ quis contrafecerit in ultionem tranſgreſſionis ſue centum libras auri
„ puri pro pena componat, medietate Fiſco Imperiali, & reliqua me-
„ dietate paſſis injuriam perſolvenda. Ut autem hec rata & in per-
„ petuum inconcuſſa permaneat, hanc preſentem paginam inde con-
„ ſcribi juſſimus, eamque Nominis Noſtri Sigillo aureo communiri.
„ Hujus teſtes ſunt

„ Godefridus Patriarcha Aquilegienſis.
„ Philippus Colonienſis Archiepiſcopus.
„ VVillelmus Ravennas Archiepiſcopus.
„ Otto Friſingenſis Epiſcopus.
„ Bonefacius Novarienſis Epiſcopus.
„ Otto Bohemorum Dux.
„ Cunradus Dux de Rotemburch.
„ Heinricus Marchio Romesberch.
„ Theodoricus Comes de Hoſtadin.
„ Comes Gherardus de Roleſtein.
„ Comes Rabodo de Hortemberch.
„ Comes Albertus de Bogin.
„ Heinricus Teſta Mareſcalcus.
„ Et alii quam plures.

„ Si-

„ SignumDomini „ Imperatoris  „ Heinrici Sexti Romanorum „ invictiſſimi.

„ Ego Dirherius Imperialis Aule Cancellarius vice Domini Philippi „ Colonienſis Archiepiſcopi, & tocius Ytalie Archicancellarii reco„ gnovi.

„ Acta ſunt hec anno Domini MCXCI. Indictione nona. Re„ gnante Domino Heinrico Sexto Romanorum Imperatore invictiſſi„ mo. Anno regni ejus XXII. Imperii primo.

„ Datum ante Neapolim per manum Magiſtri Heinrici Prothono„ tarii Nonas Junii.

IX. Fuerat Eugubii Henricus quinquennio ante datum hoc diploma, ut conſtat ex alio diplomate ejuſdem Henrici Peruſinis indulto, ad cujus calcem haec leguntur: *Acta ſunt haec anno dominicae incarnationis MCLXXXVI. regnante Domino Heinrico Romanorum rege glorioſiſſimo anno regni ejus XVII. Datum in campo Eugubii VII. indictione Aug.* (a).

X. Bentivolo ſedente atrox bellum Eugubinorum cum Peruſinis fuit, in quo ſuperiores fuiſſe Peruſinos tradunt, ſed rebus tandem compoſitis foedus initum inter utramque civitatem anno MCLXXXIV. prid. kal. Martii his conditionibus, ut quos amicos, inimicoſve habituri eſſent Peruſini, eoſdem Eugubini eodem loco haberent, & quoties Peruſini bellum ſuſcepiſſent, toties Eugubini praeſto eſſe, eandemque Martis aleam ſubire deberent (b).

XXV.

MARCUS.

I. *Marcus monachus S. Benedicti de Avellana hanc ſedem obtinuit an. MCXCIII. interfuitque cum aliis XII. epiſcopis conſecrationi eccleſiae Avellanenſis, peractae a Julio Cardinali legato.* Haec de Marco Ughellus, & Ughelli pediſequus Lucentius, in paucis verbis multa peccantes. Nam primo quidem Avellanenſe illud noſtrum aſceterium numquam

(a) *Extat in lib. ſubmiſſion. in archiv. Eugub. pag.* 35. (b) *Ciat. Peruſ. Pontific. lib.* 7. *ad an MCLXXXIV.*

quam S. Benedicti, ſed S. Crucis titulum ab ipſa ſui origine geſſit; nec eccleſia illa a Julio Cardinali, ſed a Marco epiſcopo cum aliis duodecim vicinarum eccleſiarum epiſcopis conſecrata dicitur, *praeſente D. Gentile venerabili S. R. E. legato*. Sic enim diſerte legimus in tabulis ea de re confectis, quas dabimus in antiquitatibus Avellanenſibus. Nec denique ad annum MCXCIII. Marcus Eugubinae praeſidebat eccleſiae, ex monumentis enim in Avellanenſi archivo adſervatis palam fit, anno MCXCV. Junio menſe (a) Marcum adhuc praefecturam Avellanenſem geſſiſſe; erat enim Avellanenſium moderator ſummus, cum epiſcopus Eugubinus electus eſt.

II. Atque hoc quidem Ughelli erratum tertio loco correctum, quamquam in ſpeciem leviſſimum, tamen notandum fuerat ad epocham translationis S. Ubaldi confirmandam. Cum enim nihil verosimilius ſit, quam anno MCXCIV. translationem eam eſſe factam ſub Bentivolo epiſcopo, ut pluribus oſtendit Papebrochius (b) refragari tamen videbatur huic epochae Ughelli chronologia, Marcum in cathedra Eugubina ſtatuentis ad annum MCXCIII. Id cum animadvertiſſet Papebrochius, quamquam nullum in promptu haberet monumentum, quo Marci electionem traheret citra annum MCXCIV. vel ſaltem citra diem XI. Septembris ejus anni, quo die S. Ubaldi translatio facta dicitur; tamen Ughelli chronologiam, quam optime conſtitutam translationis S. Ubaldi epocham abjicere maluit. Marcus itaque eo temporis intervallo, quod a Junio menſe anni MCXCV. ad VIII. cal. Auguſti conſequentis anni MCXCVI. fluxit, ad Eugubinam ſedem eſt evectus. Ut enim Junio menſe anni MCXCV. tabulae Avellanenſes Marcum priorem habent, ita ad VIII. cal. Auguſti Albericum produnt (c).

III. Habuit Marcus gravem, & acerbam cum Rainerio abbate divi Petri controverſiam, qua de re Innocentium III. Peruſii agentem adiit, ut ſua auctoritate quaeſtionem finiret, quod poſtea fecit iis litteris, quae *Decretal. lib. V. tit. XXXIII. de privileg. cap. cum olim*; & inter ejus Pontificis epiſtolas pag. 416. edit. Venet. anno MDLXXVII. referuntur, quas videre poteſt ſi quis eſt, qui ejus controverſiae cauſam, exitumque noſſe cupiat. Quare ne illud quidem Ughello dandum, obiiſſe Marcum ante annum MCXCVIII. vel eo ſaltem anno; nam eo anno Raphaelem Salutium Eugubinam cathedram tenuiſſe dicit, quod eſt omnino fallum. Obiit enim Marcus ad XXVI. Januarii diem ex necrologio Avellanenſi, ubi ad eum diem haec leguntur. *Obiit D.*

(a) *Archiv. Avel. membran. faſc. XV. num. 5.* (b) *Append. ad d. XVI. Maii.* (c) *Archiv. Avel. membran. faſcic. XVI. num. 1.*

domnus Marcus epiſcopus Eugubinus monachus noſtrae congregationis: Innocentius autem III. ſub initium anni MCXCVIII. Pontifex creatus ſtatim Peruſium profectus eſt, ut admodum difficile eum ante XXVI. Januarii diem adire potuerit Marcus epiſcopus Eugubinus. Saltem igitur trahendus videtur Marci obitus in annum conſequentem MCXCIX. Imo cum nullum certum monumentum extet ullius epiſcopi, qui inter Marcum hunc, & Albertum fuerit an. MCC. electum, de quo paulo poſt dicturi ſumus, a vero non abhorret, Marcum ad diem uſque XXVI. Januar. an. MCC. vitam produxiſſe.

IV. Rem Eugubinam, exeunte ſeculo XII., optime conſtitutam conjicio ex eo conſilio, quod a Callienſibus coeptum eſt ſe ſe commendandi Eugubinorum fidei ac tutelae. Sunt ea de re tabulae ſatis prolixae in archivo ſecretiore Eugubinorum, ex quibus hanc particulam aliquando exſcripſimus ex Angelini adverſariis.

Inomine, &c. Anno MCLXXXXIX. indic. II. tempore Innocentii Pp. III. Ego quidem in Dei nomine Accunſortus Bonus Callienſis civitatis conſul bona & ſpontanea mea voluntate & parabola domni Alloderii Callienſis epiſcopi ac domni Martini S. Geruntii abbatis, & domni Ranerii canonici & prioris Callienſis, & cum voluntate totius populi civitatis promittimus noſtram civitatem Callienſem vobis Eugubinorum conſulibus in perpetuum &c. & jurabunt obedire praecepto Eugubii, item cuſtodire perſonas &c. & annualiter in feſtivitate S. Ubaldi dare ad ſuam aram unum cereum bonum, & ornatum conveniens (a),

XXVI.

RAPHAEL.

Raphael de Salutiis floruit MCXCVIII. cujus in quodam inſtrumento memini ſucceſſor. Pauca haec de Raphaele Ughellus, nec ſatis certa. Non plura apud Lucentium. Et vero inſtrumentum illud ab Ughello citatum fruſtra quaeſitum eſt, nec ſi quidem repertum eſſet, fortaſſe ad Raphaelis epiſcopatum ſua in ſede locandum ſufficeret. Fac enim eſſe qualdam tabulas, ſedente Alberto epiſcopo, hic enim eſt Raphaelis ſucceſſor, quem indigitat Ughellus, conſcriptas, in quibus Raphaelis mentio fiat, num inde ſtatim intelliges, quo tempore cathedram Eugubinam tenuerit? Quod ſi Albertus anno MCC. ut habet Ughellus, & quidem Januario menſe, ut Lazarellus autumat, epiſco-

(a) *Ex lib. privileg. in archiv. Eugub. pag. 69. Vidit Angelin.*

piſcopatum geſſit Eugubinum, minus exiguum temporis ſpatium Raphaeli relinquitur, quo eam eccleſiam obtinere potuerit, praeſertim cum credibile non ſit, Marcum epiſcopum ante annum MCXCIX. diem obiiſſe extremum, ut ante diximus. De Raphaelis Salutii ſede dubium auget Piccottus (a), qui eum Juliani ſucceſſorem, & S. Joannis Laudenſis praeceſſorem facit ac rurſum memoria lapſus Alberto Raphaelem ſucceſſiſſe pronunciat circa annum MCCIX. (b). Id argumento eſt Piccotto ipſi nihil certi affulſiſſe de tempore, quo Raphael eccleſiam Eugubinam gubernavit. Dubium auget Lazarellus, qui Raphaelem Salutium in ſuo catalogo praeterit. Sed is tamen vixiſſe videtur poſt S. Ubaldum, ſi quid boni colligi poteſt ex indiculo illo antiſtitum Eugubinorum per Joannem Soperchie conſarcinato, cujus particulam dedimus ſupra, ubi de Offredo.

XXVII.

ALBERTUS.

Anno MCC. electus naturae debitum ſolvit ann. MCCV. ſi Ughello fides. Porro ſub initium anni MCC. jam fuiſſe electum conſtare ait Lazarellus ex diplomate Innocentii II. dat. eodem anno die xx. Januarii. Innocentium III. voluit, opinor, Lazarellus; is enim per eos dies in Petri cathedra ſedebat. At praeter unum Lazarellum, hoc ejus diploma nemo unquam ſe vidiſſe memorat. Eo ſedente vetus diſſidium recruduit, vel novum excitatum eſt inter abbatem divi Petri, & epiſcopum Eugubinum. Sed tandem Romano Pontifice volente a Benedicto cardinali S. Suſannae, ad cujus judicium itum erat, ſublatum eſt iis conditionibus, quas Lancellotus in hiſtoria Olivetana commemorat (c); Olivetanae enim familiae monaſterium illud poſteriori aetate accrevit.

Eſt apud Ughellum Innocentii III. diploma Alberto inſcriptum, quo eccleſiae Eugubinae jura, ac bona univerſa confirmantur, ſed mendis undique ſcatet. Datum dicitur anno MCCV. xi. cal. Maii indictione vi. anno Innocentii III. nono, quae componi nullo modo poſſunt. Anno enim MCCV. menſe Majo indictio octava numerabatur, & Innocentius annum ſedis ſuae octavum nondum expleverat. Sunt etiam corruptiſſime ſcripta locorum nomina, quae in eo diplomate memorantur. Vide quae de eo dicta ſunt in quinto capite diſſertationis praeviae.

(a) *Pag.* 110. (b) *Pag.* 118. (c) *Lib. II. pag.* 312.

Per haec tempora, quibus Albertus vixiſſe dicitur, Eugubini, excuſſo imperialium jugo, ad ſedem apoſtolicam redierunt. Philippo enim Sveviae, & Otthone Saxoniae ducibus, de imperio certantibus, facile potuit Innocentius III. cum Spoletano ducatu, aliiſque civitatibus Eugubinam quoque recuperare, ut narrat ejus vitae ſcriptor ſub initium.

In Alberti locum clerus Eugubinus Raynaldum canonicum elegerat, quod cum Innocentius III. improbaſſet, Vilanum, de quo mox dicemus, Eugubinorum antiſtitem eſſe voluit. Ea de re extant Innocentii litterae dat. Romae VI. cal. Decembris anno IX., anno ſcilicet MCCVI. Eas Ughellus in regiſtro Vaticano viderat. A vero igitur aberravit plurimum Piccottus, qui Alberto ad annum MCCIX. Raphaelem ſucceſſiſſe ſcripſerat, ut ſupra monuimus. Nec minus erravit Michael Angelus Eugenius, qui in additionibus ad catalogum antiſtitum Eugubinorum Raphaelem Alberto ſuffecerat ad annum MCCV. Magis vero ferendus Lazarelli lapſus, qui hic Raynaldum inſeruit, quem alias ab Eugubino clero electum diximus, licet ab Innocentio improbatum.

XXVIII.

S. VILANUS.

I. Ex laudata Innocentii III. epiſtola anno MCCVI. electus Vilanus, diu, multumque eccleſiam Eugubinam tenuit. De eo prid. non. Maii agit Henſchenius, rerum a Vilano geſtarum brevem, ſed luculentam recitans ſynopſim, ex Ludovici Jacobilli commentariis de ſanctis, & beatis Umbriae petitam, in qua illum apud monaſterium S. Crucis Fontis Avellanae vitam monaſticam ante epiſcopatum egiſſe, tum in epiſcopatu ſanctiſſime vixiſſe, & miraculorum etiam gloria claruiſſe narrat. Et haec quidem, opinor, veriſſima. At cetera expendenti, quae ex Jacobillo, auctore non admodum accurato, affert Henſchenius, nonnulla occurrunt, quae vel emendatione, vel interpretatione egent. Ait enim a Vilano conditum noſocomium S. Spiritus pro pauperibus aegris. Piccottus, rerum Eugubinarum ſcriptor, ſaepe nominatus, S. Spiritus hoſpitalem domum (neque enim ex eo intelligere licet, fuerit ne pro infirmis, an pro peregrinis, an denique pro pauperibus) a Vilano erectam narrat, atque in eam poſtea migraſſe ait moniales, quas de paradiſo appellabant. Dicere pergit ex Jacobillo Henſchenius conſtructum a Vilano ſub regula S. Benedicti *monaſte-*

ſterium S. Mariae, Pelagium dictum, ad annum MCCXXVI. At num pro monachis, an pro monialibus, quis divinet? Fuit apud Eugubinos notiſſimum puellare S. Mariae de Pelagio, alias de Palladio. Hoc autem conditum fuiſſe ſolo, dato a Vilano epiſcopo, ipſoque in primis agente, & curante, tradunt tabulae archivi monialium S. Benedicti, quod monaſterium apud Eugubinos longe florentiſſimum ex vetere illo S. Mariae de Pelagio exiſtit. Aſcetriae porro, quae eo loci a Vilano inductae ſunt, ex iis fuere, quae poſtea Clariſſae ſunt appellatae: tunc Damianiſtae, ſive ex ordine S. Damiani, vulgo dicebantur. Erat religioſum illud inſtitutum per eos dies exortum, & late propagatum per ſanctiſſimam virginem Claram Aſſiſiatem, S. Franciſci conterranei ſui alumnam, atque imitatricem, quae, ut ille virorum, ſic ipſa foeminarum novum ordinem, ad maximam eccleſiae Dei utilitatem, inſtituit. Conſtat autem hujus inſtituti aſſeclas S. Benedicti regulam initio ſervaſſe, ut nos etiam alio loco dicemus, ubi de Jacobo epiſcopo. Hinc moniales illae ad Pelagii locum a Vilano conſtitutae, in tabulis ea de re confectis (a) ad annum MCCXXVI. id. April. vixiſſe dicuntur *ſub regula S. Benedicti, & inſtitutione monialium recluſarum S. Damiani Aſſiſii.*

II. Addit Henſchenius inſequenti anno, hoc eſt anno MCCXXVII. erexiſſe Vilanum aſceterium aliud ſecundum ordinem S. Clarae, quod S. Angeli de Caliis cognominatum ſit. Sed hic primum de anno dubius ſum. In Angelini ſchedis id accidiſſe lego ad annum MCCXXXVII. Utri adhibenda fides, non definio, quamquam Angelinus laudat tabulas, in archivo monialium S. Benedicti aſervatas, quas ipſe vidit. De nomine etiam ejus monaſterii Henſchenio non aſsentior. Apud Angelinum S. Angeli de Cuti appellantur, quod petitum eſt ex iiſdem tabulis. Rectius etiam ordinis S. Damiani, quam S. Clarae dictum fuiſſet; inauditum enim per eos dies S. Clarae ordo. *Ejus etiam auctoritate conſtructam* ait Henſchenius *eccleſiam S. Bartholomaei in abbatia, Camporegio dicta.* Id habet etiam Ferrarius in catalogo Ss. Italiae ad diem ſeptimam Maii, quod tamen non ita eſt intelligendum, quaſi eccleſia ejus abbatiae, quae S. Bartholomaeo dicata erat, per eos dies excitata fuerit: ad ſummum enim reaedificari, & reſtitui poterat ea eccleſia, quae extabat jam multis ſeculis ante illud tempus. Sed id unum abbati Camporegiani monaſterii indulſit Vilanus, ut oratorium, ſic enim appellatur in Vilani diplomate (b), certo quodam loco extra monaſterii ſepta conſtruere poſſet, quod inconſul-

(a) *Extant in archiv. S. Benedicti, & cod. DDD. in 4. ia archiv. Arman.* (b) *Ex tabul. archiv. S. Petri. Vidit Angelinus.*

to epiſcopo non licebat. Eſt nunc Camporegiana abbatia monaſterio Eugubino S. Petri conjuncta, de qua plura Lancellotus in hiſtoria Olivetana (a).

III. Quod autem Vilanus dicitur civitatis ſuae parochias diviſiſſe, & ſingulas ſuis limitibus diſtinxiſſe, id etiam vereor, ne de ſola S. Secundi parochia intelligendum ſit, nam hujus certe terminos a Vilano conſtitutos novimus (b) anno MCCXXIX. id. Aug. priore ejus loci Alberto, ceterarum vero non item. His addere licebit, ab eodem Vilano ſenarium clericorum numerum in ea eccleſia praefinitum, ſenarium inquam, ne quis vicenarium putet, ut alicubi me legiſſe memini. Quod autem de hoc clericorum numero Vilanus decreverat, Honorius III. ratum habuit ſuo diplomate, quod eſt inſcriptum B. rectori, & clericis eccleſiae S. Secundi, & datum Tibure anno IX. At hic obiter animadvertes pro S. Secundini, quod in antiquioribus monumentis legitur, S. Secundi nomen jam obtinuiſſe. En diplomatis exemplum, olim in archivo Armanno viſum, & nuper ab humaniſſimo Repoſato tranſmiſſum.

Honorius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei dilectis filiis B. rectori & clericis eccleſie S. Secundi Eugubinen. dieceſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem prebere conſenſum, & vota que a rationis tramite non diſcordant effectu proſequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis precibus inclinati ſenarium clericorum eccleſie veſtre numerum, quem proponitis a venerabili fratre noſtro..... Eugubinen. epiſcopo taxatum, ſicut eſt deliberatione provida inſtitutus, auctoritate apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes, ut predicto clericorum numero prefata eccleſia ſit contenta, niſi adeo excreverint ipſius eccleſie facultates, quod prefatum numerum exigant augmentari. Salvo in omnibus apoſtolice ſedis mandato. Nulli ergo &c. Datum Tybure XVII. kal. iunii, pontificatus noſtri anno nono. Pendet bulla plumbea cum uſitatis imaginibus Ss. Petri & Pauli, & Honorii Papae nomine in hunc modum HONORIUS.PP.III.

Canonici quoque cathedralis eccleſiae ſuum ſibi numerum per eos dies praefinierunt, in conventu celebrato coram Vilano epiſcopo, in quo, Vilano ipſo probante, ſtatutum eſt, ut deinceps vicenarium numerum non excederent, tunc enim erant aliquanto plures (c). Ne quid autem omnino praetereamus, quod de eximio hoc epiſcopo nanciſci potuerimus, id etiam adjungemus, permiſiſſe illum abbati mo-

na-

(a) *Hiſtor. Olivet. l. II. c. 50.* (b) *Ex tabul. archiv. S. Secundi.* (c) *Arman. epiſt. lib. III. pag. 464.*

naſterii S. Donati de Pulpiano, ut nobili Eugubino Mainardo Suppolini, in beneficium perpetuo traderet Chiomiſci caſtrum, quod ejus monaſterii erat, ut memoriae prodidit hiſtoriarum Eugubinarum ſcriptor Piccottus (a).

IV. Sanctum quoque Franciſcum Aſſiſiatem in paucis carum habuit, qui & Eugubii fuit ejus temporibus, & mira quaedam in illa civitate, divina virtute patravit. Ejus alumnos Vilanus Eugubium accerſiſſe dicitur, eiſque domicilium datum eſt ad *Victorinae* locum, ut auctor eſt Bernius (b), qui etiam ſcriptum reliquit, in eo conventu cum eximiae ſanctitatis opinione vixiſſe Petrum Eugubinum, & alterum item Petrum Gualdenſem, ſanctum Petrum poſtea appellatum, quamquam hunc Jacobillus Aſſiſiatibus adſcribit. Sed Bernius Jacobillo praehabendus, eſt enim & antiquior, & patriae hiſtoriae peritior. De ſuis etiam canonicis cum aliis nominibus, tum eo in primis optime meritus eſt Vilanus, quod iis domum urbanam in regione S. Mariae donavit (c), quemádmodum & monachis Camporegiani monaſterii in perpetuum beneficium praedia nonnulla attribuit (d). Hoc anno MCCXIII. Aprili menſe, illud anno MCCXXI. prid. non. Jan. actum eſt, ut publicae tabulae declarant.

V. Jam vero ſi annum quaeras, quo Vilanus mortalitate ſolutus eſt, Henſchenius annum prodit MCCXXX. nimium in hoc etiam Jacobillo credulus. Certe ad annum ſaltem MCCXXXIII. Vilanum in vivis fuiſſe oportet. Cum enim anno MCCXXXII. Simoni archipresbytero S. Gervaſii mandaſset, ut cauſam quamdam matrimonialem cognoſceret, iſque ad eum, quae ſibi ea de re eſſent comperta retuliſſet, Vilanus anno, qui ſecutus eſt, nimirum MCCXXXIII. Januario menſe cauſam illam prolata ſententia definivit, & conjugium, de quo erat controverſia, ratum, ſanctumque habendum decrevit (e). Sed quid quod Vilanus dicitur puellare S. Angeli de Cotis ad annum MCCXXXVII. condidiſſe? Id ſupra animadvertimus ex Angelini ſchedis. Quod ſi re ipſa Paulus epiſcopus, quem Ughellus Vilano ſubjicit, in epiſcopis Eugubinis numerandus eſt, aliquanto ante annum MCCXL. Vilani obitum accidiſſe oportet, quo ſcilicet anno Jacobus cathedram Eugubinam obtinebat, ut infra demonſtrandum eſt. Incertus ergo extremus Vilani annus.

VI. At pro Henſchenii ſententia militat titulus ad Vilani aram in eccleſia cathedrali Eugubina poſitus, qui eſt hujuſmodi:

DIVO

(a) *Extat mſſ. in archiv. Arman.* (b) *Rer. Italic. ſcript. To. XXI. pag. 922.* (c) *Archiv. Arman. lib. D pag. 167.* (d) *Ex tabulis in archiv. S. Petri.* (e) *Lib. D pag. 239. in archiv. Arman.*

DIVO VILLANO
ECCLESIAE EUGUBINAE PRAESULI
EGREGIA BONITATE, MIRA TEMPERANTIA, SINGULARIQVE INTEGRITATE
PRAEDITO ANNO AB ORBE REDEMPTO
MCCXXX.

Verum haec inſcriptio non admodum antiqua eſt, & a quopiam etiam reformata, nam in Lazarelli catalogo, ad calcem ſynodi Eugubinae Alexandri Sperelli, pro anno MCCXXX. habetur annus MCCXL. addito inſuper anno aetatis S. Vilani in hunc modum NATUS ANNOS LXX. Ex ea igitur inſcriptione annus Vilani extremus definiri non poteſt, quemadmodum nec ſeptuaginta annorum aetas, de qua nullum aliunde monumentum ſuppetit. Quare id etiam in Henſcheniano elogio reprehendendum, quod Vilanus dicitur, *cum annos quinque, & viginti gregem ſuum paviſſet, annos natus ſeptuaginta ad coeleſtia paſcua migraſſe*. Haec igitur omnia & admodum obſcura, & incerta, nec ita facile lucem aliunde poſsunt accipere, quia beatiſſimi hujus epiſcopi auctorem nullum antiquum habemus, qui res geſtas monumentis literarum mandaverit. Id unum certo affirmare licet, Vilanum aliquanto ante annum MCCXL. migraſse ad ſuperos, ut ſupra indicavimus, & magis etiam conſtabit ex iis, quae infra dicturi ſumus.

VII. Neque vero magis certus eſt dies, quo Vilanus mortalitate ſolutus eſt, quamvis ex Jacobillo Henſchenius nonis Maii obiiſse ſcripſerit, quem diem habet etiam Ferrarius (a), aliique. Eſt in tabulario canonicorum eccleſiae Eugubinae vetuſtum Breviarium, in membranis ſcriptum, eique de more praefixum eſt Kalendarium ejus eccleſiae, in quo ad diem prid. non. Maii feſtum S. Vilani epiſcopi conſignatur in hunc modum: *Prid. non. S. Jobis ante portam latinam; & feſtum S. Vilani epiſcopi eugub.* Eo fit, ut diem emortualem ſancti hujus epiſcopi, ſextum Maii fuiſse exiſtimem. Sed poſtea tamen uſus obtinuit in eccleſia Eugubina, ut ejus memoria in diem poſterum transferretur, propter ſolemne officium S. Joannis *ante portam latinam*.

VIII. Reſtat nunc, ut de Vilani religioſo cultu dicamus, cujus multa nobis ſuppetunt argumenta. In primis enim non Beatus modo, ut

(a) *In catalog. Ss. Italic. VII. Maii.*

ut paſſim apud Henſchenium, alioſque ſcriptores audit, ſed Sanctus etiam antiquitus appellatus eſt, imo ſi vetera, quae de eo ſuperſunt, monumenta expendamus, non alio quam Sancti titulo donatum comperiemus. Ita enim vero appellatur in vetere illo Kalendario eccleſiae Eugubinae, quod modo indicavimus, in quo poſteriore quidem manu, ſed tamen admodum antiqua, *S. Vilani feſtum* conſignatum eſt. Ubi illud maxime ad rem noſtram facit, quod, cum S. Joannis *ante portam latinam* memoria nigris literis notata ſit, S. Vilani feſtum eſt minio ſcriptum, ad majoris nimirum celebritatis ſignificationem. Atque hinc etiam conjicere fas eſt, & ipſo die S. Vilani officium in cathedrali eccleſia olim celebrari conſueviſſe, qui tamen mos in deſuetudinem abiit. Accedit notatiuncula illa, quam Bollandiani rurſum obiter de S. Vilano agentes ad diem XVII. kal. Jun. (a) afferunt, quamque adjectam eſſe dicunt ad calcem antiqui codicis, quo S. Joannis Laudenſis vita continetur. Ea eſt hujuſmodi: *Circa annum Domini MCCXXX. S. Vilanus fuit epiſcopus in latere montis ſubtus arces conſtituto*. Denique auctor ejus carminis Italici, qui viſionem cujuſdam monachi Avellanenſis, veram ne, an fictam, parum intereſt, verſibus deſcribit, quemque alibi nominavimus, inter ceteros beatos coelites, Eugubinorum patronos, ſanctum quoque Vilanum recenſet, & miraculorum gloria illuſtrem praedicat (b). Vivebat is circa annum MCDLXX. ut alibi diximus. Non eſt igitur ambigendum, Vilanum epiſcopum, uti ſanctum in eccleſia Eugubina agnitum fuiſſe multis ſeculis ante noſtrorum temporum memoriam.

IX. Ejus nunc corpus integrum, & incorruptum ſupra notiſſimam aram, de ſuo nomine dictam, in cathedrali eccleſia Eugubina decenter conditum jacet, novis, ſacriſque veſtibus indutum anno MDCCXXVIII. IV. kal. Maj a Soſteneo Cavalli, ejus in cathedra Eugubina ſucceſſore. Vilani memoria nunc celebratur in cathedrali eccleſia Eugubina non. Maj. curante Maſſarellia familia; quae beatum hunc epiſcopum, quaſi gentilem ſuum colit. Sed eccleſiaſticum de eo officium non agitur.

X. Hactenus quae ad Vilanum ſpectabant pro modulo noſtro perſecuti ſumus, reliquum eſt nunc, ut ſi quid occurrit memoria dignum, quod eo ſedente apud Eugubinos geſtum ſit, illud in apertum proferamus, vel ſaltem brevi opera indicemus. Prodeant ergo primum Gre-

(a) *Tom. III. Ss. Maii in commentar. praev. ad vit. S. Ubaldi n. VIII.*

(b) Fece chiamar queſt'altro con coſtoro
Lo epiſcopo beato S. Vilano
Lucido de miracoli come oro. *Ex cod. archiv. Arman.*

Gregorii IX. literae, quas olim Eugubii excripſimus. Ex his conſtabit, quae fortuna olim fuerit vetuſtae eccleſiae S. Gervaſii.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis, poteſtati, conſiliariis, & communi Eugubino ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Significante nobis dilecto filio archipresbytero plebis S. Gervaſii (a) *nos noveritis accepiſſe, quod cum olim eadem plebs eſſet in ſummitate montis cujuſdam ſuper Eugubinam civitatem poſiti in loco munitiſſimo conſtituta, Gabriel tunc Eugubii poteſtas, & vos filii, conſiliarii, & commune per locum illum vobis, & civitati prefate, timentes impoſterum maximum prejudicium generari, & munitionem deſtruere volentes ipſius plebem deſtrui feciſtis, tandem quod ipſam expenſis propriis in loco conſtitueritis alio firmiter promittentes, prout in inſtrumento exinde confecto plenius dicitur contineri. Nunc autem vos conſiliarii, & commune veſtre promiſſionis obliti, ac etiam tu fili poteſtas, id efficere contradicitis motu proprie voluntatis. Nos igitur non minus animarum veſtrarum ſaluti, quam plebi jam dicte providere volentes univerſitatem veſtram rogandam duximus attentius, & monendam per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus plebem ipſam juxta promiſſionem veſtram ſine dilatione, & difficultate qualibet conſtruere procuretis. Alioquin venerabili fratri noſtro .... Nucerinen. epiſcopo noſtris damus literis in mandatis, ut vos ad id per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota previa monitione, compellat. Dat. Perufii* XVIII. *Kal. dec. Pontificatus noſtri anno* III. Pendet bulla plumbea in qua hinc de more Ss. Petri, & Pauli expreſsa capita cum his literis: S. PA. S. PE. inde vero GREGORIUS PP. NONUS.

XI. Damus hic alias Gregorii IX. literas epiſcopo, capitulo, & clero Eugubino inſcriptas, contra Friderici II, fautores, quas ex Angelini ſchedis exciripſimus.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei epiſcopo, capitulo, & clero Eugubino. Ad veſtram credimus notitiam perveniſſe, qualiter nos excommunicavimus F., dictum imperatorem, & omnes contra Romanam eccleſiam faventes eidem. Verum Raynaldus, & Bertoldus (b) *filii quondam ducis Conradi, cum invadere ceperint eccleſiæ patrimonium, excommunicationis ſen-*

(a) *S. Ubaldi corpus in eccleſia plebis S. Gervaſii in monte Eugubino tumulatum jacere, multorum opinio eſt, idque prae ceteris tradit in Benedicto epiſcopo Lazarellus, idemque auctor eſt, S. Gervaſii eccleſiam poſt illatum S. Ubaldi corpus huic beato epiſcopo dedicatam fuiſſe, unde factum ſit, ut priſtina appellatione obſoleſcente ex ſancti Ubaldi nomine deinceps dicta ſit. Verum haec omnia vix conciliari poſſe videntur cum iis, quae in hiſce Gregorii IX. literis habemus.*

(b) *Raynaldi hujus cum gravi querimonia meminit idem Gregorius IX. in prolixa ad archiepiſcopum Cantuarienſem, & ejus ſuffraganeos epiſtola apud Labbeum tom. XIII. concil. pag. 1149. ep. XII. Raynaldum vero ipſum, & Bertoldum ejus fratrem ab eccleſiae communione ſeparaverat, una cum Friderico Imperatore anno MCCXXIX. ut eſt apud Raynaldum in annalibus eccleſiaſticis ad hunc annum n. XXXVII. Sed vide Gregorii clementiam ſingularem erga duos hoſce nefarios homines apud eundem Raynaldum ad annum MCCXXXI. n. V. & VI.*

ſententiam incurrerunt, propter quod univerſis, & ſingulis diſtrictius inhibemus, ne conſilium, auxilium, aut favorem illis impendant, cum excommunicaverimus omnes eorum conſiliarios, auxiliarios, & fautores, & vos ab imperatoris fidelitate abſolverimus univerſos. Si quid enim in perſonis, vel rebus tales propter hoc ſuſtinuerint, ſibi poterunt imputare. Contra quos inſuper duximus ſtatuendum, ut nullus eorum ad poteſtariam, vel aliud officium civitatum, aut aliorum locorum de cetero aſſumatur; excommunicentur etiam electores ipſorum: ac civitates, & loca, quamdiu habuerint ibidem officia, ſubjaceant interdicto. Præterea omnibus beneficiis, ſeu feudis, quæ tenent ab eccleſiis, ipſo ſint jure privati, eorumque filii non admittantur ad beneficia, vel dignitates eccleſiaſticas ſine diſpenſatione ſedis apoſtolicæ ſpeciali; nec hujuſmodi excommunicati abſolutionis poſſint beneficium obtinere, niſi per annum facturi moram in ſervitio terræ ſanctæ, & tantum expenſuri ad minus ibidem, quantum eos ab illis conſtitit percepiſſe. Quocirca præſentium vobis auctoritate diſtricte præcipimus, quatenus inhibitionem noſtram, & eaſdem ſententias, ac quod ſuper hoc in pœnam prædictorum ſtatuimus, publicantes diebus dominicis, & feſtivis tam prædictos R., & B., quam conſiliarios, auxiliarios, & fautores eorum, & nominatim ſi qui ſunt de veſtra civitate, vel diſtrictu cum illis, excommunicatos a nobis, ſolemniter nuntietis, publice nihilominus proteſtando, quod tales non aliter, quam prædictum eſt, poterunt abſolutionis beneficium obtinere. Et ecce dilectum filium ..... ſubdiaconum, & capellanum noſtrum merito probitatis ſuæ nobis, & fratribus noſtris acceptum, ad vos duximus deſtinandum, quem benigne recipientes, ob reverentiam apoſtolicæ ſedis, & noſtram, ei ſuper iis devote, & efficaciter intendetis. Datum Peruſii, &c. (a).

XII. Idem Gregorius aliud diploma, eodem anno Pontificatus ſui tertio, dederat pro eccleſia Eugubina, quod indicat Ughellus. *Datum* dicitur *Peruſii per manus Marini S. R. E. Vicecancellarii* XV. *kal. febr. indic. II. Incarnat. dominic. an. MCCXXIX.* Subſcribunt poſt Gregorium Pontificem Cardinales undecim.

XIII. De rebus Eugubinorum per eos dies id certo affirmare poſſumus, numquam plura ab iis bella geſta, aut foedera inita, amicitias, ſimultateſve periculoſiores cum vicinis ſuſceptas, quam eo tempore, quo Vranum epiſcopum habuerunt. Cum Peruſinis potiſſimum ſaepe, atque incerto marte pugnatum eſt, de quo plura apud ſcriptores Peruſinae hiſtoriae. Civitas interim Eugubina amplificata eſt, & populo aucta, favente Ottone IV. Imperatore, ut ex ejus diplomate manifeſtum eſt,

(a) *Scripta videtur hæc epiſtola paulo poſtquam Gregorius anathemate confixit Fridericum cum ſuis, anno ſcilicet MCCXXIX. circa Auguſtum menſem, ut ex Raynaldo ad eum annum n. XLI.*

quod ab Ughello mendoſiſſime editum, ad fidem autographi hic recudendum fuit.

XIV. *In Nomine Sancte & individue Trinitatis. Otto Quartus Divina favente Clementia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus.*

Decet Imperialis Majeſtatis Celſitudinem fidelium petitiones benigne admittere, & eorum juſta vota & deſideria pio favore complere. Quotiens enim fidelitas diligenter attenditur, ſubjectorum corda ad bene ſerviendum devotius roborantur, & Imperatoria Munificentia extollitur altius & ſublimatur. Noverit itaque univerſorum Imperii fidelium tam preſens etas, quam ſucceſſura Poſteritas, quod Nos attendentes puram fidem, & devocionis conſtantiam, quam dilecti fideles Noſtri Cives Eugubini circa Majeſtatem noſtram fideliter gerunt & devote: Conſiderantes etiam ſervitia, que Imperio ex animo exhibuerunt devoto, de innata Munificentia Celſitudinis Noſtræ, & ad interventum Conſulum ejuſdem Civitatis, videlicet Pauli, & Bernardini, nec non & Civium ejuſdem Civitatis Hermanni Salinguerre, & Stantioli Judicis ordinarii fidelium Noſtrorum, confirmamus Civitati Eugubine privilegia quondam Imperatoris Frederici, & Imperatoris Henrici pie memorie predeceſſorum noſtrorum; ut liceat Civibus ejuſdem Civitatis augere Civitatem ipſam, & informare & reformare ſuo arbitrio, & concedimus & confirmamus eis omnes ſuas poſſeſſiones ubicumque ſunt conſtitute: Videlicet ut ipſa Civitas cum ſuis Civibus, & omnes habitantes in ea, & in ſuis appenditiis preſentes & futuri cum ſuis poſſeſſionibus, una cum Eccleſiis ſuis, atque tenimentis, que nunc juſte habent, vel in antea juſtis modis acquirent, hoc eſt Epiſcopatus, Canonica Sancti Mariani, Monaſterium Sancti Petri, Monaſterium Sancti Donati, Monaſterium Sancti Benedicti, Monaſterium Sancti Angeli de Claſſerna, Monaſterium Sancti Verecundi, Monaſterium Sancti Angeli de Aſſino, cum Eccleſiis, poſſeſſionibus, Caſtellis, aliiſque omnibus pertinentiis neceſſariis ad predictum Epiſcopatum, & Eccleſias nominatas, ſeu Monaſteria pertinentibus. Scilicet Monte Epiſcopi, Ana, Agnano, Monte Ranaldi, Monte Luliani, Monte Cellii, Sancto Victorino, Monte Fragarum, Turre, Colle Palumbo, Glomiſcho, Monte Sancte Marie, Cleſii, Petrojo, Sckeza, Colle Caſalis, Caſtiglione Ildebrandi, & Valle Marcula, nulli reſpondeant, neque Duci, neque Marchioni, nec ulli perſone, niſi modo legitimo, ſed nec ſuper fodro, ſeu collecta reſpondeant alicui, niſi Nobis, vel Generali Nuntio Noſtro, qui juriſdictionem ad hoc habeant. Conſules Eugubini qui pro tempore fuerint facere debeant juſtitiam in Civitate ipſa, & diſtrictu ipſius, & in locis prenominatis; ſi vero facere non poterunt, Imperialis Noſtri Nuncii requirant auxilium. Ab omni namque vexacione, & requiſitione Nuntiorum noſtrorum, & alio-

liorum immunitatem habeant, niſi quod annuatim in feſto Beati Martini centum libras Lucenſes Nobis perſolvant. Preter hec de Conſulatu & bonis eorum conſuetudinibus eos inveſtivimus. Inſuper omnem contractum inter Cives Eugubinos, & Cives Peruſinos habitum ſive de juramento, ſive de Conſulatu, ſive de exercitu faciendo, vel de aliquo modo Societatis, vel ſubjectionis, cum ſit in præjudicium Majeſtatis Noſtre, omnino caſſamus, & Imperiali Decreto irritum eſſe decernimus. Hac Divali ſancientes pagina, ut nullus hominum adverſus hanc noſtre Celſitudinis confirmationem & edictum venire preſumat. Quod ſi quis contrafecerit, in ultionem tranſgreſſionis ſue quingentas libras auri puri componat, medietatem fiſco Noſtro, & reliquas injuriam paſſis. Ut autem hec omnia nominata rata & in perpetuum inconcuſſa permaneant, hoc preſens privilegium inſcribi juſſimus, & Nominis Noſtri Sigillo aureo communiri. Hujus rei teſtes ſunt Comes Hermannus de Aczeburch, Federicus Marchio de Baden. Comes Henricus de Lutruberg. Comes Henricus de Zvvirin. Comes Henricus de Hovvſten. Comes Fredericus de Saraponte. Petrus Prefectus Urbis. Comes Ildeprandinus. Comes Tancredus de Sartyano. Magiſter Joannes Bardenſis Prepoſitus Domini Imperatoris Clericus. Guido Caczaconte. Albertus Sturtius. Imperialis Aule Judex, & quamplures alii.

Signum Domini Imperatoris  *Ottonis Quarti Romanorum invictiſſimi.*

Acta ſunt hec anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo undecimo Regnante Domino Ottone quarto Romanorum Imperatore glorioſo, anno quartodecimo regni ejus, Imperii vero anno tertio.

Datum apud Montem Flaſconem 18. *Kalendas Decembris. XV. Indictione.*

Locus ✠ *Aurei Sigilli.*

XV. Quo tempore datum eſt hoc diploma diſſidebat a Pontifice Otto, multaſque pontificiae ditionis civitates occupaverat. Eam fortunam Eugubini quoque ferre debuerunt, quare nil mirum, ſi in iis ornandis ſpeciem quamdam ſingularis munificentiae non improvidus princeps oſtenderit, ut eos ſibi magis devinctos retineret. Eſt autem hoc Eugubinae felicitatis per eos dies argumentum illuſtre, quod non ſolum civitatem ipſam amplificare, ſed de novis etiam caſtris pluribus in iis locis agri Eugubini, qui vel ad fines tuendos, vel ad mer-

catus habendos opportuniſſimi viderentur, conſtruendis Eugubini cogitare potuerint. Hoc enim initium fuit Colleſtacciarii caſtri, hoc Serrae S. Abundii, tum Pergulae, & Cantiani, quae duo poſteriora, S. Vilano eccleſiam Eugubinam regente, condita fuerunt. Priora duo, aliquanto ſerius.

XVI. Ac Pergulanum quidem caſtrum, quod poſtea in amplum, & opulentiſſimum oppidum evaſit, in agro Eugubino condi coeptum eſt ad annum MCCXXXIV. Tot ſunt ejus rei monumenta, ut nemo, qui ea viderit, quique ſana mente utatur, hanc eſſe ejus oppidi originem ſit negaturus. Negavit tamen Aegidius Janninius in eo libro, quem edidit de hiſtoria Pergulana, in quo cum alia multa, tum hoc imprimis ab eruditiſſimo viro (a) jure reprehenſum eſt, quod Pergulam, neque eo tempore conditam, neque Eugubinis ab ipſa ſui origine dixerit ſubjectam. Proſtant duo ejus libelli, haud magni quidem, ſi molem ſpectes, ſed plurimi tamen faciendi propter reconditas literas, & elegantiam ſcriptionis. In his Janninium ſolidiſſime confutat, & prolatis tabulis, & monumentis, quae vera ſint Pergulae initia oſtendit. Pertiam vero, ſive Peruſiam, civitatem antiquam, quam in quibuſdam Ptolemaei tabulis, & in Baudrandi, & Ferrarii lexicis temere intruſam viderat, quamque Pergulae ſuae veluti parentem Janninius crediderat, omnino expungendam, atque a tabulis omnibus ablegandam docet.

XVII. Dabit tamen hanc veniam mihi vir doctiſſimus, ut, cum de caſtri Pergulani initiis, deque nova hominum ſocietate, *communantiam* per eos dies appellabant, certis legibus ibidem conſtituta, ei libenter aſſentiar, ab ejus opinione in eo tantiſper recedam, quod ad eum locum, ubi nunc Pergulani incolunt, nullum ante annum MCCXXXIV. aut vicum, aut antiquioris oppidi veſtigium fuiſſe exiſtimat. Do id quidem de exiguo eo tumulo, ubi veteris caſtri Pergulani adhuc moenia aſſurgunt. At eum locum, quem forum Pergulanum occupat, quique nunc circumquaque aedificiis, qua publicis, qua privatis, non ſine magna incolarum frequentia, repletur, vix crediderim plane habitatoribus vacuum fuiſſe ante Pergulam conditam. Argumentum ejus rei non contemnendum habeo in tabulis archivi Avellanenſis, quas hic ſubjicio.

XVIII. *In nomine domini noſtri jeſu chriſti a nativitate ejuſdem anno mill. cent.* LXXXXVII. *tempore celeſtini pape, & henrici imperatoris die* IIII. *exeuntis menſis martii indic.* XV. *Foro ciniſchi. Pagina refu-*

ta-

(a) *Vid. infra ſub Jacobo ep. ad n. VII.*

tationis & renuntiationis, quam fatio ego tebaldus filius viviani de pepo, vobis donno alberico priori ſancte crucis fontis avellane.....reſuto & renuntio quidquid habeo vel habui ego vel alii pro me in colle ſilveſtri, poſitum in curte vallis ree, a latere cujus totius rei a primo latere pepi deſuper, a ſecundo & tertio latere ſunt fovee, a IIII. *latere via de valle cornaleti &c. & pretium recepi a bono homine rectore montis ſicci, ut inter nos bene complacuit.*

De caſa ſpiſa martinus comprobat iſta.

XIX. Vallis rea locus eſt vix paſſibus mille quingentis ab oppido Pergulae diſſitus, vulgo Varrea, Ciniſcus autem alter eſt ex duobus fluviis, qui infra illud oppidum confluunt, nam alteri Suaſano nomen ab antiqua civitate Suaſa, quam is fluvius Ciniſco auctus alluebat. Non eſt ergo cur alibi quaeramus Forum Ciniſchi, in quo ea charta ſcripta eſt, quam prope eum locum, ubi nunc Pergulae novellum oppidum eſt ſitum, hoc eſt in ipſo confluenti Suaſani, & Ciniſchi, (a) qui certe locus mercatibus frequentiſſimis etiam noſtris temporibus celebratur. Neque vero aliam ob cauſam Fori Ciniſchi nomen ei loco haeſiſſe crediderim, quam propter conventum hominum, qui ex Piceno, & Umbria ad mercatus habendos eo confluere ſolerent. Erat igitur antequam Eugubini Pergulanum caſtrum conſtruerent, Forum Ciniſchi, cui id caſtrum ſuccreverit. De quo ſi quis noſſe cupiat, quibus legibus ex civitate Eugubina, atque ex vicinis locis viri nobiles, & plures familiae ſocietatem inter ſe inierint, & commune Pergulanum conſtituerint; quantis viribus vicinae civitates Eugubinorum felicitati invidentes, vel ſibi ex potentia Eugubinorum in dies creſcente metuentes, molitionem Pergulani caſtri impedire aggreſſi ſint; quanto denique ſtudio Romanus Pontifex Gregorius IX. Eugubinos ab ea injuria defenderit, eruditi cenſoris hiſtoriae Pergulanae, quem non ſemel laudavimus, utrumque libellum adeat, ubi haec accuratiſſime explicantur. Atque ejus imprimis diligentia laudanda eſt, quod in appendice ad alterum ex hiſce ſuis ſcriptis, quo prioris apologia continetur, pulcherrima monumenta, ac praecipue Gregorii IX. diplomata, ſeu epiſtolas duodecim ad eas res illuſtrandas ediderit.

XX. Reſtat nunc, ut de Cantiani oppidi origine pauca. Sunt, qui ex Luceolana civitate Cantianenſes traxiſſe originem dicunt, quod eſſe nullo modo poteſt. Sic enim Luceolani caſtri, neque enim civitatis nomine hic abuti licet, memoria omnis jam inde ab XI. ſeculo

(a) *In tabulis archivi fratrum Auguſtinienſium apud Pergulanos mentio occurrit Hoſpitalis de Ponte Ciniſchi exiſtentis ad annum* MCCCXVIII. *quod hic praetermittendum non fuit, ut de nomine ejus fluvii, qui cum Suaſano conjungitur, magis conſtaret.*

lo interiit, ut vix ullum vestigium reliquum sit. Cantiani vero monumentum extat nullum, quod seculo XIII. sit antiquius. Ego nullum vidi antiquum auctorem, nullas tabulas, in quibus Cantiani nomen occurrat, quae scriptae sint ante quoddam Federici II. diploma, quod vulgatum est ab Ughello in nostris episcopis Eugubinis, de quo erit aliquid a nobis dicendum suo loco. Datum est Federici diploma ad annum MCCXLIV. Eo anno certe conditum erat Cantiani castrum, sed haud multos tum numerabat annos a prima origine.

XXI. Si quis temere id dictum putet, antiquiora proferat Cantiani indicia. Sunt innumerae in archivo Avellanensi, & in Eugubinis item archivis omnis generis tabulae seculis XI. XII. & XIII. scriptae, in quibus creberrima fit eorum locorum mentio, qui sunt in Cantiani vicinia, quique nunc agrum Cantianensem constituunt, sed altum ubique de Cantiano silentium ante XIII. seculum. Ne quis autem exiguam esse vim argumenti negativi, quale hoc est, impune objiciat, cujus tamen magnum esse momentum non dubito; placet alia ratione rem conficere.

XXII. Sunt in archivo secretiore Eugubinorum, & Armanno acta plurima acerrimae, ac diuturnae litis, quam Eugubini seculo XIII. exeunte & XIV. ineunte habuerunt cum rectore ducatus Spoletani, quam tandem Eugubini ipsi in legitimo judicio obtinuerunt ad annum MCCCIV. Qui ducatus Spoletani provinciam pro ecclesia Romana regebat, sibi in animum induxerat, ut communi Eugubinorum, ad ejus, opinor, vires minuendas, castra aliquot ex ditioribus, & magis populosis adimeret. Tentari coeptum est id ad annum MCCLXXVI. At restitere Eugubini, qui cum aliis rationibus, tum ea imprimis, potentem adversarium cohibere conati sunt, quod ea castra ab se, & communi civitatis impensa constructa fuisse ostenderent. Ac de Cantiano quidem Eugubinorum procurator in judicio professus est se probaturum Cantianum castrum annis ante quadraginta quinque ab Eugubinis conditum fuisse (a). Id porro actum est a procuratore Eugubinorum ad annum MCCLXXX. ex quo fit Cantianum castrum conditum fuisse anno circiter MCCXXXV. inde enim ad annum MCCLXXX. anni intercedunt quinque & quadraginta. Neque vero dubium est, quin Eugubini, prolatis tabulis, & idoneis testimoniis, abunde probaverint id, quod propositum erat, anno enim MCCCIV. Diothicherius de Lorano ducatus Spoletani rector, cognita causa, sententiam pro iis pronunciavit (b).

Haec

(a) *Extant haec acta in codice membran. archiv. Arman. vulgo* il libro rosso. (b) *Vid. infra sub Francisco ep.*

Haec in Eugubinorum gratiam de Cantiani origine dixiſſe juverit, qui nimis gravate ferunt Cantianenſes veterum beneficiorum immemores, non ſatis gratos animos gerere erga civitatem Eugubinam, quam matris loco habere deberent, & olim certe habuerunt, ut plura eorum monumenta, mihi non incomperta, declarant. Sed antequam manum de tabula, non levis plurium ſcriptorum error de Cantiani nomine, & ſitu emendandus.

XXIII. Non ignotus eſt Candilianus fluvius in iis locis, ejuſque meminit S. Petrus Damianus in vita S. Romualdi (a), ubi monaſterium S. Vincentii ad Petram pertuſam memorans, ſitum eſſe ait prope fluvium Candilianum: *Deinde in Petranum montem non longe videlicet a monaſterio S. Vincentii, quod juxta Candilianum conſtitutum eſt fluvium, demigravit.* Ita S. Petrus Damianus. Candilianum vero eſſe eum fluvium quo Cantianum alluitur, non ignobilibus multis rerum Italicarum ſcriptoribus perſuaſum eſt. Sed Candilianum nomen antiquum levi mutatione in Candianum verſum eſſe exiſtimant, ex quo tandem Cantiani oppidi nomen emerſerit. Non eſſet id ſupra fidem, ſi fluvius, qui Cantianum praeterfluit, Candilianus eſſet. Sed aliud ei fluvio nomen inditum eſt. Buranum vocari video in antiquis tabulis plurimis apud Eugubinos, Callienſes, & monachos Avellanitas adſervatis: atque ex eo olim nomen acceperat, vel fluvio ipſi tribuerat, Buranum caſtrum, quod aliquot paſſuum millibus ſupra Cantianum erat, ad ejus amnis fluenta. Burani caſtri mentio eſt in diplomate Coeleſtini III. ad Bentivolum epiſcopum apud Ughellum. Id nunc caſtrum plane deletum eſſe audio, ſed Burani nomen antiquum ibi adhuc perſeverat, ejuſque loci marchio nuper creatus eſt a Rom. Pont. Bartholomaeus Benvedutus patricius Eugubinus. At Buranus Luceolani amnis, Fenetriae, Botani, aliorumque fluviorum nobilitatus aquis, ſecus viam Flaminiam per fauces Callienſium montium excurrens, infra Callium Buxo, ſeu Boaſi fluvio jungitur, nec a Flaminia digreſſus, ad Aqualaneam vicum Candiliano miſcetur. Candilianus vero ex altioribus apennini jugis ad Tifernates pertinentibus defluit, & in planitiem S. Martini illapſus, ſubinde Plobicum alluit, Ubaldinae familiae caſtrum, vulgo *il Piobbico*. Tum Flaminiam findit ad Aqualaneam vicum, ubi Burano auctus ſecus Flaminiam ipſam decurrere incipit, quoad monaſterium S. Vincentii, & Petram pertuſam praetergreſſus, Metauro influit ad bis mille paſsus ſupra Forumſempronii ad diverſorium *Cà il mazzo* a noſtris appellatum.

XXIV.

(a) *Cap. XLIII.*

XXIV. Hunc porro, quem deſcripſimus, Candilianum eſſe plura demonſtrant. Nam primo ejus amnis, cui Cantianum oppidum inſidet, certum nomen eſt Buranus, ut ante diximus, nec ex pluribus amnibus, aut rivis, quorum aquis Cantianenſium fluvius coaleſcit, ullus eſt, qui Candianum, aut Candilianum audiat vel in monumentis antiquis, vel in ſermone accolarum. Reliquum eſt igitur, ut non aliud ſit Candilianum flumen, quam quod ex Tiſernatum montibus exorium, ad Aqualaneam vicum, Flaminiam ſecat, & Burano junctum Petram pertuſam adlambit, ac tandem a Metauro interceptus, quaſi in alienam gentem cooptatus, vetus nomen amittit. Candilianum vero appellatum haud temere quiſpiam fortaſſe dixerit ex albicanti arena, quam devehit, quaque ipſis aquis conſpicuus quidam candor inſpergitur. Vidimus nuper in publica Urbanienſium bibliotheca teſtamentum *nobilis, ac de ſtirpe generoſa viri Joannis, quondam Joannis de Brancaleonibus de caſtro Piobici*, in membranis ſcriptum, quas vir humaniſſimus, & ſacrarum praeſertim antiquitatum ſtudioſiſſimus Alexander Matarozzius patricius Urbanienſis, & Urbinas indicavit. In his Joannes Brancaleonius xenodochio Urbinatium legaſſe legitur agros quoſdam ſitos *in territorio caſtri Plobici prope flumen Candilianum*. Scriptae ſunt hae tabulae xv. cal. Jul. anno MCDLVII. Sunt aliae in eadem bibliotheca veteres tabulae, quas idem vir humaniſſimus oſtendit, ſcriptae ad annum MCCCXC. XVII. cal. Jun. *in domo nobilis viri Antonii Monaldi de Brancaleonibus de Mon de la caſa prope hos fines. A primo latere flumen Candegliani*. Ut cetera deſint, geminae hae tabulae ſatis ſuperque ſunt ad Candilianum fluvium demonſtrandum, eum ſcilicet, qui Plobici caſtrum alluit, & Callienſium flumen ad Aqualaneam excipit.

XXV. Sunt ad dexteram Candiliani ripam vix paſſibus, opinor, mille ultra Aqualaneam vicum, non vulgaria antiqui oppidi veſtigia, quod hic praetereundum non fuit, ut meam eruditis diligentiam probarem. Duas ibi antiquas inſcriptiones vidi in praedio Caroli Antonii Scaramuccii, quarum alteram edidit Muratorius in novo inſcriptionum thesauro pag. DCCV. L. Heidio poſitam. Altera, quod ſciam, inedita eſt, quam hic habes:

D. M.
C. ARRI
MISTICI
VIX. AN. XLIII.

Inſcriptiones aliae ibidem repertae ſunt in fundo *le Pole*, alias *il Pian di Valeria*, quas edidit Muratorius, quaſi in civitate, vel ſaltem

tem in agro Callienſi erutas. Primam vide pag. DCCV. 8. Ea ipſa eſt, quam ante indicavimus.

L. HEIDIO. SER. FI
SERTVLLAE. IIII
VIR. QVINQ

Heidio in Neldium converſo eamdem protulit pag. DCCVII. 1. adnotavitque *effoſſam eſſe in agro Callienſi anno MDCCXXXVI. in praedio D. Franciſci Matthias.*

XXVI. Pluris facienda eſt, quam exhibet pag. DCCCXXX. 3. quae eſt ejuſmodi.

C. LIGVSTINIO
C. F. CLV. DISERTO
7. LEG. XX. VV
7. LEG. IIII SCYTICAE
ITEM. 7. LEG. XX. VV
EVOC. AVG.
BENEF. PRAEF. PRAET
EVTYCHES. LIB
PATRONO. OPTIMO
OB. MERITA
CVIVS. DEDICATIONE
DECVRIONIBVS, ET. PLEBEI
GRVSTVLVM. ET. MVLSVM
DEDIT.

Hanc quoque repertam dicit in agro Callienſi, in praedio D. Franciſci Matthias anno MDCCXXXVI.

XXVII. Tertiam denique inſcriptionem profert Muratorius pag. DCCXLI. 6. eodem loco repertam.

C. SAGVRO
C. F. CLVS. PRISCO
PR. DESIGN. TRIB. PLEB
QVAESTORI. VRBAN
PRAET. EQVIT. ALAE
PRIM. FLAVIAE. CI
VIVM. R. TRIB. LEGIO
NIS. XXX. VLPIAE. VIC

TRICIS.PRAEF.FABR
IIII.VIR.QVINQ
PONTIFIC.PATRON
MVNICIPI
DECVRIONES.ET
PLEBS.VRBANA

Atque hanc etiam adnotat in agro Callienſi effoſsam eodem anno MDCCXXXVI. additque, ſi ad civitatem Callienſem (nunc *Cagli*) ſpectet, hinc palam fieri eam municipii honore fuiſse inſignitam. Sed quid quod eamdem rurſum producit pag. MCXXII. 4.? Ita quae tres tantum reipſa ſunt, quinque apud Muratorium leguntur, in quo certe ejus diligentiam requiras. Quod vero ait eas eſse effoſsas in agro Callienſi, id etiam minus eum accuratum prodit. Eſt enim is locus, ubi ea marmora effoſsa ſunt, in agro Urbinati, quem ex ea parte a Callienſi diſterminat Candilianus amnis, ut etiam ejus pontis, ſub quo ad Aqualaneam Candilianus viam Flaminiam ſecat, pars ſuperior ad Callienſes, inferior ad Urbinates pertineat, idque grandibus literis in gemino lapide, ejus pontis lateribus infixo, inſculptum eſt.

XXIX.

PAULUS.

I. Ex Albertorum familia, Florentiae nobiliſſima, Vilano ſucceſsorem datum eſse Paulum ad annum MCCXLIV. eoque ſedente, ad eum annum, caſtra quaedam Eugubinis donata a Friderico II. Rom. Imp. tradit Ughellus, a quo etiam accipimus Paulo Jacobum ſucceſſiſse ad annum MCCXLVI. Sed praeſtat ſingula diſcutere. Ac primo nuperus Ughelli editor Coletus, quoad Pauli gentem, haec ex cl. Salvino affert. *Hunc Paulum de Albertis non fuiſſe ſuſpicandi anſam haec duo mihi praebent: tum quia in hujus familiae arbore non reperitur; tum quia illo aevo haec familia de Albertis cognomen nondum erat ſortita.* Sed hoc levius Ughelli erratum: illud gravius, quod non ante annum MCCXLVI. Jacobum Paulo ſucceſsorem tribuit. At jam inde ab anno MCCXL. Jacobus Eugubinam eccleſiam moderabatur. Eo enim anno die ſecunda menſis Aprilis tempore D. Gregorii Papae, & D. Frederici Imperatoris indic. XIII. cathedralis eccleſiae Eugubinae canonici procuratorem elegerunt, qui ejus collegii nomine Jacobo epiſcopo ſe ſiſteret, ſponderetque ſe, & canonicos reliquos ſodales ſuos, paratiſſimos eſse, ut ei adamuſſim ſatisfacerent pro iis rebus, quas

quas ſibi vindicaſsent, atque in collegii utilitatem convertiſsent ab obitu Vilani epiſcopi, uſque ad illud tempus, cum epiſcopus Ariminenſis, jubente Romano Pontifice, procuratores in epiſcopatu Eugubino conſtituerat. Optaſsem haec totidem verbis ex publicis tabulis, quae in archivo canonicorum aſservantur exſcribere, ſed quoniam id datum non eſt, ſatis erit hanc earum tabularum ſynopſim ex ſaepe laudato codice Franciſci Armanni, ejus olim eccleſiae canonici, in medium attuliſse (a).

II. Ex his tabulis praeter certiorem epocham epiſcopatus Jacobi, quem Ughellus Paulo ſuffecerat ad annum MCCXLVI., Lazarellus autem ad annum uſque MCCLVI. protraxerat, illud etiam intelligimus eccleſiam Eugubinam per id tempus aliquandiu paſtore deſtitutam, per procuratores ab epiſcopo Ariminenſi delectos ex juſsu Romani Pontificis adminiſtratam fuiſse, poſt obitum Vilani epiſcopi. Neque id ſolum, ſed illud etiam ex his tabulis aſsequimur aliquod temporis ſpatium fluxiſse poſt Vilani deceſsum antequam procuratores in eccleſia Eugubina inſtituerentur, eo enim temporis intervallo factum eſt, ut canonici Eugubini, ſede epiſcopali vacante, aliquid ex bonis ad epiſcopalem cenſum pertinentibus uſurpaverint, atque in ſuam rem verterint. Haec ſi quis recte perpenderit Pauli epiſcopatum vel multo breviorem judicabit, quam Ughello eſt viſus, vel etiam fortaſse nullum.

III. Quod autem Ughellus habet de caſtris quibuſdam civitati Eugubinae a Friderico II. donatis, Paulo epiſcopo ſedente, ad annum MCCXLIV., id vero nihil eſt. Cum Paulum eo anno eccleſiae Eugubinae praeeſse exiſtimaret, propterea Eugubinis ea caſtra donata eſſe ſcripſit Pauli temporibus. Ceterum in diplomate Fridericiano quod ab Ughello ipſo affertur, nullius epiſcopi nomen occurrit. Niſi quod igitur emergat certum monumentum, quo Pauli epiſcopatus niti poſſit, non multum repugnem, quin is ex antiſtitum Eugubinorum albo delendus ſit.

XXX.

JACOBUS.

I. *Floruit Jacobus in eadem ſede anno MCCXLVI. de quo mentio MCCLVI. apud Wadingum tom. 2. Annal. Min.* Ita de hoc epiſcopo Ughellus, ac nihil praeterea. Sed jam inde ab anno MCCXL. eum

(a) *Archiv. Armen. lib. D pag. 249.*

in cathedra Eugubina ſediſſe demonſtratum eſt. Poſſem & aliis argumentis oſtendere ſedis ejus initium altius omnino repetendum quam judicarit Ughellus, ſed id neceſse non eſt. Videndum nunc an melius ſaltem ejuſdem epiſcopatus finem conſtituerit. Annum equidem quo in vivis eſse deſierit, non declarat, ſed narrat tamen Joannem ei ſucceſſiſse ad annum MCCLVIII. Ego vero ut Jacobi obitum circa annum MCCLVIII. accidiſse libenter admittam, ita de Joannis ſucceſſione ad eum annum aegre admodum aſſentiar. Porro circa annum MCCLVIII., quo diximus Jacobum objiſse, haec duo ſuadent, quod is eo ipſo anno adhuc erat in vivis, & quod inſequenti anno MCCLIX., ſedes Eugubina vacabat: primum habeo ex tabulis monialium S. Benedicti, ex quibus intelligere licet Jacobum epiſcopum eo ipſo anno monialibus S. Donati de ſauce eccleſiam S. Mariae de Saxo Majali cum ſuis bonis donaſſe. Vidit has tabulas, & cetera ejus monaſterii monumenta Angelinus, qui olim mecum humaniſſime communicavit quidquid ad rem meam eſse poterat. Alterum conſtat ex tabulis monialium S. Clarae, quibus continetur decretum capituli canonicorum eccleſiae Eugubinae, anno MCCLIX. ſede epiſcopali vacante editum, quo reſcriptum quoddam Jacobi epiſcopi confirmatur (a). Recte igitur circa annum MCCLVIII. Jacobus deceſſiſſe dicendus eſt.

II. Sed num eodem anno Joannem habuit ſucceſſorem? Id poſtea quaeremus. Nunc pauca de Jacobi geſtis. Is vero duabus maxime rebus prudentiam ſuam, & ſtudium religionis oſtendit. Monialibus S. Damiani domicilium conſtituit ad eccleſiam S. Donati de ſauce extra urbem ad an. MCCLII. iiſdemque poſtea eccleſiam S. Mariae de Saxo Majali donavit, ut ſupra dictum eſt. Dein eremitas Auguſtinienſes, de Brictino tum vulgo appellatos, in civitatem exceptos, plurimum in aedificanda eccleſia S. Auguſtini adjuvit (b). Erat autem monialium S. Damiani recens inſtitutum, & incredibilis opinio ſanctitatis; nam cum eas Jacobus in S. Donati eccleſiam induxit, vivebat adhuc ejus inſtituti autrix & magiſtra Clara Aſſiſinas, quae totum orbem in ſuae virtutis admirationem excitaverat. Ex ejus nomine S. Damiani moniales Clariſſae poſtea ſunt appellatae. Vidimus Alexandri IV. literas, quae novae huic Damianiſtarum coloniae eam ipſam regulam obſervandam praeſcribunt, quam Gregorius IX. Aſſiſinatibus S. Damiani monialibus indixerat. Earum id eſt initium:

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiabus abbatiſſe & ſororibus monaſterii S. Donati de ſauce Eugubinen. ordinis S. Damiani ſalu-

(a) *Ex ſchedis Angelini.* (b) *Ex monum. archiv. S. Auguſt. Vidit Angelinus.*

ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum omnis vera religio &c. Imprimis regulam beatiſſimi Benedicti, in qua virtutum perfectio & ſumma diſcretio noſcitur inſtituta, que & a SS. Patribus a principio devote ſuſcepta eſt, & ab eccleſia Romana venerabiliter approbata, vobis tradimus obſervandam. Deinde ſingula diſciplinae religioſae capita perſequitur, quae Damianiſtarum inſtitutum perficiebant, eaque *ad inſtar Gregorii praedeceſſoris* adamuſſim ſervanda edicit. *Dat. Laterani II. id. martii pontific. noſtri anno III.* (a) Ex Benedictino inſtituto, quod profitebantur Clariſſae, factum puto, ut abbatiſſas habeant, a quibus regantur, contra morem ceterarum monialium, quae a Mendicantibus originem ducunt.

III. Primum hoc Clariſſarum monaſterium apud Eugubinos non fuit. Vidimus enim a S. Vilano epiſcopo eas inductas fuiſſe ad S. Mariae de Pelagio. Earum cauſa datum eſt aliud Alexandri IV. diploma, quod hic ſubjicimus. Ex autographo, quod eſt in archivo S. Benedicti, exſcripſit Angelinus.

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio rectori ducatus Spoletani ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Pro parte in chriſto filiarum abbatiſſe & conventus monaſterii S. Marie de Pelagio Eugubin. ordinis S. Damiani nobis extitit intimatum quod dilecti filii prior & conventus monaſterii S. Crucis Fontis Avellane ordinis S. Benedicti quamdam eccleſiam juxta idem monaſterium S. Marie inter civitatem Eugubinam & monaſterium ipſum de novo conſtruere inceperint per quam ſtatus & tranquillitas dictarum abbatiſſe & monialium non modicum perturbatur. Unde eoſdem priorem & conventum monendos duximus & hortandos noſtris eis dantes literis in mandatis ut ob reverentiam ſedis apoſtolice & noſtram ab ejuſmodi eccleſie conſtructione deſiſtant. Quocirca diſcretioni tue per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi dicti prior & conventus mandatum noſtrum ſuper hoc neglexerint adimplere ab ejuſmodi edificatione penitus deſiſtere monitione premiſſa eccleſiaſtica cenſura compellas. Datum Laterani v. *Kal. april. pontificatus noſtri anno ſecundo.* Anno ſcilicet MCCLVI.

IV. Hoc etiam Jacobi factum, memoria dignum, praetereundum non eſt, quod cum anno MCCLVII. eccleſiam S. Joannis in caſtro Fractae filiorum Uberti, nunc vulgo *la Fratta*, conſecraſſet, concionem habuit, in qua vehementiſſime dixit contra uſurarios & falſarios, quos etiam anathemate confixit (b). Etiam Franciſcus epiſcopus, qui annis fere quinquaginta poſt hunc floruit, contra uſurarios plures edidit conſtitutiones, ut ſuo loco dicemus. V.

(a) *Ex archiv. S. Franciſci Eugub. Vidit Angelinus.* (b) *Archiv. Arman. membran. faſcic. A n. VI.*

V. Ne quid autem de hoc epiſcopo omittamus, quod de eo aſſequi licuerit, ſilendum non eſt graves illum habuiſſe ſimultates cum monachis S. Crucis Fontis Avellanae; anno enim MCCLIV. Petrus abbas S. Donati ex oppido Gualdo agri Nucerini, delegatus a Richardo diacono Cardinali, ducatus Spoletani rectore, Jacobo edixit, videret impoſterum, ne quid moleſtiae inferret priori, & fratribus eremi S. Crucis Fontis Avellanae, & priori item ceteriſque ejus inſtituti monachis, qui in inſula filiorum Manfredi degebant, ad eum locum ſcilicet ubi poſtea Colleſtacciarii oppidulum exſtructum fuit (a). Eodem anno Adjutus Fanenſium epiſcopus judex a ſede apoſtolica datus canonicis eccleſiae Eugubinae, eorum quaedam jura aſſerit, & praedia vindicat in valle Marcula agri Eugubini, ut ex ejus eccleſiae tabulis apparet (b).

VI. Pauca haec de re eccleſiaſtica Eugubinorum tempore Jacobi epiſcopi hinc inde corraſimus: nunc aliquid de re civili ejus civitatis delibandum, quod nec Ughellus facere omiſit. Primo autem occurrit amplum diploma Friderici II. Eugubinis conceſsum, quo confirmantur privilegia ab Henrico VI. ei civitati alias indulta. Diploma datum eſt anno MCCXLI. Decembri menſe, eique ſcribendo adſuerunt patriarcha Aquilejenſis, Bernardus Panormitanorum archiepiſcopus, Dieſtrenſis, & Marſicanus epiſcopi, Henricus de Morro imperialis curiae judiciarius, aliique magnates.

VII. Memorat etiam Ughellus caſtra quaedam Eugubinis attributa a Friderico II. Imperatore ad annum MCCXLIV. Pauli epiſcopi temporibus. Sed perperam hic Paulum inducit, Jacobus enim multo ante annum MCCXLIV. epiſcopatum inierat, diuque poſtea tenuit, ut ſupra oſtendimus. At ne id quidem reprehenſione caret, quod caſtra quaedam Eugubinis ab Imperatore tradita ſcribit; quaſi vero non unum idemque caſtrum eſset Cantiani, & Colmatrani nomine dictum. At minum id non pervidiſse Ughellum, qui in eo ipſo Fridericiano diplomate, quo haec donatio continetur, quodque Ughellus ipſe edidit, non caſtra, numero plurium, ſed ſingulari numero caſtrum legerat, *caſtrum* ſcilicet *Camrani & Col. Macrani*. Tolle haec monſtra verborum, & lege *caſtrum Cantiani, & Colmatrani*. Porro caſtrum hoc Eugubinis ſe donare profitetur Fridericus *cum pertinentiis, & diſtrictibus ſuis tam intra, quam extra* (ſic enim in diplomate ipſo legitur) *praedictis hominibus de Eugubio fidelibus noſtris de mera noſtrae liberalitatis gratia duximus concedendum: dantes eis liberam poteſtatem, ut*

(a) *Archiv. Avel. membran. faſcic. IV. n. VI.* (b) *Archiv. Arman. lib. D pag. 261.*

ut in caſtro ipſo, & juriſdictione ipſius libere uti valeant, tam in curia, quam in hominibus, ſicut aliis caſtris juriſdictionis eorum.

VIII. Quam mendoſe Fridericianum diploma editum ſit apud Ughellum, vel hanc unam particulam, quam hic protulimus, conſideranti, facile intellectu erit. Eam nos exſcripſimus ex appendice ad apologiam, quam vir apprime eruditus oppoſuit Aegidio Janninio in literaria concertatione, quam cum eo habuit de origine Pergulani oppidi, deque praecipuis aliquot hiſtoriae Pergulanae capitibus. Eruditum hunc hominem, quem dixi, norunt omnes eſse Lucam Antonium Gentilem, olim ſeminarii Piſaurenſis moderatorem, qui modeſtiae cauſa ſuum nomen reticuit in iis ſcriptis, quae in hac controverſia vulgavit. Ediderat Janninius monumenta hiſtorica Pergulae oppidi, patriae ſuae (a), in quibus nonnulla notavit vir eruditus, quem dixi, edita epiſtola, in qua Janninii librum ad ſeverioris criticae artis regulas exigebat (b). Non ſiluit Janninius, & libellum emiſit, quo ſua monumenta hiſtorica Pergulana vindicaret (c); in quo cum non ſatis fortaſse modum in ſcribendo tenuiſset, ejus adverſarius ſtilum acuit, & apologiam, quam dixi, conſcripſit (d) nervoſam, eruditam, & elegantem, cui cum Janninius reſpondere iterum voluiſset, vix quidquam praeter verba dedit (e). In appendice igitur veterum monumentorum, quae ad calcem ejus apologiae adjecta eſt, extat Fridericianum diploma, cum duobus aliis ejuſdem Imperatoris, quae ignoravit Ughellus. Primum datum eſt anno MCCXLI. quod ſupra memoravimus. Alterum datum eſt anno MCCXLVIII. *in caſtris in depopulatione Parmae per manus magiſtri Petri de Vinea.* Hoc diplomate Fridericus Pergulanum oppidum Eugubinis attribuit; eis enim per eos dies favebat, propterea quod in ſuas partes neceſſitate compulſos adduxerat. Anno enim MCCXL. cum ingentibus copiis in Umbriam venerat, & Fulginium iturus cum per Eugubinorum, & Nucerinorum fines exercitum traduxiſset, eas civitates reſiſtendo impares ſibi adjunxit, & aliquot annis retinuit. Sed cum audimus duo caſtra Cantianum, & Pergulam ab Imperatore Eugubinis donata, non ita eſt interpretandum, quaſi quidpiam de ſuo dederit, ſed quod vi, & armis ablata reſtituerit; ea enim caſtra Eugubini ipſi ante illud tempus

(a) *Memorie Iſtoriche di Pergola. In Urbino 1732.* (b) *Lettera contenente la Diſamina delle Memorie Iſtoriche di Pergola. In Venezia appreſſo Gio: Battiſta Recurti 1737. & antea anno 1733. abſque typographi nomine, & loci nota.* (c) *Riſpoſta dello autore delle Memorie Iſtoriche di Pergola alla Lettera di Diſamina delle medeſime. In Peſaro 1734.* (d) *Diſeſa della precedente Diſamina del sig. N. N. cittadino di Gubbio. In Venezia pel Recurti 1737.* (e) *Lettera dell' autore delle Memorie Iſtoriche di Pergola ad un ſuo amico, ec. In Bologna a S. Tommaſo d' Aquino 1739.*

pus conſtruxerant, ut ſupra oſtendimus. Cum hoc ipſum ſolium praelo paratum eſſet, Lucas Antonius Gentilius ſacerdos non ſemel laudatus, & ob omnigenam eruditionem cum ſingulari humanitate, modeſtia, & moribus innocentiſſimis conjunctam nunquam ſatis laudandus, diem clauſit extremum. Ejus mors cum Piſaurenſibus omnibus, a quibus unice diligebatur, tum mihi imprimis acerba accidit; in eo enim non ſolum amicum optimum, ſed etiam ſtudiorum meorum adjutorem fidiſſimum amiſi, quo veluti obſtetricante, ut cetera ejus merita in me ſileam, hic ipſe meus liber de Epiſcopis Eugubinis ex officina Gavelliana prodibat. Natus eſt Turricellae, Feretranae dioeceleos oppido, ac poſtmodum civitate Eugubina virtutis ergo donatus. Vixit annos LXXIII. Deceſſit ſexto calendas Aprilis, teſtamento condito, quo inter cetera, quae ejus prudentiam, & pietatem demonſtrant, bibliothecam ſuam & copioſam, & optimis libris inſtructam Umberto Aloyſio Radicati epiſcopo Piſaurenſi legavit.

IX. Fruſtra autem hic triumphum agit Janninius contra adverſarium ſuum, qui dixerat, Eugubinam civitatem ad annum MCCXXXV. quo caſtrum Pergulanum conditum eſt, apoſtolicae ſedi fidiſſimam fuiſſe. Hunc animoſe carpit Janninius, quaſi fieri non potuerit, ut cum Eugubini ad annum MCCXXXV. Romano Pontifici parerent, iidem non poſſent Friderico Imperatori ſubjecti eſſe ad annos MCCXLI. MCCXLIV. & MCCXLVIII., quibus nimirum annis Fridericiana illa diplomata Eugubinis data ſunt. Itaque non ſolum anno MCCXXXV. Eugubinos Friderico, apoſtolicae ſedis hoſti acerrimo, faviſſe exiſtimat, ſed jam inde ab anno MCCXX. quo Fridericus imperium auſpicatus eſt. Id porro infelici conjectura infert ex iis verbis, quae in Fridericiano diplomate, quod anno MCCXLI. datum eſt, de Eugubinis leguntur, *devotionem*, *& fidem inconcuſſe geſſerunt*, *& inceſſanter non deſinunt ad noſtram gerere majeſtatem*. Ea enim dicta ſunt captandi gratia novorum ſubditorum benevolentiam, qui non alia re, quam terrore armorum, & extremae calamitatis metu a fide Romani Pontificis ad tempus abducti ſunt. Sed quem plane perſuadent duo illa verba Fridericiani diplomatis, quae commodiſſimam interpretationem patiuntur, hunc nihil movent duodecim diplomata Gregorii IX. annis MCCXXXIV. & MCCXXXV. Eugubinis data, & in ea ipſa appendice ad apologiam adverſarii ſui edita, ubi Fridericiana illa diplomata viderat. Ideo vel in ipſa meridiana luce coecutimus, cum ſtudio partium abripimur.

X. Per idem tempus nova diſſidia fuerunt inter Eugubinos, & Callienſes, & armis pugnatum eſt, & caedes, direptionesque fuerunt.

Unde

Unde mali initium ortum ſit, compertum non habeo, ſed cum Callienſes cum Urbinatibus foederatos in Pergulanorum fines potiſſimum irrupiſſe, & ab Eugubinis in caſtrum Montis epiſcopalis impetum eſſe factum conſtet, veteres ſimultates propter conditum ab Eugubinis caſtrum Pergulanum ante exortas, nec latis adhuc extinctas, his novis turbis cauſam attuliſſe conjicio. Sed brevi tamen inter utramque civitatem pax reſtituta eſt his conditionibus, ut Eugubini a laceſſendis Callienſibus, iiſque praeſertim, qui caſtrum Montis epiſcopalis incolerent, deinceps abſtinerent, & Callienſes viciſſim Eugubinos, ac praeſertim Pergulanos nulla ratione violari ſinerent. Extant ea de re tabulae publicae, quas eruditus cenſor hiſtoriae Pergulanae ad calcem apologiae ſuae vulgavit (a). Ex iis conſtat, tumultum anno MCCXLVIII. Auguſto menſe exortum, eodemque ipſo menſe extinctum, ac triennio poſt novis conditionibus inter utramque civitatem pacem rurſus initam novimus, cum de caſtris Montis epiſcopalis, & Pergulae diſceptatum eſſet (b).

XI. Eſt id quoque ex hiſtoria civili Eugubinorum minime praetereundum, quod Glomiſci caſtrum iis temporibus communi Eugubino venditum eſt a Munaldo Suppoli, ejuſque filiis Guidone, & Huguccinello, qui caſtrum illud avito jure poſſidebant, pacto quadringentarum librarum Ravennatium pretio. Sunt ea de re tabulae in archivo Armanno ad annum MCCLVIII. ſcriptae (c). Foſſatum quoque caſtrum, in via Flaminia, inter Tadinum, & Helvillum, Eugubinis venditum eſt a Rainerio Marſciani comite, quae res Peruſinorum animos non admodum Eugubinis amicos, magnopere irritavit (d). Id anno MCCLI. geſtum eſt, quo anno Innocentius IV. Petro Capoccio Cardinali S. Georgii Legato pro poteſtate mandavit, ut arcem Caſtilionis Ildebrandi, quam ab Eugubinis contra jus fatque refectam, cauſabantur Peruſini, ſubruendam curaret, ne novis armorum motibus inter eas civitates materia praeberetur. Excitum fuerat illud caſtrum mutuo conſenſu poſt longa diſſidia. Sed acrius poſtea pugnatum eſt, & caſtra multa Eugubinis adempta partim Peruſinorum armis, partim auctoritate Pontificis, qui Peruſinis favebat. Tandem Eugubini bello feſſi pacis conſilia agitare coeperunt, quae anno MCCLIX. firmata eſt (e).

XII. Sed jam e diverticulo in viam. *Joannes ſucceſſit* Jacobo epiſcopo *anno MCCLVIII.* Ita jejune admodum de Jacobi ſucceſſore Ughellus. At anno MCCLVIII. adhuc in vivis erat Jacobus, & Ju-

(a) *Pag.* 106. (b) *Pag.* 109. (c) *Vid. lib. long. pag.* 56. (d) *Ciatti Peruſ. Pontific. l. X. ad an. MCCLI.* (e) *Ciat. lib. cit. ad an. MCCLIX.*

lio menſe inſequentis anni MCCLIX. ſedes Eugubina vacabat, ut initio diximus. Vel igitur Joannes iſte expungendus, vel momentaneus ei epiſcopatus tribuendus, vel denique citra Julium menſem anni MCCLIX. trahendum eſt ejus epiſcopatus initium. Id facile Ughellus ipſe conceſſerit, qui nullum monumentum affert, quo neceſſe ſit ejus epiſcopatus epocham ab anno MCCLVIII. exordiri..

XXXI.

JACOBUS.

I. Ubi Joannem Jacobi ſucceſſorem indicavit Ughellus, duobus omnino verbis, ut ante dixi, ad alterum Jacobum tranſitum facit, qui per id tempus Eugubinam eccleſiam moderatus eſt. Ita vero ſe habet apud Ughellum horum trium epiſcoporum ſucceſſio.

XLI. Jacobus floruit in eadem ſede anno MCCXLVI. de quo mentio MCCLVI. apud Wadingum (a).

XLIV. Joannes ſucceſſit MCCLVIII.

XLV. Jacobum Joannes accepit, cumque ex morbo laborare coepiſſet Fidentium epiſcopum Averſanum, & Spoleti ducatus vicarium ab Urbano IV. habuit coadiutorem ex reg. Vatic. ep. fol. 180. Vides hic proculdubio legendum *Joannem Jacobus accepit*, hoc eſt excepit. Ac mirum ſane tam viſibile mendum ne in nupera quidem editione Veneta Italiae ſacrae eſſe ſublatum. Vides etiam Jacobi hujus poſterioris monumentum nullum afferri, quo eum conſtet ſediſſe ante annum MCCLXIII. Eo fit, ut nulla ratione intelligi poſſit, quo anno fuerit electus, & an inter ipſum, & Jacobum illum alterum, de quo ſupra diximus, locum habere potuerit Joannes, quem ſine tabulis, ac teſtibus ullis Ughellus ad annum MCCLVIII. induxit, de quo ne mihi quidem ullum monumentum videre licuit. Extant in archivo eccleſiae cathedralis tabulae anno MCCLX. ſcriptae, quibus Diotacura canonicus procurator collegii ſui inſtituitur, ut ſe ſiſtat coram I. epiſcopo Eugubino, at Jacobo ne, an Joanne quis divinare auſit?

II. Communicavit mihi Raynaldus Repoſatus inſcriptionem antiquam, quae eſt in eccleſia S. Antonini in Gualdo Cattano Tudertis dioeceſis oppido, quam hic edere placuit. In ea mentio eſt epiſcopi Eugubini, ſed ſuppreſſo nomine, quod ſi eſſet expreſſum lux aliqua affulgeret ad chronotaxim antiſtitum Eugubinorum hoc loco tantiſper emendandam. Inſcriptio eſt ejuſmodi: *Con-*

(a) *Tom. II. Annal. Min.*

Conſecratio hujus eccleſie facta fuit tempore Urbani IV. a. D. MCCLXII. die dominico II. Septemb. cui interfuerunt D. Bartholomeus epūs Spoletanus, & Fr. Nicolaus epūs Oſſiſien. qui ſinguli poſuerunt indulgentiam huc venientibus, & mittentibus hac ipſa die, & per totam octavam undecim annorum, & undecim quarant. & epūs Eugubin. epūs Fulginaten. epūs Nucerin. epūs Interamnen. ſinguli indulgentiam annorum L. epūs autem Tudertin. CXXX. & hoc annuatim ad honorem Dei, & B. Mariae ſemper Virginis, & Ss. Antonii, & Antonini martyrum, quorum corpora hic requieſcunt, & corpus B. Ugolini.

Vides hic indulgentiam non his modo conceſſam, qui eccleſiam illam adiverint, ſed qui alium etiam pro ſe miſerint. Ex nominatis vero epiſcopis priores duos cum Tudertino eccleſiam dedicaſſe conſtat, poſteriores quatuor rogatos non veniſſe, ſed indulgentiam pro more temporum illorum miſiſſe arbitror.

III. Sed his ambagibus jam praetermiſſis, in quibus nihil certi diſpicere datum eſt, de Jacobi epiſcopatu paucis agendum. Cum is articulari morbo laboraret, coadiutorem habuit Fidantiam, ſic enim hujus epiſcopi nomen in antiquis eorum temporum monumentis legimus, quem aliqui Fidentium dicunt. Hunc Urbanus IV. juſſit Callienſibus edicere, ni quantocius ad ſinum ſanctae matris eccleſiae rediiſſent eos in pervicaciae ſuae poenam epiſcopo privatum iri: is autem ſuas vices ad eam rem commiſit abbati S. Vincentii de Petrapertuſa (a), cumque Callienſes non paruiſſent, Eugubinorum armis domiti ſunt, & epiſcopo privati, eaque dioeceſis Eugubino epiſcopo attributa. Verum haud multo poſt reſtituta eſt eccleſiae Callienſi priſtina libertas.

IV. Narrat Ughellus Fidantiam anno MCCLXXVI. ex hac vita migraſſe, quo etiam anno Jacobus exceſſit. Sed malim Wadingum audire, qui Fidantiam ait anno MCCLXVI. ad ſuam ſedem rediiſſe, unde exulabat, propter Manfredi regis tyrannidem. Addit Wadingus coadiutorem Jacobo epiſcopo Eugubino, abeunte Fidantia, datum eſſe Leonardum ex ordine Minorum, quod etiam ex monumentis Eugubinis evincitur. Equidem anno MCCLXXIII. *de conſenſu venerabilis patris Jacobi epiſcopi Eugubini, & fratris Leonardi ejuſdem epiſcopi coadiutoris* Ugolino abbati S. Benedicti de Montepillio poteſtas facta eſt tradendi in emphitheoſim communi Eugubinorum S. Paterniani caſtrum, quod ejus monaſterii erat.

V. Eo ſedente fauſta multa Eugubinis accidere; anno enim MCCLXVII. III. id. Octob. a Clemente IV. exempti ſunt a ſubjectione

(a) *Ex tabul. archiv. ſecr. Eugub. in codic. Chartac. tab. ligneis cooperto pag.* 78.

ducis Spoletani, & praefectus datus eſt, a quo regerentur, vicarius appellatus, quamquam non diu haec forma regiminis apud eos obtinuit. Quadriennio ante Urbanus IV. caſtra collis Pergulae, Montis Siconis, alias *Monteſecco*, Serrae S. Abundii, aliaque bona, ac jura, quae *a montibus civitatis Eugubinae verſus Marchiam* obtinebant, iiſdem confirmavit; quod & ratum habuit Clemens IV. ad annum MCCLXV. & MCCLXVI. ut diplomata evincunt apud Eugubinos aſſervata, & edita ab erudito cenſore hiſtoriae Pergulanae, in appendice, quam apologiae ſuae attexuit. Sed anno rurſum MCCLXVII. cum nova diſſidia excitata eſſent inter Callienſes, & Eugubinos, pax convenit inter utramque civitatem, cedentibus Callienſibus jus omne, quod in caſtrum Montis Siconis ſibi eſſe putaverant. Quamquam petieri jure ad Avellanitas caſtrum illud pertinebat, a quibus illud recepere Eugubini cum caſtris Inſulae filiorum Manfredi, Licciae, Campetri, & pagis aliquot, qua de re abunde dicemus in *Antiquitatibus Avellanenſibus*, ubi eas per otium edere licebit in lucem. Caſtrum quoque Alfiolum ex tertia parte communi Eugubinorum vendidere abbas & monachi S. Mariae de Alfiolo, de quo monaſterio infra ſermo redibit. Adde & caſtrum Branchae, quod pro tertia item parte communi Eugubinorum ad annum MCCLXXVII. acceſſit, cum juriſdictione, & tertia etiam turris munitiſſimae parte, quae ibidem erat. Pro iis omnibus Ravennates libras ſexcentum ſeptuaginta quinque ſolvere Eugubini. Supereſt hodiedum in ea civitate clariſſima familia, quae ex Branchae nomine dicitur, quaeque caſtrum illud avito dominatu obtinuit. Haec partim ex Angelini ſchedis, partim ex tabulis archivi ſecretioris Eugubinorum, partim denique ex monumentis archivi S. Crucis Fontis Avellanae excerpſimus. Ex his poſtremis etiam habemus nonnihil diſſidii fuiſſe Jacobo ep. cum monachis Avellanitis, de quo dicemus in antiquitatibus Avellanenſibus, ubi de S. Albertino, qui per id tempus ei monaſterio praeerat. Neque etiam Callienſes inter & Eugubinos diutina pax fuit. Annis enim MCCLXXII., & MCCLXXIII. turbae rurſum exortae ſunt, & armis pugnatum. Pax inde contecuta eſt, quae anno MCCLXXIV. eſt confirmata.

VI. Pertinet etiam ad Jacobi tempora Clementis IV. epiſtola haec, quae ſequitur, inſcripta poteſtati, conſilio, & communi Eugubino.

Clemens epiſcopus, &c.

Nuper nobis Aſſiſio exeuntibus nuncios ac veſtras literas deſtinaſtis inter cetera continentes apud vos extitiſſe concorditer ordinatum, quod illum in poteſtatem reciperetis pro anno inſtanti a kalendis ianuarii inchoando, ſub

ſub certis conventionibus nobis miſſis, quem veſtrae vellemus praeficere civitati. Nos autem licet omnium civitatum rectores probatae diſcretionis, & fidei eſſe plurimum affectemus; illos tamen praecipue, quos elegimus, ea cupimus ſinceritate pollere, ut mundo corde & manibus innocentibus ſuum officium exequentes & Deo placeant, & hominibus ſint accepti: Ideoque deliberatione praebabita virum nobilem & fidelem, & de domo fideli progenitum, magnae prudentiae, & experientiae longioris dilectum filium Robertum de Robertis, nunc capitaneum Peruſinum, vobis in poteſtatem concedimus ad annum praedictum, ſub illis conventionibus, vel conditionibus, quas ſcripſiſtis. Et ne de illis valeat dubitari, eas ei tradidimus cum ipſis noſtris literis, nullo addito, vel etiam diminuto. Veſtrum eſt ex nunc ejus adire praeſentiam, & ab eodem exigere pacta debita, & eidem permittenda permittere vice verſa. Sane preces, quas ab aliquibus veſtrum recepimus pro perſona alia concedenda, venerunt aliquantulum tarde, cum jam per interpoſitas perſonas verbum de hac materia feciſſemus eidem, & ideo preces hujuſmodi, honeſtate ſalva, nequivimus exaudire. Datum Peruſii II. kal. Octobris anno I. (a).

VII. Poſt Jacobi deceſſum, quem Ughellus anno MCCLXXVI. conſignat, collegium canonicorum eccleſiae Eugubinae, cujus erat epiſcopum eligere, in duas factiones ſciſſum eſt, poſtulantibus aliis Raynerium de Montemellino Peruſinum, aliis Ubaldum ex ipſo canonicorum collegio. Infandae illae factiones, quae per ea tempora civitates Italicas miſerandum in modum lacerabant, in clerum quoque irrepſerant. Hinc atrocia diſſidia in eligendis epiſcopis. Cui malo tandem a Romanis Pontificibus proviſum eſt, electionibus epiſcoporum ad ſe avocatis. Ita neutrum ex electis a canonicis Eugubinis a Pontifice probatum tradit Ughellus. Maurus Soperchie, cujus mentionem non uno loco fecimus (b) Raynutium quemdam inter epiſcopos Eugubinos numerat, quem ait cum epiſcopo Peruſino de pace aliquando egiſſe inter utramque civitatem, Peruſium ſcilicet, & Eugubium ineunda. Raynutius hic non alius, opinor, quam qui Ughello Raynerius, quique, cum, auctore Ughello, ex gente Montemellina, apud Peruſinos apprime illuſtri, editus eſſet, aptiſſimus videbatur ad rem tanti momenti ſuſcipiendam. At Raynerius, ſive Raynutius iſte a Romano Pontifice rejectus eſt, nec inauguratus epiſcopus. Do id quidem, ſed in eo ſchiſmate eccleſiae Eugubinae, quod ſupra biennium duravit, ſi Ughello fides, potuit is tanquam electum epiſcopum ſe gerere, & a ſuis ſaltem fautoribus quaſi verus, ac legitimus epiſcopus ha-

(a) *Ap. Marten. Theſaur. nov. anecdot. Tom. II. ep. CLV.* (b) *Diſſertat. praev. cap. IX.*

haberi. Favebat temporum conditio, eo enim ipſo intervallo duorum annorum, & aliquanto amplius, quod fuit inter obitum Jacobi, & electionem Benvenuti, de quo poſtea dicemus, Romana eccleſia quatuor vidit Pontifices, quorum poſtremus Nicolaus III. diſſidium cleri Eugubini ſuſtulit, rejectiſque Raynerio, & Ubaldo, Benvenutum elegit.

XXXIII.

BENVENUTUS.

I. Ex ordine Minorum epiſcopus creatus eſt Benvenutus anno MCCLXXVIII. ex monumentis ab Ughello allatis. Erat is concionator celebris, & cum eloquentiae, tum prudentiae opinione ſpectatiſſimus. Eum propterea Nicolaus III. digniſſimum judicavit, quem ad Alphonſum Caſtellae, & Legionis regem legaret, ut ejus cum rege Galliarum Philippo diſſidia componeret (a). Ea legatione perfunctum ad epiſcopatum Eugubinum idem Nicolaus Pontifex evexit, qui etiam Philippo Firmanorum epiſcopo, qui per eos dies erat Viterbii cum ipſo Pontifice, mandavit, ut non ſine Benvenuti conſilio reformationem eccleſiae Eugubinae ſuſciperet, in ea enim diuturna, & pertinaci diſſenſione, quam ſupra indicavimus plurimum detrimenti ea eccleſia fecerat. Id naviter a Firmano epiſcopo perfectum eſt, aſſentiente Benvenuto, & Ubaldus, quem ante memoravimus, ejus eccleſiae prior eſt electus, Lambertus de S. Frigdiano praepoſitus creatus eſt, ac cetera tam ad animorum concordiam, quam ad eccleſiaſticae diſciplinae decorem reſtituendum aptiſſime conſtituta ſunt. Habemus id ex Nicolai diplomate, quo Philippi decreta continentur, & apoſtolica auctoritate confirmantur apud Ughellum, ubi de Benvenuto epiſcopo.

II. Cum Benvenutus cathedram Eugubinam obtinuit, adhuc erant ei eccleſiae ſubjecta caſtra plura, & vici, quos in commentario praevio memoravimus. Sed erat id moleſtum communi Eugubinorum, quaſi tantum ex eorum juribus, & potentia decerperetur, quantum epiſcopo accreviſſet. Itaque quod ante cum Avellanitis, & cum abbatibus, ac viris nobilibus in re ſimili fecerant, Eugubini cum epiſcopo tandem faciendum cenſuere: curandum, ſcilicet, ut epiſcopus quibuſcumque conditionibus eorum locorum dominatum abjiceret, & communi concederet. Quid ab iis primo tentatum ſit, non ſatis exploratum habeo: tantum ſcio aliquid ejuſmodi ſuſceptum, quo epiſcopi animus graviter

(a) *Wadingus ad an. MCCLXXVIII.*

viter ſit offenſus. Conſtat enim praetori, magiſtratibus, & concilio civitatis univerſo ſacris ab epiſcopo interdictum, quod eccleſiae Eugubinae jura violaſſe viderentur. Sed haud multo poſt, agente maxime ſancto Albertino Avellanenſium priore, Eugubini cum paſtore ſuo in gratiam redierunt, a quo abſoluti ſunt, & ſacris reſtituti. Eugubinorum reconciliationi adfuit ſanctus Albertinus, ut ex tabulis ea de re confectis ad diem XI. cal. Octobris MCCLXXXII. (a) atque eum propterea multum operae in conciliandis epiſcopo Eugubinorum animis contuliſſe diſcimus, quod nihil in ea controverſia componenda publice actum, tranſactumque ſit non eo ſanctiſſimo viro praeſente. Neque enim quantum ex ejus moribus, vitaeque auſteriſſimae inſtituto judicare poſſumus, ſiviſſet ſe ex ſua Avellanenſi ſolitudine abduci, tantis praeſertim civitatis Eugubinae motibus, niſi quid in iis turbis, & diſſenſionibus ſedandis a ſe praeſtari poſſe confidiſſet.

III. Ita porro & praeſens diſcordia ſublata, & futurae tranquillitati impoſterum proviſum eſt. Quae loca, quive homines Eugubinae eccleſiae antea fuiſſent, ad commune Eugubinorum, concedente epiſcopo, acceſſerunt: honoris, ac poteſtatis jactura, quam propterea Eugubina eccleſia factura erat, non exigua auri ſumma penſata eſt, cautumque praeterea, ne quid ex conſuetis redditibus, penſionibus, ac ſervitiis, quae ex iis locis Eugubina eccleſia capere ſolebat, umquam detraheretur, ac ſola, quam appellant, temporalis juriſdictio communi Eugubinorum traderetur. Haec partium conſenſu prius deliberata, ac firmata fuerant, iiſque ad poſteritatis memoriam ſcribendis praeter ſanctum Albertinum tres ex noſtris Avellanitis adfuere, Bonomus, qui & Bonus alicubi dicitur, abbas Montis Salajoli, & prior Inſulae filiorum Manfredi, & Vita monachus (b).

IV. Quadriennio poſt, anno ſcilicet MCCLXXXVI. aliam habuit offenſionis cauſam cum fratribus ordinis Praedicatorum. Poſtulabant illi, ut domicilium apud Eugubinos habere ſibi liceret, & templum, in quo ſacris operarentur. Negabat epiſcopus. At illi, ampliſſimis reſcriptis ſedis apoſtolicae confiſi, non deſtitere ab inceptis, egeruntque cum Petro Cluſinorum epiſcopo, ut lapidem ſacris ritibus inauguraret, quem more majorum in aedificii fundamentum jacere oporteret, ubi ſedem figere, & domicilium cum aede ſacra extruere decreviſſent. Quod cum is auctoritate apoſtolica feciſſet, fratri Angelo Tenioſo Peruſino poteſtatem fecit ponendi lapidem jam ab ſe dedicatum in locum praeſtitutum. Sunt Petri Cluſini litterae ea de re ſcriptae in archivo

(a) *In archiv. Arman. & ſecret. faſcic. X. membran. Et lib. long. pag. 73.* (b) *Ex tabulis in archiv. ſecret. faſcic. I. cit.*

chivo fratrum Praedicatorum Eugubii, unde quidquid id eſt accepimus. Sed brevi tamen Benvenutus iis fratribus conciliatus eſt; quarta enim dominica quadrageſimae inſequentis anni MCCLXXXVII. qui dies fuit VII. cal. April. Jacobo Tifernatium, Fideſmido Nucerinorum, Bernardo Fulginienſium, Simone Aſſiſinatium epiſcopis ad eam celebritatem invitatis, eorum eccleſiam ad muros urbis ſitam dedicavit. (a) Sed non admodum diu pacatum ibi domicilium habuere fratres Praedicatores. Sub initium enim ſaeculi inſequentis conſtat S. Martini eccleſiam beneficii loco obtinuiſſe Petrum Accorombonum Eugubinum camerae apoſtolicae clericum, quo ad annum MCCCIV. abdicante, rurſus in eum locum ejus ordinis fratres inducti ſunt, reluctante quidem Franciſco epiſcopo, ſed volente, ac jubente Nicolao epiſcopo Oſtienſi, & Velitrenſi ſedis apoſtolicae legato, & ipſo etiam Benedicto XI. cujus auctoritate Nicolaus eccleſiam S. Martini cum beneficio, palatio, hortu, poſſeſſione, ceteriſque ad eam pertinentibus, Dominicanis reſtituit. Vide ejus rei monumentum apud Alverium in eo libro, quem inſcripſit *Roma in ogni ſtato* (b).

V. Anno MCCXCI. eo permittente puellare S. Agnetis Auguſtinienſis inſtituti exordium habuit. Res in hunc modum geſta eſt. Erant pietate, & nobilitate illuſtres foeminae duae Faeſa Benedicti, & Veredicta Fumagi, quae aliquandiu anguſta in cellula muro obſtructa, carcerem appellabant, in ſummo S. Ubaldi monte incluſae vixerant, poenitentiae ſtudio addictae. Sed cum tandem ea vivendi ratio diſplicuiſſet, quod non ſatis fortaſſe apta videretur ad ſpiritualem animae profectum tanta ſolitudo, prudentiori conſilio, ejus vitae genus amplecti cogitarunt, quale in monaſteriis recte inſtitutis ſanctimoniales foeminae ſervare ſolent. Itaque per viros quoſdam nobiles ex primoribus inter Eugubinos cum epiſcopo egerunt, qui tum erat Urbeveteri apud Nicolaum IV. ut ſibi liceret e ſuo illo gurguſtio egredi, atque una cum tribus aliis ejuſdem propoſiti foeminis novum monaſterium condere commodiore loco, & civitati vicino ad radices montis S. Ubaldi, qui locus erat paſſibus aliquot ſupra *caſtrum vetus*, quod vulgo, *Caſſarum* appellabant. Quod conſilium cum Benvenutus probaſſet, per literas mandavit proepiſcopo ſuo, & Venturae eccleſiae Eugubinae canonico, ut negotium ſuſciperent, ac monaſterium in eo loco, quem religioſae foeminae elegiſſent, inſtituere, & opportunis legibus informare curarent: traderent praeterea iiſdem habitum, & regulam S. Auguſtini in eo monaſterio ſemper impoſterum obſervandam:

loci

(a) *Ex diplom. Benvenut. ep. in archiv. Fr. Praedic. Eugub.* (b) *P. II. pag.* 137.

loci praefectam conſtituerent Faeſam Benedictoli, quam interea vicariam dici oporteret, abbatiſſam poſtea creandam, & a ſe confirmandam, ubi ſolemnem inſtituti ſui profeſſionem poſt annum edidiſſet: procurationem tum ſpiritualem, tum temporalem monaſterii ipſi ſuſciperent, quoad vixiſſent, exercendam. Haec a Benvenuto conſtituta ſunt ad annum, quem diximus MCCXCI. (a) monaſterium vero tantum biennio poſt, anno ſcilicet MCCXCIII. curante Ventura canonico, Benvenuto adhuc abſente, inſtitutum.

VI. Extremum vitae ſuae tempus tranſmiſit Benvenutus ſedis apoſtolicae negotiis; legatus enim profectus eſt cum epiſcopo Aeſino a Nicolao IV. ad Rodulphum Romanorum Imperatorem ad conciliandos animos procerum Ungarici regni, qui in rege eligendo acriter inter ſe diſſidebant (b). Ejus legationis, nam aliam ab eo geſtam ignoramus, habemus indicium in ipſius Benvenuti literis ad Ravennatem archiepiſcopum, Forolivio datis, cum ibi eſset hoſpitio exceptus a Rodulpho ejus civitatis epiſcopo. Iis enim litteris ſe inſcribit nuntium domini Papae, & ab archiepiſcopo neſcio quid argenti poſtulat ad emendum equum, quoad eam legationem pro dignitate obeundam, egebat (c). Obiit anno MCCXCIV. ex Ughello.

VII. Anno MCCLXXXIX. menſe Majo Benvenutus Romae erat, ut ex ejus, aliorumque plurium epiſcoporum diplomate conſtat, quod ab amiciſſimo Octavio Turcio, canonico Pirano, communicatum, hic edere placuit, ad eorum temporum diſciplinam de indulgentiarum oeconomia demonſtrandam.

Univerſis Chriſti fidelibus ad quos pervenerit hec ſcriptura. Nos Rambottus epiſcopus Camerinenſis Bonifacius Parentinus epiſcopus Petrus Traſonenſis epiſcopus Lituardus Dei gratia epiſcopus Nepeſinus Aymericus epiſcopus Coimbricenſis Gerardus archiepiſcopus Magontinus Fredericus epiſcopus Ferrarienſis fr. Benvenutus epiſcopus Agobinus Dopnus Petrus archiepiſcopus Arborienſis Lotherius epiſcopus Verulanus Munaldus Dei gratia epiſcopus Auximanenſis (d).

Licet is de cujus munere venit ut ſibi a ſuis fidelibus digne ac laudabiliter ſerviatur de habundantia pietatis ſue munera ſupplicum ex-

A a *ce-*

(a) *Ex chron. mon. S Spirit. Eugub. mſſ. p. 25.* (b) *Wading. ad an. MCCXC.* (c) *Archiv. eccl. metrop. Raven. F. n. 1904.* (d) *Vetus mos fuit, ut ad eccleſiarum dedicationes plures convenirent epiſcopi. Id etiam hoc ipſo ſeculo, quoad exitum proferante vivebat Benvenutus, quandoque obſervatum. Sed id tandem communius receptum eſt, ut cum aliqua eccleſia dedicanda eſſet, epiſcopus ejus dioceſis plures alios epiſcopos per literas regaret, ut ad eam celebritatem augendam, conciliandamque majorem hominum venerationem ei eccleſiae, ſymbolam conferrent, hoc eſt ſinguli, quas poſſent, indulgentias concederent. Ut autem plures uno loco, & tempore reperirentur, epiſcopi, a quibus hoc beneficium impetraretur, ad eos ſcribi non raro conſuevit, qui apud Romanum Pontificem degebant. Eſt id vulgo notiſſimum.*

cedens & vota bene ſervientibus multo majora tribuat quam valeant promereri. Deſiderantes tamen reddere domino populum acceptabilem fideles Chriſti ad complacendum & quaſi quibuſdam aſſecutis muneribus indulgentiis videlicet & remiſſionibus incitamus ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur ut eccleſia S. Salvatoris dominarum ordinis S. Clare de S. Severino Camerinenſis dioceſis congruis honoribus frequentetur & nos divina gratia largiente tertia dominica menſis martii proxime venientis prefatam eccleſiam conſecrare intendamus paternitatem veſtram duximus preſentibus deprecandam quatenus omnibus vere penitentibus & confeſſis qui ad dictam eccleſiam omni devotione & ſpiritu humilitatis ejuſdem acceſſerint vel ad fabricam dicte eccleſie S. Salvatoris manus adjutrices porrexerint nos de omnipotentis Dei miſericordia & BB. Petri & Pauli apoſtolorum auctoritate confiſi ſinguli ſingulis dictorum unum annum de venialibus & XL. dies de criminalibus de injunctis ſibi penitentiis ſub ratihabitione venerabilis fratris noſtri D. Rambocti epiſcopi Camerinenſis miſericorditer in domino relaxamus. In cujus rei teſtimonium preſens ſcriptum ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandum. Datum Rome ſub anno domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono tempore D. Nicolai PP. IV. anno II. indict. II.

VIII. Sedente Benvenuto, quantum conjecturis aſsequi poſsumus, ex hac vita migravit eximius ille Avellanenſium moderator Albertinus, cujus ſupra meminimus, ejuſque ſacrum corpus in templo Avellanenſi conditum eſt, ubi ſumma religione in hunc diem aſſervatur, & colitur. De eo non exiguum commentarium conſcripſimus, in antiquitatibus Avellanenſibus edendum.

IX. De rebus Eugubinorum Benvenuti temporibus haec non ſunt reticenda, quod anno MCCLXXXI. foedus initum inter Eugubinos, & Callienſes; quod anno MCCLXXXV. Pergulani ſolum ipſum, in quo caſtrum Pergulanum conditum eſt, juraque omnia, & actiones, quae commune Pergulanorum haberet in ſolum, ac cetera loca, reſque, & familias caſtri Pergulani, communi Eugubinorum ſolemni ſtipulatione dederunt, donaruntque: quod ab Aegidio Janninio in ſuis monumentis hiſtoricis prius diſſimulatum, poſtmodum negatum eſt contra fidem tabularum publicarum, quas hiſtoriae Pergulanae cenſor vulgaverat in appendice ad ſuam apologiam.

XXXIII.

VENTURA.

I. Ex priore Ruperianae plebis in dioeceſi Spoletana Eugubinorum antiſtes Ventura creatus eſt anno MCCXCV. a Bonifacio VIII. in diſſenſione capituli. Pars enim canonicorum poſtulabat Joannem, epiſcopum Foroſempronienſem, pars Octavianum S. Petri ad Aram ex ordine S. Auguſtini in urbe Neapoli: Bonifacius, utroque rejecto, Venturam elegit, ac diſſidium ſuſtulit. Haec fere Ughellus, quae ſe habuiſſe ait ex monumentis Vaticanis (a). Sed num ex iiſdem monumentis habuit, quod Venturam dicit civem Eugubinum fuiſſe? Haud equidem credo. Sunt enim in archivo monialium S. Spiritus Eugubii tabulae ad diem III. non. Januar. anno MCCXCVIII. ſcriptae, quibus ſcribendis adfuiſſe legitur *D. Lioctus de Spoleto frater D. Venturae epiſcopi Eugubini* (b). Itaque jam minus miror, Venturam domo Spoletanum extremum diem Spoleti in patria ſua obiiſſe, nam Spoleti Venturam e vivis exceſſiſſe tradit Ughellus. Quod autem Lazarellus Venturam non ſolum patria Eugubinum, ſed etiam eccleſiae Eugubinae canonicum praedicat, nihil eſt. Venturam quemdam inter canonicos Eugubinos fuiſſe noverat temporibus Benvenuti epiſcopi, quem nos etiam ſupra nominavimus, cum de Benvenuto dicebamus. Eo factum eſt, ut eum ipſum crediderit poſt obitum Benvenuti ex canonico creatum eſſe epiſcopum, quaſi nemo unus eſſe poſſet praeter canonicum illum Eugubinum, qui eo nomine vocaretur. Eſt aliquis, qui Venturam ex Buffalinis Tiphernatibus illuſtri ſane familia prodiiſſe autumat (c), ſed id conciliari poſſe non videtur cum iis, quae modo diximus.

II. Probante Ventura xenodochium ex Caritate appellatum erectum eſt pro pauperibus, & peregrinis ad eam portam civitatis, quae erat prope *pontem marmoreum*. Pii operis auctores Angelus Nevoli, Juncta Campagnoli, & Jacobus Conolciutae, qui praeter operam, curamque multam, ex ſuis facultatibus plurimum etiam in eam rem contulerunt. Epiſcopus eorum ſtudia aemulatus xenodochium amplis ornavit immunitatibus, & privilegiis; nam & locum eſſe voluit liberum tum ab ſua, & eccleſiae Eugubinae, tum a cujuſvis judicis ſive ſecularis, ſive eccleſiaſtici poteſtate, & ſodalibus loci curatoribus permiſit, ut publi-

(a) *Regiſt. Vatic. ep. 65. p. 14. a. l.* (b) *Vidit Angelinus, ut ex ejus ſchedis.* (c) *Lazari in epiſt. Tiphernat. pag. 176.*

cum oratorium aliaque aedificia ſuis, & pauperum, & peregrinorum uſibus neceſsaria habere poſsent, ſuumque ſibi praefectum, ſive, ut appellare ſolebant, praeceptorem eligerent, hac una conditione adjecta, ut a fratribus electum epiſcopus ipſe, vel eo abſente canonicorum eccleſiae Eugubinae collegium approbaret. Ne quid autem eccleſia Eugubina detrimenti capere videretur, ceriae libram pro annua ſibi penſione ſervavit. Datum eſt Venturae diploma VII. id. Dec. anno MCCXCV. ejuſque ſynopſim vidimus in ſaepe jam memorato Francilci M. Armanni codice (a).

III. At non idem animus Venturae epiſcopi erga xenodochium S. Spiritus, id enim qua neſcio de cauſa tollere decreverat. Certe ejus xenodochii moderatorem anno MCCCI. IX. kal. April. comperimus Romanum Pontificem appellaſſe contra Venturam epiſcopum, qui ejus xenodochii bona Parthenoni S. Agnetis attribuere decreverat (b).

IV. Anno ſuperiore, hoc eſt MCCC. epiſcopus, aliique proceres eccleſiae Eugubinae gravem offenſionis cauſam habuere cum Simone canonico Reatino, qui pro ſede apoſtolica in ducatu Spoletano ſacris praeerat: vicarium in ſpiritualibus generalem dicebant. Ad eum neque epiſcopus, nec alius quiſpiam nomine eccleſiae Eugubinae cum xeniis venerat paſchalibus diebus. Quare is indignabundus literas ſcripſit, quibus &, Venturae epiſcopo, ejuſque vicario, & priori eccleſiae majoris Eugubinae, & abbatibus S. Petri, S. Mariae de Alfiolo, S. Bartholomaei de Petrojo, S. Benedicti de Monte Pilio, S. Angeli de Claſerna, S. Aemiliani de Conjunctulis, ac S. Verecundi de Spiſſis, nam eorum omnium par cauſa erat, ſententiam excommunicationis intentabat, niſi ad certam diem factum purgaturi, & ſatisfacturi officio ad ſe veniſsent. Hanc procellam ut ab ſe averterent, Hugonem S. Gervaſii archipresbyterum ad eum cum mandatis miſerunt (c).

V. Gravem, & diuturnam litem habuit Ventura cum monachis Avellanenſibus, eccleſiaſticae juriſdictionis cauſa. Ejus cognitionem Bonifacius VIII. duobus Cardinalibus Theodorico, epiſcopo civitatis papalis, & P. tituli S. Mariae novae commiſit, quorum judicio ita res compoſita eſt, ut Avellanenſes epiſcopatui Eugubino caſtrum Scleyae concederent cum capella S. Chriſtophori ibidem ſita, & eccleſiam item S. Apollinaris, eam opinor, quae ſita erat in fundo Nartianula, quaeque Avellanenſibus accreverat S. Joanne Laudenſi rem Avellanenſem moderante (d), & eccleſiam denique S. Blaſii de Alfiolo cum

(a) *Archiv. Arman. lib. D pag. 326.* (b) *Ex tabulis archiv. S. Sp.* (c) *Archiv. Arman. l. D pag. 347.* (d) *Vit. S. Joan. Laud. obſervat. in c. V. n. V.*

cum ſuis omnibus aedificiis, juribus, & bonis, atque ita deinceps ab omni juriſdictione epiſcopi Eugubini eximerentur, nec ei quidquam tributi, decimarum, aut alio quovis nomine pendere deberent tam pro monaſterio Avellanenſi, quam pro ceteris monaſteriis, ſacerdotiis, & bonis, quae intra fines Eugubinae dioeceſeos haberent. Hanc duorum Cardinalium, quos diximus, ſententiam ſuis literis confirmavit Bonifacius VIII. quas hic damus. Eas ex autographo, in tabulario abbatiae Florentinae adſervato, exſcripſit, communicavitque Petrus Aloyſius Gallettus, monachus Caſinenſis, vir ſpectatae eruditionis, & humanitatis.

VI. *Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabili Fratri Venture Epiſcopo Eugubino ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exhibita nuper nobis tua petitio continebat quod dudum inter te nomine tuo & Epiſcopalis Sedis ac Eccleſie Eugubine ex parte una & dilectos filios Iacobum Priorem & Conventum heremi Sancte Crucis Fontisavellane per Priorem ſolite gubernari tue dieceſis ex altera ſuper eo quod iidem Prior & Conventus ſe ac dictam heremum exemptos a tua & ipſarum Sedis & Eccleſie iuriſdictione dicebant materia queſtionis exorta & cauſa ipſa ad noſtram deducta notitiam Nos volentes cauſam eandem per viam compendii terminari Venerabili Fratri noſtro Theodorico epiſcopo Civitatis Papalis & dilecto filio noſtro P. Sancte Marie Nove diacono Cardinali mandavimus & commiſimus oraculo vive vocis ut inter te ac ipſos Priorem & conventum ſuper cauſa predicta de concordia & pace tractarent ordinarent diſponerent & amicabiliter de plano ſine ſtrepitu & figura iudicii prout eis melius videretur expediens ſummarie diffinirent. Ipſi autem Cardinales auctoritate mandati & commiſſionis huiuſmodi habito hinc & inde diligenti tractatu tandem de communi concordia & voluntate tua & predicti Prioris ac dilectorum filiorum Monaldi de Eugubio Herrici de Cantiano & Iohanne de Peruſio Monachorum heremi ſupradicte ſuper hoc aſſiſtentium ipſi Priori te ac ipſis Priore Monaldo Herrico & Iohanne Monachis in ipſorum Cardinalium propter hoc preſentia conſtitutis ordinaverunt diſpoſuerunt & diffinierunt pro bono pacis & concordie inter vos perpetuo obſervande quod predictus Prior nomine tuo & dicte heremi & conventus libera abſoluta & ab omnibus perſonis expedita darent & concederent tibi recipienti pro te ac tuis in perpetuum ſucceſſoribus Epiſcopis Eugubinis & Eccleſia ac Sede predictis ad opus & unum proprium & perpetuum Epiſcopalis menſe Eugubine Caſtrum Scleye ſeu Scleyam diſtrictus & Dieceſis Eugubine cum Vaſſallis Domibus Palatiis Caſalenis Montibus Silvis Pratis Paſcuis terris cultis & incultis vineis nemoribus molendinis Aquimolis & omnibus iuribus & pertinentiis ſuis cum Capel-*

la

la Sancti Xpõfori ibidem ſita. Eccleſiam Sancti Apolinaris ſitam in territorio Eugubino cum omnibus terris cultis & incultis vineis ſilvis molendinis aquimolis Vaſſallis & omnibus & ſingulis ſuis bonis & iuribus ubique exiſtentibus & Eccleſiam Sancti Blaſii de Alſiolo dicte dieceſis ad dictam heremum pertinentia cum toto podere omnibuſque Vaſſallis domibus poſſeſſionibus bonis & iuribus que ipſa Eccleſia Sancti Blaſii & que predicta heremus ſeu Monaſterium Sancti Andree de Inſula filiorum Manfredi eiuſdem dieceſis quod Monaſterium eſt ipſi heremo immediate ſubiectum habebant in contrata dicti loci de Alſiolo. Quodque tu pro te ac ſucceſſoribus Capitulo Eccleſia Sede ac menſa predictis & iidem ſucceſſores Capitulum Eccleſia Sedes & menſa eſſetis de huiuſmodi ordinatione diſpoſitione ac diffinitione contenti nec quicquam ulterius ratione ſeu cauſa ordinarie iuriſdictionis peteretis vel exigeretis a Priore Conventu & heremo prelibatis vel ab eorum Eccleſiis Capellis membris perſonis locis & bonis ſeu inquietaretis vel moleſtaretis ea vel aliquod eorumdem ſed a ceptis moleſtationibus & inquietationibus occaſione ordinarie iuriſdictionis deſiſteretis omnino. Dictuſque Prior cum conſenſu predictorum Monaldi Herrici & Iohannis Monachorum ad hmoi ordinationem diſpoſitionem & diffinitionem ipſorum Cardinalium dedit cepit & conceſſit nomine ſuo ac eorumdem Conventus & heremi ſibi recipienti pro te ac ſucceſſoribus Eccleſia ſede ac menſa Eugubina predictis ad huiuſmodi opus & uſum dicte menſe predicta Caſtrum Scleye ſeu Scleyam Sancti Xpõfori Sancti Apolinaris & Sancti Blaſii Eccleſias cum Vaſſallis domibus palatiis poſſeſſionibus bonis & iuribus omnibus & ſingulis ſupradictis prout hec & alia in Inſtrumento publico exinde confecto cuius tenor de verbo ad verbum inferius eſt inſertus plenius continetur. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis ut ordinationem diſpoſitionem diffinitionem dationem ceſſionem & confeſſionem huiuſmodi & earum contractum cum omnibus & ſingulis que in ſe continet confirmare ac ſupplere omnem defectum qui in eis vel eo eſſet de benignitate apoſtolica dignaremur.

VII. *Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati ordinationem diſpoſitionem diffinitionem dationem ceſſionem conceſſionem & contractum ſuper hiis habitum cum omnibus & ſingulis que in eo contenta ſunt quodque in premiſſis factum eſt per Cardinales predictos rata habentes & grata ea ex certa ſcientia auctoritate Apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Supplentes omnem defectum qui pro eo quod in ordinatione diſpoſitione diffinitione datione ceſſione & conceſſione predictis predictorum Capituli & Conventus ſeu Prioris dicti Monaſterii de Inſula non intervenit aſſenſus vel alia quacumque ratione ſeu cauſa predictis ordinationi diſpoſitioni diffinitioni dationi ceſſioni conceſſioni & contractui*

ac

ac biis que in ſe continet ineſſet vel poſſet ineſſe ad apoſtolice plenitudine poteſtatis. Tenor vero dicti Inſtrumenti talis eſt.

VIII. *Theodericus Miſeratione Divina Civitatis papalis Epiſcopus & Petrus Sancte Marie Nove diaconus Cardinalis univerſis Xpi fidelibus preſens inſtrumentum publicum inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Univerſitati veſtre pateat evidenter quod Sanctiſſimus Pater & Dominus noſter Dominus Bonifacius divina providentia Papa octavus volens cauſam vertentem ſeu que verti ſperabatur inter Venerabilem patrem Dominum Venturam Dei gratia Epiſcopum Eugubinum nomine ſuo & ſui Epiſcopatus ex parte altera & religioſos viros Dominum Iacobum Priorem & Conventum heremi Sancte Crucis Fontisavellane Eugubine dieceſis ex altera ſuper eo quod iidem Prior & Conventus ſe ac dictam heremum exemptos eſſe a iuriſdictte ipſius Epiſcopi & Sedis ac Eccleſie Eugubine dicebant per viam compendii terminari nobis cauſam ipſam oraculo vive vocis commiſit nichilominus nobis mandans ut inter partes ipſas ſuper cauſa predicta de pace ac concordia tractaremus ordinaremus diſponeremus de ipſa ſummarie amicabiliter & de plano abſque ſtrepitu & iudiciali figura prout nobis melius expediens videretur. Nos enim auctoritate commiſſionis huiuſmodi & mandati nitentes ſuper huiuſmodi cauſa ad amicabilem concordiam partes ipſas deducere prehabito ſuper hoc diligenti hinc & inde tractatu tandem de communi & unanimi concordia & voluntate ipſorum Epiſcopi & Prioris ac religioſorum virorum Monaldi de Eugubio Herrici de Cantiano ac Iohannis de Peruſio Monachorum heremi ſupradicte ſuper hoc ipſi Priori aſſiſtentium Epiſcopo ipſo & Priore ac dilectis Monachis in noſtra propter hoc preſentia conſtitutis pro bono pacis & concordie inter partes ipſas perpetuo obſervande ordinavimus diſpoſuimus & diffinivimus quod predictus Prior nomine ſuo & predictorum heremi & Conventus libera abſoluta & a perſonis omnibus totaliter expedita darent & concederent & dare ac concedere tenerentur ipſi Epiſcopo recipienti pro ſe ac ſuis in perpetuum ſucceſſoribus Eugubinis Epiſcopis & Eccleſia ac ſede predictis ad opus & uſum proprium & perpetuum Epiſcopalis menſe Eugubine Caſtrum Scleye ſeu Scleyam diſtrictus Eugubii cum Vaſſallis domibus palatiis caſalenis montibus ſilvis pratis paſcuis terris cultis & incultis vineis nemoribus molendinis aquimolis & omnibus & ſingulis bonis & iuribus ſuis ubicumque exiſtentibus cum Capella Sancti Xpõfori ibidem ſita Eccleſiam Sancti Apolenaris in territorio Eugubino ſitam cum domibus terris cultis & incultis vineis ſilvis molendinis aquimolis & Vaſſallis & omnibus & ſingulis ſuis iuribus & pertinentiis ubicumque exiſtentibus. Nec non Eccleſiam S. Blaſii de Alfiolo Eugubine Dieceſis ad dictum heremum libere pertinentia cum toto podere omnibuſque Vaſſallis*

lis domibus poſſeſſionibus vineis ſilvis terris cultis & incultis & bonis & iuribus omnibus que ipſa Eccleſia Sancti Blaſii & que predicta heremus ſeu Mottrium S. Andree de Inſula filiorum Manfredi dicte dieceſis quod Mottrium eſt ipſi heremo immediate ſubiectum habebant in contrata tenimentis & pertinentiis dicti loci de Alfiolo. Dictuſque Prior cum conſenſu & voluntate predictorum Monaldi Herrici & Iohannis Monachorum ad ordinationem diſpoſitionem & diffinitionem noſtras hujuſmodi dedit ceſſit & conceſſit nomine ſuo ac eorundem Conventus & heremi eidem Epiſcopo recipienti pro ſe ac ſucceſſoribus Eccleſia Sede & menſa Eugubina predictis ad huiuſmodi opus & uſum predicte menſe libera abſoluta & a perſonis omnibus totaliter expedita predictum Caſtrum Scleye ſeu Scleyam cum Vaſſallis domibus palatiis caſalenis montibus ſilvis pratis paſcuis terris cultis & incultis vineis molendinis aquimolis & omnibus & ſingulis bonis & iuribus ſupradictis cum predicta Capella Sancti Xpõfori ibidem ſita cum ſuis bonis & iuribus univerſis Eccleſiam Sancti Apolinaris predictam cum domibus vaſſallis terris cultis & incultis molendinis aquimolis vineis & aliis poſſeſſionibus pertinentiis ſuis & iuribus omnibus ſupradictis. Nec non Eccleſiam S. Blaſii de Alfiolo predictam cum toto podere omnibuſque Vaſſallis domibus poſſeſſionibus vineis ſilvis terris cultis & incultis bonis & iuribus omnibus & ſingulis que ipſa Eccleſia Sancti Blaſii & que predicta heremus ſeu Monaſterium S. Andree predictum haberent in dicta contrata & tenimentis ſeu pertinentiis dicti loci de Alfiolo. Quodque ipſe Epiſcopus pro ſe ac ſucceſſoribus Capitulo Eccleſia Sede ac menſa predictis ac iidem ſucceſſores Capitulum Eccleſia Sedes & menſa eſſent & eſſe deberent de huiuſmodi ordinatione diſpoſitione ac diffinitione contenti nec quicquam ulterius ratione ſeu cauſa ordinarie iuriſdictionis peterent vel exigerent a Priore Conventu & heremo prelibatis vel ab eorum Eccleſiis Capellis membris perſonis locis & bonis ſeu inquietarent vel moleſtarent ea vel aliquod eorundem ſed a ceptis moleſtationibus & inquietationibus occaſione ordinarie iuriſdictionis deſiſterent.

IX. *In cuius rei teſtimonium preſens publicum Inſtrumentum per Nicolaum de Guarcino Notarium infraſcriptum ſcribi & publicari mandavimus & ſigillorum noſtrorum appenſione muniri. Acta ſunt hec Rome in domibus Eccleſie Sanctorum Iohannis & Pauli. Sub anno Domini ab eius nativitate milleſimo trecenteſimo primo Indictione quartadecima die duodecimo Menſis Decembris Pontificatus Domini Bonifatii Pape Octavi anno ſeptimo. Preſentibus Venerabili Patre Domino Bernardo Epiſcopo Parenti Domino Andrea de Eugubio Canonico Catbalauneſi Camerario predicti Domini Theodorici Civitatiſpapalis Epiſcopi Domino Iacobo Priore Eccle-*

ſie

ſie Sancte Marie Nove de Urbe Camerario prefati Domini Petri Cardinalis Domino Gregorio Priore Eccleſie Sanctorum Iohannis & Pauli de Gaieta ac Magiſtro Raynaldo Canonico Caturcenſi teſtibus ad hec vocatis ſpecialiter & rogatis.

X. *Et ego Nicolaus de Bono de Guarcino publicus Imperiali auctoritate notarius predictis omnibus & ſingulis interfui ea omnia & ſingula ut ſupraſcripta ſunt de mandato dictorum Dominorum Cardinalium ſcripſi & in publicam formam redegi meoque ſigno ſignavi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis & ſupplectionis infringere vel ei auſu temerario contraire ſi quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Laterani XII. Kalendas Ianuarii Pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

XI. Biduo poſt Bonifacius alio inſigni diplomate monaſterium Avellanenſe ab omni prorſus juriſdictione epiſcopi Eugubini exemit, ac ſedi apoſtolicae immediate ſubjecit, impoſito trium librarum Ravennatum tributo, quod in feſto Ss. apoſtolorum Petri & Pauli monachi Avellanenſes pro hujuſmodi immunitate quotannis perſolverent. Datum eſt hoc Bonifacii VIII. diploma XII. kal. Januarii anno ſeptimo, quod in antiquitatibus Avellanenſibus edemus (a).

XII. Anno denique MCCCII. Ventura epiſcopus poteſtatem fecit fratribus S. Sperandei, ordinis S. Benedicti, ut ad eccleſiam S. Donati de Fauce migrarent. Erat priſtinum eorum domicilium ad Divi Matthaei, qui locus contiguus erat aedibus monialium S. Donati prope muros urbis, nec poterat utriſque incommoda non eſſe tanta vicinitas. Itaque communi conſenſu deliberatum eſt, ut fratres vetus domicilium, quod ad divi Matthaei habebant, cum eccleſia S. Donati de Fauce, quae earum monialium erat, commutarent: atque ita non tam ſuae & monialium ipſarum famae, quae vel otioſorum dicteriis, vel maledicorum morſibus objecta erat, quam ſuae tranquillitati, & quieti optime conſuluerunt; eſt enim eccleſia S. Donati de Fauce extra civitatem loco ad monaſticam ſolitudinem aptiſſimo. Plura de his apud Lancellotum Olivetanae hiſtoriae ſcriptorem (b), a quo Venturae epiſcopi, eam permutationem ratam habentis, diploma affertur datum V. id. Aug. ejus anni MCCCII. Quod ſi eo ipſo anno epiſcopus creatus eſt Franciſcus, de quo mox dicemus, Venturam oportet paulo poſt datum illud diploma ſupremum diem objiſſe.

XIII. Quo anno Ventura eccleſiae Eugubinae praefectus eſt, anno

(a) *Archiv. Avel. caps.* Privilegia. (b) *Hiſt. Olivet. l. II. c. 50.*

ſcilicet MCCXCV. recruduere in ea civitate civiles diſcordiae, & ingens civium ſtrages fuit. Ghibellinorum duces Marioni, Guelphorum erant Gabriellii. Quinquennio poſt cum multa in concilio civitatis de patriae ſalute propoſita eſſent, nihil melius turbatiſſimo illo tempore viſum eſt, quam ut revocatis exulibus Eugubini ſe ſe fidei ac tutelae Federici comitis Montiſferetri committerent. Atque is non multo poſt, cum ingenti manu Ghibellinorum civitatem invaſit. Sed brevi tamen fugatus eſt a Neapoleone Urſino, ſedis apoſtolicae legato, qui, Ghibellinis expulſis, civitatem recepit. Stephanus Baluzius in notis ad vitam Clementis V., de Neapoleone Urſino diſſerens, haec affert ad rem noſtram, ex codice 5496. bibliothecae Colbertinae: *iſte Bonifacius Papa, prudens & ſtrenuus, per legatum ſuum Dominum Neapoleonem Cardinalem Eugubinam civitatem, captam, & occupatam, & expoliatam per comites Montiſferetri, & Fagiolae & ....& ſequaces eorum, reacepit, & priſtinae reſtituit libertati, effugatis inde rebellibus in anno Domini MCCCI.* (a). Sed vereor ne in anno error ſit, monumenta enim Eugubina, quae vidi, haec anno MCCC. contigiſſe oſtendunt; atque hunc etiam annum habet accuratiſſimus cenſor hiſtoriae Pergulanae (b). Conſentiunt Annales Ceſenae a Muratorio editi inter ſcriptores Rer. Italicarum (c). Addit Baluzius ex Ptolomaeo Lucenſi civitatem Eugubinam a Ghibellinis captam anno MCCXCV. ac poſtea recuperatam Cardinalis Neapoleonis opera, quod fallum puto, atque inde exortum, quod ad eum annum Guelphis & Ghibellinis ad arma ruentibus conflictus atrox, & magna caedes apud Eugubinos fuerit, ut ex monumentis ejus civitatis comperio.

XXXIV.

FRANCISCUS.

I. Franciſcus ex priore eccleſiae Eugubinae, epiſcopus a collegio canonicorum electus, a Bonifacio VIII. confirmatus eſt anno MCCCII. IV. id. Dec. ut tradit Ughellus ex autographis Vaticanis literarum apoſtolicarum (d). Paulo poſt a Theodorico Cardinali, civitatis Papalis epiſcopo, conſecrationis munus accepit, ut idem habet Ughellus, qui addit Franciſcum eo ipſo anno eccleſiam S. Martini fratribus Praedicatoribus, juſſu mandatoque Benedicti XI. attribuiſſe, ejuſque men-

(a) *Baluz. Vit. Pp. Avenion. Tom. I. p.* 1413. (b) *Synopſ. hiſtor. ad calcem Apolog. contra Jannin.* (c) *Rer. Italic. ſcript. Tom. XIV. Annal. Caeſen. pag.* 1120. (d) *Regeſt. Bonifac. VIII. ep.* 33. *pag.* 233.

mentionem haberi ait ad annum MCCCXXII., ac tandem naturae debitum ſolviſſe anno MCCCXXVI. Haec de Franciſco Ughellus, ac nihil praeterea. Nos memoriam clariſſimi viri, quem cum praeſtantioribus eccleſiae Eugubinae epiſcopis comparandum judicamus, aliquanto amplius illuſtrare conabimur.

II. Anno igitur MCCCII. exeunte, Eugubinorum antiſtes electus, nihil potius habuit, quam ut collabentem temporibus illis eccleſiaſticam diſciplinam optimis legibus fulciret, & eam morum corruptionem, quam inteſtina Italiae bella, & perpetuae diſſenſiones, factioneſque inducebant, a grege ſibi credito, quoad fieri poterat, averteret. Vix itaque ad epiſcopatum evectus, conſtitutiones edidit, ſane quam utiliſſimas, quas publice propoſuit ad diem XXI. Febr. MCCCIII. Earum autographum vidimus in archivo Armanno in codice membranaceo (a), atque hunc titulum praeferunt: *Decreta, ſeu conſtitutiones reverendiſſimi D. Franciſci epiſcopi Eugubini editae die* XXI. *Februarii anno MCCCIII.*

III. Complectuntur conſtitutiones hae praecipua rerum capita, quae vel ad ſacrorum religionem, vel ad cleri, univerſique populi diſciplinam pertinent, ſuntque multis nominibus digniſſimae, quae proferantur in lucem, nihilque in iis deeſt, quod ad abſolutiſſimam ſynodum dioeceſanam requiri poſſe videatur. Earum ſpecimen aliquod hic ſubjiciendum eſt, quantum ſcilicet olim in ſumma temporis inopia curſim exſcribere licuit. Sunt in eodem codice aliae conſtitutiones ejuſdem epiſcopi admodum prolixae contra uſurarios; quae peſtis per eos dies maxime graſſabatur. In his conſtitutionibus vigilantiſſimus epiſcopus omnes eorum latebras ſcrutatur, & mira ſubtilitate fraudes explicat, graviſſimis poenis in eos latis, qui vel minimam ejus vitii labem contraxiſſent.

IV. Per idem tempus proſpexit etiam eccleſiarum ſuae dioeceſeos commodis, & ſecuritati, edita conſtitutione quoad ea bona eccleſiaſtica, quae emphyteutica dicuntur, per quam eccleſiarum certum, & nativum jus in ea bona ſartum, tectumque ſervatur. Edita dicitur haec conſtitutio an. MCCCIII. (b). Hiſce principiis epiſcopatum auſpicatus eſt Franciſcus, nec dubito, quin ea geſſerit per annos amplius quatuor & viginti, quibus cathedram Eugubinam tenuit, quae amplam ad ſcribendum materiam praebitura eſſent, niſi eorum memoria propter longinquitatem temporis intercidiſſet.

V. Anno MCCCXIII., eo agente, initium habuit ſocietas S. Ma-

(a) *In codic. notat. FF.* (b) *Archiv. Arman. faſcic. G inter Cantalmaii ſchedas.*

riae, quam e loco, ubi erecta eſt, de mercato dixerunt, ubi & eccleſia condita, & hoſpitale adjectum eſt pro infirmis. Qui primum ei ſocietati nomen dederunt, ex nobilibus civitatis judicibus, & mercatoribus fuere, ut diſerte legimus in Franciſci diplomate, cujus excerpta vidimus in Angelini adverſariis. Indidem habemus Franciſcum poſtero anno, hoc eſt MCCCXIV. monaſterium in monte Sancti Ubaldi erigendum curaſſe, in quo ſanctimoniales ex ordine S. Auguſtini collocaret, quod ex nomine S. Agathae dictum eſt.

VI. Poſtero anno, hoc eſt MCCCXV. interfuiſſe dicitur conſecrationi eccleſiae S. Franciſci in oppido Gualdo Nucerinae dioeceſis (a). Eodem anno dedicata eſt eccleſia fratrum Minorum in Colleſtacciario, agri Eugubini caſtro, ſecus viam Flaminiam, a Franciſco epiſcopo Aeſino, permiſſu epiſcopi noſtri, qui & praeſens adfuit, & certis indulgentiis eam eccleſiam donavit, quod item factum eſt ab Aeſino epiſcopo, quem diximus, & a Joanne Nucerino, Theobaldo Aſſiſiati, Rogerio Callenſi, Ugolino Tiphernate, qui a Franciſco Eugubino rogati, eo ſpirituali munere novam Dei ſponſam decorarunt. Extant eorum literae in archivo fratrum Minorum caſtri Colleſtacciarii. Datae ſunt Franciſci literae, quibus chriſtifideles ad eam dedicationem invitat, VI. kal. Maii: dedicatio autem peracta eſt ipſo die kalendarum, qui Sanctis Philippo & Jacobo ſacer eſt, quibus ſcilicet ea eccleſia dicata fuit. Poſt duos annos, hoc eſt anno MCCCXVII. Joannes Reatinus epiſcopus, annuente Franciſco Eugubino, ſimilem indulgentiam conceſſit adeuntibus eam eccleſiam quotannis ipſo dedicationis die, certiſque aliis diebus feſtis, quos ſuperiores etiam epiſcopi deſignaverant. *Dat Reat. an. MCCCXVII..... Martii.* Idem Franciſcus epiſcopus ante illud tempus beneficentiam ſuam erga fratres Minores ejus loci oſtenderat, ſpiritualibus indulgentiarum beneficiis fideles alliciens ad eorum eccleſiam viſitandam, & conferendam opem ad ejus aedificationem perficiendam, datis literis Eugubii XX. Novemb., *apoſtolica ſede vacante*. Non diſſimile ſtudium fuit Neapoleonis diaconi Cardinalis, ſedis apoſtolicae legati, *dat. Eugubii* VIII. *kal. April. Bonifacii Papae VIII. anno VII.* tum Venturae epiſcopi Eugubini, qui Franciſcum anteceſſit, & Joannis epiſcopi Nucerini. Uterque enim praeter indulgentiarum largitionem, pro ſua quiſque civitate, & dioeceſi decrevit, ut ſi quis quid vel furto ſublatum, aut iniquo foenere partum penes ſe haberet, ignoraretque cui nam reſtitutio eſſet facienda, ſi detuliſſet id ad procuratorem fratrum Minorum

(a) *Jacobil. Sc. Umbr. Tom. I. pag.* 177.

rum caſtri Colleſtacciarii, pro iiſdem fratribus impendendum, ab omni reſtitutionis onere abſolutus eſſet habendus, & id quidem ad ſummam utque librarum viginti pro Eugubinis, pro Nucerinis vero ad ſexaginta libras. Sancivit id Ventura Eugubinus per Jacobum Jacobi canonicum Fulginienſem, vicarium ſuum. *Dat. Eugub.* VI. *Febr. Bonifacii Pp. VIII. anno V.* Joannis Nucerini literae datae ſunt anno MCCC. (a).

VII. Per eos dies, anno ſcilicet MCCCXVIII., monachis quibuſdam Armenis permiſit Franciſcus, ut ſibi domicilium, & eccleſiam conſtruerent, quae S. Angeli de Fauce appellata eſt, vetuitque ſuis literis, hac de re ad eos monachos datis, ne quis Italus, neu quis Latinus quidquam juris in eum locum habere poſſet. Cum autem iis temporibus, ut initio indicavimus, civilibus armis major Italiae pars quateretur, Franciſcus certam quamdam precationum formam praeſcripſit ad poſtulandum a Deo pacem, & civium concordiam, atque ut plurimos alliceret, ex poenis, quas quiſque pro ſuis peccatis eſſet meritus, quadraginta dies iis remiſit, qui eam precandi rationem tenuiſſent in dies. Datae ſunt Franciſci ea de re literae VI. id. Aug. MCCCXX. (b).

VIII. Anno MCCCXXIII. prid. id. Febr. ſocietatem piorum quorundam hominum, Ss. Stephani, & Laurentii nuncupatam, confirmavit, certiſque ditavit indulgentiis, tum novi inſtituti ſodales, tum fideles reliquos, qui opem, auxiliumque ad pia opera, quae in ea ſocietate peragi ſolerent, praeſtanda contuliſſent, quique ad audiendum verbum Dei, ac miſſae ſacrificium cum iiſdem fratribus conveniſſent. Pium hoc inſtitutum probavit etiam Petrus Foroſempronienſis epiſcopus, qui tum Eugubii erat, & ſimili indulgentiarum beneficio cumulavit tum ſodales ipſos, tum ceteros, qui illis ſe ſe in piis operibus exercendis comites dediſſent. Datae ſunt Petri literae Eugubii ad diem XIV. kal. Mart. eodem anno (c).

IX. Deinde anno MCCCXXV. dominica ultima Maii eccleſiam minoritarum apud Pergulam caſtrum, in extremis agri Eugubini finibus, dedicavit, vicinis de more epiſcopis accitis, ut conjicimus ex literis Fr. Nicolai Anconitani epiſcopi, qui accedentibus ad eam eccleſiam religionis cauſa, tum ipſo dedicationis die, tum aliis diebus ab eo indicatis, & ſubſidium aliquod iiſdem fratribus, eique eccleſiae ſuppeditantibus annum unum ex *venialibus*, & quadraginta dies, ex *criminalibus*, anniverſario autem dedicationis die eo confluentibus quadra-

(a) *Ex eodem archiv.* (b) *Ex archiv. S. M. Albor. Eugub.* (c) *Indidem.*

draginta dies tum *venialium*, tum *criminalium* indulget. Dat. Anconae xv. Maii MCCCXXV. (a) Franciſci obitum affigit Ughellus anno MCCCXXVI. neque eſt, cur ei contradicere audeamus.

X. Franciſci temporibus Avellanitae noſtri priſtinum eremiticae vitae inſtitutum deſerentes, monaſticum amplexi ſunt, annuente Joanne XXII. qui, priore amoto, primum abbatem ejus loci inſtituit Ubaldum, non quidem Avellanitam, ſed monachum tamen ordinis S. Benedicti, imo abbatem S. Benedicti prope Eugubium. Extat Joannis XXII. diploma ea de re datum Avenion. xv. Mart. anno IX. (b).

XI. Eodem epiſcopo ſedente, fauſtum, ac felicem exitum habuit pro Eugubinis diuturna, ac ſane periculoſa controverſia, quae jam inde ab annis octo & viginti inter ipſos, & Spoletani ducatus ducem, ſeu rectorem viguerat. Ejus litis acta plurima extant in archivis Eugubinis Armanno, & publico ſecretiore, in quibus multa ad eorum temporum hiſtoriam Eugubinam pertinentia continentur. Nos hic unam Deoticherii de Lorano, ducatus Spoletani ducis, ſeu rectoris ſententiam damus, qua ei liti finis imponitur.

In Chriſti nomine amen.

XII. *Nos Deoticherius de Lorano Dei, & apoſtolica gratia dux Spoletani ducatus, & rector terre Arnulphorum, arcis Ceſani, valliſque Tuppini in temporalibus generalis per ſanctam Romanam eccleſiam deputatus. Cognoſcentes de querelis expoſitis lamentabiliter per Paulum Ugutionis ſindicum communis Eugubii ſindicario nomine dicti communis ſuper eo, quod dictum commune Eugubii, ejuſque comitatus, & diſtrictus, & ſingulares perſone aſſerebant, ſe ab officiali poſito in civitate, & comitatu Nucerie preter ſolitum, & contra juſtitiam moleſtari pretendente, ſe juriſdictionem habere abuſu potius, quam ex uſu in civitate, comitatu, vel diſtrictu Eugubii pretextu ſui officii ſupradicti, & ſuper eo, quod caſtra Collis Pergule, Cantbiane, Serre, & quidam alii nobiles comitatus, & diſtrictus Eugubii ſingulariter, & ſeparatim requirebantur, & requiruntur per rectores pro tempore exiſtentes ad parlamenta, & ad receptionem conſtitusionum.,...& bannitorum, & ad alias forſitan factiones. Quod utique dictum commune Eugubii ſibi moleſtum ferebat, cum ſit unum corpus cum caſtris, & perſonis predictis, & cum ipſum commune, & civitas Eugubina pro ſe, & dictis ſuis caſtris, & aliis reſpondeat, & in omnibus obediat rectori ducatus exiſtenti pro tempore, & alias quaſcumque dicte Romane eccleſie, & rectori faciat factiones. Quarum quidem petitionum tenor hic eſt.*

XIII.

(a) *Ex Angelini ſchedis.* (b) *Archiv. Avel. membran. faſcic. I.*

XIII. *Coram vobis magnifico viro domino Deoticherio de Lorano in ducatu Spoletano per ſacram Romanam eccleſiam generali rectore cum querela, & lamentabili voce Paulus Ugutionis ſindicus communis Eugubini ſindicario nomine dicti communis, & pro ipſo communi exponit, quod nobilis vir Bernardus de Imola, qui dicit ſe comitem comitatus Nucerii, moleſtat, & turbat civitatem, & diſtrictum Eugubii, & ſingulares perſonas ipſius vocando eas quod compareant coram eo. Et alia precepta per nuncios, & lictores dictis civitati, diſtrictui, comitatui, & ſingularibus perſonis faciendo aſſerens, ſe in ſupradictis juriſdictionem habere, & contra eos, vel alterum eorum pretextu dicti ſui officii procedere poſſe, quod omnino falſum eſt, & negatur per dictum commune Eugubii, & ſingulares perſonas dicte civitatis diſtrictus, & comitatus, & per dictum ſindicum nomine qua ſupra, quia dictum commune Eugubii, & ejus diſtrictus, & ſingulares perſone ſubſunt immediate eccleſie Romane, & rectori ducatus pro ea pro temporibus conſtituto, quantum ad juriſdictionem ad dictam Romanam eccleſiam, & rectorem pertinentem; & nullum alium dominum, comitem, vicecomitem, vel rectorem, quocumque nomine cenſeatur, recognoſcunt, nec ſibi obediunt, nec obedire tenentur. Imo dicta civitas, ejuſque diſtrictus, & ſingulares perſone a tempore cujus memoria non exiſtit, fuerunt in poſſeſſione, vel quaſi dicte libertatis non reſpondendi, non obtemperandi in communi, vel ſingulari, niſi nomine eccleſie, & rectori ducatus ab ea poſito quantum ad juriſdictionem ad eos ſpectantem. Item etiam lamentabiliter, & cum querela coram nobis exponit dictus ſyndicus nomine, quo ſupra, quod vos dominus rector gravatis, & moleſtatis caſtra collis Pergule, Serre, Cantbiane, & alia forſan caſtra, & nobiles comitatus, & diſtrictus Eugubii per ſpeciales ſingulares litteras ad dicta caſtra, & loca traſmiſſas, quod debeant coram vobis per eorum ſyndicum ſpecialem ad parlamentum..... & nominum exbanditorum, in quibus preceptis, litteris, & monitionibus dictum commune Eugubii, cujus intereſt, nomine dictorum ſibi ſubditorum gravatis, moleſtatis, & turbatis, cum dictum commune reſpondeat pro predictis caſtris, & nobilibus ſibi ſubjectis, & ſyndicus ipſius communis Eugubii reſpondeat pro ſe, & dictis caſtris, & nobilibus, & aliis ſibi ſubjectis de ſuo comitatu, & dictrictu. Et cum dictum commune Eugubii ſit in plena libertate, & poſſeſſione vel quaſi reſpondendi pro ipſis tanquam membris ſuis, & pro ipſis tanquam pro membris ſuis comparuerit in parlamentis, nec unquam dictum commune Eugubii paſſus fuit, vel ſubſtinuit, quod dicta caſtra, nobiles, vel aliqua alia ſui comitatus, diſtrictus reſponderent ſingulariter per eorum ſyndicum, &c. Quare petit, & humiliter ſupplicat predictus ſyndicus nomine quo ſupra quod placeat vobis,*

tan-

tanquam cujus intereſt, ſubditos non vexari indebite, vel injuſte, facere recipi teſtes ad eternam rei memoriam ſuper predictis libertatibus prefati communis Eugubii, & ſuper omnibus, & ſingulis ad dictum commune pertinentibus, maxime quod de predictis habita plena fide pronunciare velitis, dictum commune Eugubii, comitatum, & diſtrictum ejus, ſingulareſque perſonas predicta libertate gaudere, &c. Et quod injungatis dicto officiali Nucerii, quod contra predictum commune Eugubii, ejuſque comitatum, & diſtrictum, & ſingulares perſonas preſentialiter, vel impoſterum predictis occaſionibus, vel aliis quibuſcumque nullam moleſtiam inferat, vel gravamen. Et quod placeat vobis etiam pronuntiare, diffinire, & declarare caſtra predicta in ſingulari, vel ſeparatim a dicto communi pro predictis, vel aliquibus aliis factionibus a rectoribus ducatus requirenda non fore, &c. Et predicta petit dictus ſyndicus nomine quo ſupra per viam querele, & nullitatis dictorum proceſſuum, &c.

XIV. *Viſa itaque, ſeu viſis petitionibus, & querelis a predicto ſyndico communis Eugubii nomine communis predicti porrectis; viſiſque, & conſideratis atteſtationibus, & dictis teſtium receptorum ſuper capitulis in cauſis jam dictarum querelarum porrectis, & auditis que dicta civitas Eugubina dicere, proponere, & allegare, ſeu dici, proponi, & allegari facere voluit. Et quia turpis eſt pars, que non convenit univerſo, ipſiuſque juris dictat auctoritas non eſſe ferendum liberos a parentibus ſeparari, vel unam familiam in plures dividi portiones; conſtetque nobis atteſtatione teſtium predictorum dictam civitatem Eugubinam a tempore cujus non exiſtit memoria fuiſſe, & eſſe in plena libertate, & poſſeſſione, vel quaſi nullum habere ſuperiorem, neque alium recognoſcere dominum niſi Romanum pontificem, & rectorem ducatus ab eo deputatum; & etiam civitatem eandem fuiſſe in poſſeſſione vel quaſi reſpondendi, parendi, & obediendi rectori ducatus pro ſe & caſtris predictis, & aliis de ſuo comitatu, & diſtrictu. Ideoque ne predicta civitas, comitatus diſtrictus, ejuſque ſingulares perſone adgraventur indebite perſonarum laboribus, & expenſis, &c. Chriſti nomine invocato in iis ſcriptis Paulo Ugutionis ſyndico communis Eugubii petente, inſtante, & preſente, dictum commune Eugubii, videlicet civitatem ipſam comitatum, & diſtrictum ab omni juriſdictione cujuſcumque domini quocumque cenſeatur nomine liberamus, & declaramus nulli alio domino, ſignorie, vel juriſdictioni ſubjacere, quam dominio, & juriſdictioni Romane eccleſie, & nobis in officio rectorie ducatus preſidentibus, & aliis nobis in officio ſucceſſuris. Declarantes etiam dictum commune Eugubii, comitatum, & diſtrictum ipſius plena libertate, poſſeſſione, vel quaſi circa predicta gaudere, & a nullo domino, comite, vicecomite, vel alio quocumque cenſeatur nomine predictis oc-*

ca-

eaſionibus preterquam a nobis; & noſtra curia generali, & nobis ſuccedentibus nullo unquam tempore moleſtandum. Definientes etiam, & declarantes predicta caſtra, nobiles, & quemlibet ipſorum in ſingulari, vel ſpeciali ſeparatim pro omnibus cauſis predictis vel aliqua earum per rectores ducatus, qui pro tempore fuerint, inquietanda, ſeu moleſtanda non fore. Quin potius declaramus, & definimus dictum commune Eugubii eſſe & fuiſſe in poſſeſſione vel quaſi & plena libertate reſpondendi, parendi, & obediendi rectoribus ducatus, qui pro tempore fuerint, pro ſe, & dictis ſuis caſtris, & quolibet eorum in conſtitutionibus recolligendis, & nominibus exbanditorum, & parlamentis audiendis, quando, & quoties indicta fuerint per rectores in ducatu pro temporibus exiſtentes.

XV. *Excipimus tamen a predictis definitionibus, declarationibus, & pronunptiationibus caſtra inferius denotata, ſcilicet caſtrum S. Chriſtine, caſtrum Colcelli, Carpiani, Febini, Portularum, & omnia alia caſtra, & villas, que non ſunt de diſtrictu civitatis predicte, licet in ejus comitatu ſita reperiantur.*

Lata, & pronunciata fuit predicta ſententia juxta modum, formam, & tenorem predictum per dictum magnificum Spoletani ducatus rectorem ſedentem in caſtro Spelli dicti ducatus in domibus eccleſie S. Laurentii preſentibus domino Jobenſio de Azoguidis de Bononia milite, & legum doctore dicti ducis vicario generali; Marco Guidi de Florentia teſaurario ſancte Romane eccleſie in provincia ducatus Spoletani; domino Hugulino de Burano judice civitatis Eugubine; Francola Bugii; Vanne Petri Salinguerre de Eugubio, & Lelio Guzii de Fabriano teſtibus vocatis, & rogatis, ac preſente dicto Paulo ſyndico nomine predicto inſtante, petente, &c. ſub anno nativitatis Domini MCCCIV. indic. II. die XX. *Martii, tempore dicti domini Benedicti XI. anno primo.*

EXCERPTA

Ex conſtitutionibus Franciſci epiſcopi Eugubini anno MCCCIII. editis.

De Sacrificio Miſſae, de Euchariſtia, de cultu eccleſiarum multa ſub initium decernuntur, ex quibus haec deligimus:

Quod nullus miſſam cantet vel celebret, niſi prius dixerit Matutinum & Primam.

Ampullae vini, & acquae reponantur ſemper in loco ad hoc ſpecialiter deputato, & mundo una cum pyxide, in qua aſſervantur hoſtiae non conſecratae.

Item quod omnes eccleſiae plebanales habeant calicem de argento.

Item quod Corpus Domini honorifice cuſtodiatur in pyxide munda & decenti, & una cum Oleo Sancto ſub clavi diligenter reponatur in

aliquo loco infra (*hoc eſt intra*) eccleſiam poſt altare, vel ſuper alio loco condecenti ad hoc ſpecialiter conſtituto & deputato, & hoc maxime ne ad veneficia facienda poſſint auferri. Si autem propter incuriam vel negligentiam ſacerdotis, cui cuſtodia Euchariſtiae eſt commiſſa, aliquod mali acciderit (*vides hic Euchariſtiae cuſtodiam ſacerdoti commiſſam ſupponi, non aedituo, non ſacriſtae, non clericello cuipiam, ut alicubi per ſacerdotem incuriam quandoque contingere videmus*) ſi publicum fuerit delictum, tribus menſibus ab officio noverit ſe ſuſpenſum.

Item quod imagines ſanctorum (*in eccleſiis ſcilicet*) frequenter tegantur.

Sequuntur decreta non pauca de celebratione divinorum officiorum, ac de adminiſtratione Sacramentorum, ex quibus iſta ſane paucula delibavimus.

Item quod praebendati, ſeu beneficiati & conſtituti in ſacris ordinibus interſint ſemper nocturnis officiis & diurnis, cum in beneficiis, & praebendis reſidentiam ſtatuunt, nec recedant ab officio, donec compleatur, niſi juſta cauſa, & ad hoc negligentes, & inobedientes jubemus coarctari. In minoribus autem conſtituti, qui beneficium habent eccleſiaſticum ſaltem publicis interſint officiis. Miniſter, qui ſervit in miſſa, ſemper & ubique ſit cotta indutus.

Habes hinc nocturnam ſynaxim nondum per eos dies in deſuetudinem abiiſſe in clero ſeculari Eugubino, ſed, cum ſynodali lege ſtatuenda fuerit, id argumento eſt coepiſſe eam aliquibus plus aequo gravem, & incommodam videri. Confer ſtatuta dioeceſis Rothomagenſis ante medium XIII. ſeculum edita (a). *Vide & Durandum* (b), *& Belethum* (c), *qui, quamvis ſui temporis clericos reprehendat, quod in nocturno hoc penſo divinae laudis perſolvendo deſides ſint, cum ait:* nunc eo divini cultus ratio demenſa eſt, ut citius ſurgant pueri, quam miniſtri eccleſiae, & prius cantent paſſeres, quam ſacerdotes; *oſtendit tamen hanc nocturnae ſynaxis diſciplinam, ne apud ipſos quidem ſeculares, penitus fuiſſe extinctam.*

Item quod in feſtis eccleſiarum, & maxime in miſſis, & veſperis, nulli ad cantandum admittantur in choro, qui non ferunt tonſuram, & habitum clericalem.

Nullus ſacerdos alienum parochianum in confeſſione audiat, vel abſolvat, ſine epiſcopi licentia, vel proprii ſacerdotis, niſi ſint peregrini, aut mortis periculum immineat. Contra facientes vero pro qualibet vice, &c.

San-

(a) *Labbe Tom. XIII. concil. pag.* 1363. (b) *De Rat. div. offic. l. V. c.* 3. (c) *Explic. div. offic. c.* 20. *&c.*

Sanctorum ſtatuta ſequentes ſtatuimus & mandamus, ut in baptiſmo haec forma ſervetur per ſacerdotes, qui in eccleſiis ſolent baptiſmalibus baptizare, ut praemiſſis omnibus conſuetis, faciat imponi nomen puero, vel puellae, deinde interroget tribus vicibus: Joannes, vis baptizari? & adſtantes, qui volunt manum tenere, reſpondeant: volo. Deinde tribus vicibus puerum, vel puellam in aquam immergens, & in ſuis manibus caute tenens, dicat haec verba: Joannes, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum trina immerſione infantis, nec aliud verbum interponatur, nec aliquid addatur, vel ſubtrahatur verbis praedictis. Et tunc illi qui aſtant quos ſantulos appellamus ſuſcipiunt infantem extractum, vel extractam de aqua de manibus ſacerdotis.

Item diſtricte ſub poena excommunicationis praecipimus, quod nullus clericus ſecularis, vel religioſus audeat in eccleſia aliqua praedicare ea hora, qua nos praedicare cognoverit, niſi petita a nobis licentia & obtenta.

De cleri diſciplina plurima habentur, ex quibus id unum hauſimus. Citeras, leotas, (*liuti*) viellas, (*fortaſſe violini*) & generaliter cetera inſtrumenta nullus clericus habeat, vel in eis ſe exerceat, & a cantionibus ſecularibus abſtineat. Qui contraſecerint nobis & noſtrae curiae pro vice qualibet XL. ſolidos perſolvere teneantur.

De multorum criminum cenſura, & poenis plurima ſtatuuntur, ex quibus id unum exſcribere licuit.

Si inveniri non poteſt (*cui reſtitui male ablata debeant*) ſecundum arbitrium epiſcopi eſt reſtitutio facienda.

De monachis ac monialibus multus eſt ſermo in his conſtitutionibus, unde pauca haec ex multis.

Praecipimus omnibus, & ſingulis monachis, & quibuſcumque religioſis, ut obſervent regulas ſuas, & obſervantias regulares. Omnes jaceant ſimul in dormitorio uno, praeter infirmos, qui in infirmaria locentur, & idem de Refectorio obſervetur. Omnes induantur de uno veſtiario, & ſine proprio vivant. Praebendas, & beneficia ſpecialia aliquos monachos habere penitus prohibemus, ſalvis obedientialiis, qui ſecundum antiquam conſuetudinem per abbates, & collegia poni ſolent. Omnibus profeſſis regulam S. Benedicti prohibemus omnino eſum carnium, niſi exigente infirmitate, ſicut in eorum regula continetur.

Obedientiales, ſeu potius obedientiarii hic nominati, erant monachi in obedientiis degentes. Obedientiae porro dicebantur praepoſiturae, prioratus, aut cellae, majoribus monaſteriis ſubjectae, de quibus vide prae ceteris

teris Chriſtianum Lupum ad concilium Beneventanum ſub Nicolao II. (a).

Nullus profeſſus regulam Beati Benedicti utatur veſtibus lineis, vel duplellis, exceptis ſarabolis, ſive brachis.

De ſolitariis fratribus, & ſororibus haec ibi decernuntur.

Item ſtatuimus, quod nullus de fratribus ſolitariis ſeu cellariis, accedat ad aliquod monaſterium monialium, vel ſororum, nec ad aliquem carcerem, ſeu cellam alicujus incarcerate, ſeu cellarie ad loquendum alicui ex dictis ſororibus, ſeu incarceratis, vel cellariis commorantibus in ipſis carceribus ſeu cellis. Quod ſi acceſſerit, cauſam nobis veram, & non ſimulatam manifeſtare, & aſſignare procuret intra X. dies, alioquin, ipſo elapſo termino, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat.

Item ſtatuimus quod nullus ex praedictis fratribus audeat, vel praeſumat, nec permittat, ut aliqua mulier ingrediatur locum alicujus ipſorum, niſi forte in caſu ſuae infirmitatis mater, vel ſoror. Nec eiiam ad oſtium apertum loquatur alicui mulieri, niſi matri, vel ſorori. Contrafacientes vero tam frater, quam mulier, niſi cauſam veram, & legitimam aſſignaverit nobis infra X. dies, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat.

Item ſtatuimus, & ordinavimus, quod mulieres & ſorores in carceribus commorantes vel cellis, in ipſis carceribus, ſeu cellis nullum oſtium habeant, aut feneſtram, per quod vel quam perſona aliqua ingredi valeat, vel exire, niſi forte eſſet aliquis carcer, vel cella habens clauſtrum muratum altitudine X. pedum ad communem pedem manus, in quo clauſtro nullum oſtium reperiatur. Et ſi quod oſtium in ipſis carceribus, ſive clauſtris reperiretur, claudi debeat infra XV. dies a publicatione praeſentis conſtitutionis, niſi forte eſſet aliqua infirma, quae pro ſua infirmitate evidenti, ſocia, vel ſervitrice indigeat, quae tunc poſſit condecens oſtium habere pro ingreſſu & exitu ſervitutis praedictae. Contrarium facientes ex nunc pro tunc excommunicationis vinculo innodamus.

Item quod nulla perſona utriuſque ſexus habitum mutet, vel habitum alicujus religionis aſſumat intrando in aliquem carcerem, ſeu cellam, ſeu locum ſolitarium ad ibi habitandum ſine noſtra licentia ſpeciali, niſi forte ingrederetur aliquam de religionibus approbatis.

Animadverſiones in hoc poſtremum caput conſtitutionum Franciſci epiſcopi.

Quod hic de ſolitariis viris, & feminis occurrit, animadverſione dignum

(a) *Cbr. Lup. Tom. V. pag. 121. edit. Venet.*

gnum videtur. Cellae nomen vulgatiſſimum eſt penes rerum monaſticarum ſcriptores, ſed alia atque alia ſignificatione, quam in his Franciſci epiſcopi Eugubini conſtitutionibus. Neque vero opus eſt Ducangium expilare, qui de cellae ſignificatione apud ſequioris aevi ſcriptores multa congeſſit; res enim protrita eſt. Cellae, quae in his conſtitutionibus memorantur, id ſunt, quod nomen ipſum ſonat, peranguſtae aediculae, quas pii homines ſtudio poenitentiae addicti, & ſolitudinis amantes incolebant. Ac nullus dubito, quin omni aetate fuerint, qui rerum humanarum pertaeſi, ut ſibi, & Deo viverent, ejuſmodi cellulas ab hominum conſortio remotas ad habitandum elegerint. Sed XIII. & XIV. potiſſimum ſeculo hoc anachoreſeos ſtudium non in hominibus modo, ſed etiam in feminis viguiſſe comperio, cum alibi, tum vero maxime in variis Piceni, & Umbriae locis, erantque frequentes ejuſmodi tum virorum tum mulierum ſolitarii receſſus. Sed qui virorum erant uſitato nomine cellae dicebantur, earumque habitatores cellarii, feminarum vero *carceres* etiam, ipſaeque piae faeminae in iis degentes *incarceratae* appellari conſueverant, ut conſtat vel ex iſtis epiſcopi Eugubini conſtitutionibus. *Erat quidam cellanus homo Dei ſimplex & rectus in loco quodam non longe ab urbe Pariſiaca* (a). Vides hic a S. Audoeno in vita S. Eligii (b) *cellanum* eſſe dictum, quem nos cellarium diceremus. Sancta etiam Viridiana eremita, ſeu *cellana* in caſtro Florentino occurrit apud ſocios Bollandianos (c) quam non abſimilem eſſe oportuit ab iis, quas *cellarias* ſeu *incarceratas* vocari mos erat. At de iſtiuſmodi cellariis, carceribus, & incarceratis altum in Cangii Gloſſario ſilentium.

Memini me plures id genus carceres, qui olim fuerint in agro Fabrianenſi (eſt is Eugubino fere conterminus) indicatos vidiſſe in tabulis ſecretioris archivi Fabrianenſium, noſtrique, quod eſt in ea civitate ad divi Blaſii, ſed non diu tamen poſt ſeculum XIV. quo id maxime uſitatum erat, morem hunc duraſſe exiſtimo, ut piae feminae iſtiuſmodi carceribus ſe includerent; jamdiu enim non modo res ipſa, ſed ejus quoque memoria extincta eſt. Quotus quiſque enim eſt, qui aliquid fando audierit de his feminarum carceribus?

At cellariorum aliquod veſtigium adhuc reliquum eſt; pluribus enim locis, praeſertim ſilveſtribus, & ab hominum frequentia remotioribus, cellulae ſunt non paucae contiguae ut plurimum alicui ſacrae aediculae, quas pii homines incolunt, eremitae vulgo appellati, nullum ordinem profeſſi, ſed religioſo tamen habitu, utinam & moribus, a ce-

te-

(a) *Ap. Cangium v.* cellanus *in ſuppiem. monach. S. Maurı.* (b) *L. 2. c. 38.* (c) *To. 6. Maii p. 51.*

teris hominibus diverſi. Juvat hic teſtimonia quaedam a juratis dicta, & tabulis conſignata, quae aſſervantur in archivo monachorum Ciſtercienſium Faventiae ad Sanctae Mariae foris portam, quod monaſterium olim Avellanitae noſtri incoluere. Non erit id, opinor, injucundum ſtudioſis iſtarum rerum inveſtigatoribus. Cellulam ſibi in agro Faventino non longe a civitate conſtruxerat, in eaque diu incluſus vixerat Monteclarius, nam id homini nomen. Cum is e vivis migravit, non defuit alter cellarius, qui in vacuam poſſeſſionem veniret, ſed cella tamen fundatoris nomen retinuit, dictaque eſt cella Monteclarii. Quamquam id nomen latius pervagatum eſt, & in tota haeſit vicinia; nam vel ipſe notarius, qui tabulas ſcripſit, de quibus loquimur, ſe eſse profeſsus eſt *e cella Monteclarii*. Porro ei cellulae eccleſia ſubinde adjuncta eſt, de Sanctae Sabinae, cui dicata erat, nomine dicta, curante Monteclarii ſucceſsore. Ea res abbatem S. Mariae foris portam paulatim commovit, cumque ad monaſterium ſuum pertinere eam cellam contenderet, in judicio diſceptatum eſt, & inducti teſtes, qui ejuſmodi teſtimonia dixerunt, quae hic daturi ſumus. Charta, unde haec exſcripſimus, cum mutila ſit, annum non prodit, quo haec ſunt acta, ſed ex literarum forma utcumque licet conjicere ſcriptam eſse medio circiter ſeculo XIII.

Guido Riſchi interog. dixit, quod vidit Monteclarium facere cellam in loco, qui dicitur cella Monteclarii, & eam ab eo bedificari ſine ulla briga, & unum pozale pro puteo ibi portavit cum ſuis bubus. Et poſtea mortuo Monteclario dixit teſtis, quod vidit Joannem, qui modo eſt, bedificare apud predictum locum eccleſiam, que dicitur eccleſia S. Sabine (a), *& ipſe teſtis multis vicibus ipſum juvit amore Dei, & non vidit ipſum ullam brigam ab aliquo habere. Preterea dixit teſtis quod hec poſſeſſio juxta quam .... dicitur eſſe in campo famuli, & ideo credat firmiter, quod locus cum eccleſia predicta, & cella ejus fundata ſit in campo famuli & haberi & teneri eam a domino Guccione medico pro ſua, & vidit patrem ſuum & ſuum cium Ruſtichellum vidit dictam poſſeſſionem habere eam libere pro dicto Guiccione. Et poſtea dixit teſtis quod vidit dictam poſſeſſionem haberi & teneri a domina Maria Guidonis, nec vidit preſtari a dictis detentoribus pro ea poſſeſſione ullum ſervitium monaſterio S. Marie foris porta.*

Angelus Aſembergi interrog. dixit quod interfuerit quando Monteclarius intravit in cellam, que dicitur modo cella Monteclarii, preſente abbate S. M. foris porta, qui abbas fuit predeceſſor abbatis, qui nunc eſt.

Qui

(a) *De S. Sabinae eccleſia nihil reperire licuit apud Tondutium in hiſtoria Faventina, aut in ſynodis Faventinis Cardinalis Roſſetti, ubi plerasque omnes civitatis, & dioeceſis eccleſiae recenſentur.*

Qui abbas dixit Monteclario: Fili ex quo te vis ſepelire pro ſolo Deo vivo & vero, neceſſe eſt, ut tu dimittas omnibus in te delinquentibus; & veniam petas ab omnibus tuis debitoribus, & ſic eris liber. Et ipſe reſpondit libenter. Et abbas cepit eum per manus, & miſit eum in cellam, dans ſibi oſculum, & pacem cum ture, & aqua ſancta, & ſic eum ibi dimiſit. Poſtea dixit teſtis, quod ſepe ſepius ivit ad ipſum, & portavit ei de pane & vino & cocaria pro amore Dei. Et dixit teſtis quod multis vicibus audivit dici ab eo, quod ipſe non eſſet converſus, nec monachus, nec commiſſus, imo dicebat, quod dederat abbati S. M. antequam cellam intraſſet IIII. libras .... ut deberet eum ammonacaſſe, ſed abbas non ammonacavit eum, ut ab eo dici audivit. Et dixit teſtis quod vidit ipſum Monteclarium hedificare & fieri facere praedictam cellam, & non vidit ipſum ullam brigam habere, & non vidit illos de S. Maria ſibi ullum adiutorium dare de cella hedificanda, &c. Item dixit quod vidit ipſum Monteclarium ſtare in monaſterio S. Marie, & eſſe bifulcum, & ſervicia monaſterii facere ſibi impoſita, & portare & veſtire albis pannis ſicut converſus & monachus, & hoc volens facere bonam vitam, excepto quod non portabat ſcapillare, ut omnes alii monachi. Item dixit, quod audivit dici a magiſtro Toloſano (a), *quod dictus Monteclarius iuraverat, quod ipſe non eſſet monachus, nec converſus vel commiſſus, quando ipſe habuit placitum cum bulzagis* (b). *Item dixit teſtis, quod vidit poſſeſſionem, in qua eccleſia S. Sabinae eſt fundata haberi & teneri a dña Maria Guidonis Marie pro ſua, & non vidit eam facere de ea aliquod ſervicium alicuius. Item teſtis dixit quod interfuit celle, que vocatur ponti de arco* (c) *quando Johannes erat ibi in cella ubi dña Maria predicta dedit & donavit ei & Sivirio* (d) *preſente dña Adelaſia ſua nepte mediam tornatur. terre ubi eccleſia S. Sabine eſt fundata.*

Jenzolus Gaffoli interrog. dixit quod ſunt XL. anni & plus, quod vidit dnäm Mariam Guidonis Marie habere pro ſua poſſeſſione ubi eccleſia S. Sabine eſt fundata, & quod locus ille vocatur campus de cruce. Item dixit quod vidit Monteclarium ſtare in monaſterio S. Marie foris porta per

(a) *Notiſſimus apud Faventinos magiſter Toloſanus, qui cum XIII. ſeculo floruerit, ex Tondutio in hiſtoriae Faventinae proemio, certi aliquid de hujus monumenti aetate hinc licet conjicere. Ibi enim dicitur Toloſanus obiiſſe ad annum MCCXXVI.* (b) *Quid ſit placitum cum bulzagis Aedipum interroges. Num litem habuit cum quibuſdam, qui Bulzagi cognomine dicerentur?* (c) *En cellam alteram, in qua erat cellarius Joannes Monteclarii ſucceſſor. Ejus loci mentio eſt in tabulis teſtamentariis Faventiae confectis ad an. MCCVI. in quibus Joannes, qui Tenioſo vocatur, legaſſe legitur*, eccleſiae S. Petri, *ſcilicet majori eccleſiae Faventinae*, pro reſtauratione decimarum XX. ſolidos denariorum Ravennatenſium. Item eccleſiae S. Joannis V. ſolidos, eccleſiae S. Marci V. ſolidos, eccleſiae S. Benedicti XII. denarios, hoſpitali miſellorum V. denarios, monaſterio S. Apolinaris V. ſolidos, in laborerio pontis de arcu X. ſolidos. *Ex archiv. S. M. foris portam.* (d) *Severius, al. Severus.*

per VIII. annos, & plus, & portare cappam blancam, & ire indutum albis pannis, & publica fama erat tunc illum esse conversum, sed sue conversioni presens non fuit.

Ego Bonaventura fil. Massoli de Cella Montisclarii Fau. Imperiali auctoritate Notarius.

Habemus hinc ritum, quo novi cellarii suam illam recluſionem auſpicabantur. Atque ex eo, quod, qui ita ſe voluntario carceri dabant, *ſepeliri* dicebantur *pro Deo vivo & vero*, facile quiſpiam conjiciet ejuſmodi incluſionem non ad tempus fuiſſe, ſed in omnem vitam, vel ſaltem duriſſima lege, quae vix ullam remiſſionem pateretur adſcriptam. Quis enim ſepultum dixerit eum, cui facultas ſit e ſuo receſſu quandocumque voluerit exeundi? Sed tamen hanc perpetuae recluſionis legem vel non admodum diu viguiſſe, vel non ubique receptam fuiſſe docent conſtitutiones hae, quarum cauſa huc digreſſi ſumus. Id fortaſſe ferebat ejus inſtituti ratio, ſed cum id nimis durum videretur poſterioris aevi cellariis; temperarunt ipſi ſibi primaevae diſciplinae auſteritatem. De feminis ſecus judico. Suadet & carceris nomen acerbum & triſte earum cellis inditum, & cellarum ipſarum forma, quam ex his conſtitutionibus utcumque agnoſcimus.

Id vero etiam hinc elicimus ejuſmodi ſolitarios viros & feminas non fuiſſe certo cuidam regulari ordini addictos, eos enim a ceteris probatorum ordinum profeſſoribus ſecernit Franciſcus epiſcopus in hiſce conſtitutionibus, & bonae illae feminae (de his antea in Benvenuto epiſcopo diximus) quae parthenonis S. Agnetis initia poſuerunt, cum in ſuo illo carcere, in jugo montis S. Ubaldi degerent, nondum cujuſpiam probati ordinis inſtitutum profitebantur. Id tamen non eo a me dictum eſt, quaſi non potuerit aliquis regularem vitam profeſsus, permiſſu praelati ſui in ſolitudinem ſecedere, quod majoribus noſtris familiare fuit, & cautum eſt in S. Benedicti regula, ſed id nihil ad cellarios, de quibus hoc loco agimus.

Eſt etiam quod me adducit, ut cellarios, ac cellarias hujuſmodi judicem in ſumma paupertate vitam egiſſe, & oblatis ſponte elemoſinis ut plurimum victitaſſe. Cur enim ad Monteclarium attuliſſet is, quem ſupra legimus, panem, vinum, & cocaria pro amore Dei? Cocaria nuces interpretor: neque enim admodum abſimili nomine hodie dum a noſtratibus nuces vulgo appellantur, & arborum baccae communi vocabulo ab iis, qui Italice ſciunt, *coccole* dicuntur. In pluribus vero tabulis teſtamentariis apud Fabrianenſes XIII. & XIV. ſeculo confectis, ſaepe me legiſſe memini, paulo ditiores homines, qui teſtamentum facerent, aliquam pecuniae ſummam legaſſe vel certis

qui-

quibuſdam, vel univerſis totius agri Fabrianenſis carceribus, quod earum paupertatem demonſtrat, quae in iis carceribus agebant, de quibus haec jam hactenus dicta ſint.

XXXV.

PETRUS GABRIELLIUS.

I. Petrus e Foroſempronienſi cathedra Eugubinam adjit anno MCCCXXVI. id. Aug. ſi Ughello fides. Erat is ex gente Gabriellia, per eos dies Eugubii potentiſſima, quaeque cum illuſtriſſimis Italiae familiis jure numerari poteſt, nam & uſque ad aetatem noſtram mirifice floruit apud Eugubinos, & ejus civitatis dominatum non ſemel obtinuit. Civibus ſuis praefuit Petrus, cum ea civitas, in tetris illis totius Italiae procellis, ſumma tranquillitate fruebatur, Romanae eccleſiae imperio ſubjecta. Sunt enim Joannis XXII. literae ad Eugubinos amiciſſime ſcriptae an. MCCCXXIX. id. Martii, quibus ab eis poſtulat, ne Fabrianenſibus, aliiſque ſedis apoſtolicae rebellibus, Ludovici Imperatoris ſchiſmatici foederatis, per agrum Eugubinum tranſitum habere permittant: & anno item MCCCXXXIV. non. April. eoſdem propter egregiam fidem, & religionem in ſe, & ſedem apoſtolicam collaudatos hortatur, ut optimam illam voluntatem retineant, neque ſeduci ſe refractariorum exemplo, ſuaſionibus, aut promiſſis patiantur (a).

II. At de Petro Gabriellio id imprimis commemorandum eſt, quod eremitas aliquot, qui abſque certis legibus in civitatis vicinia degebant, ad divi Ambroſii notiſſimum locum in ardua montis rupe, prope civitatem ipſam, collegit, ubi & eccleſia, ſeu recens conſtructa, ſeu reſtaurata eſt, & in prioratum ab epiſcopo ipſo erecta. Haec anno primum MCCCXXXI. geſta ſunt. Sed poſtmodum anno MCCCXLII. magis magiſque de ejus loci diſciplina ſollicitus Petrus, quae prius acta abs ſe fuerant, confirmavit, ac *priori, & capitulo S. Ambroſii regulam S. Auguſtini propoſuit obſervandam, oratorium in eccleſiam regularem, locum in monaſterium erigens. Pro veſte autem ſcapulare lanei panni, coloris griſei, & cappam, & tunicam* ejuſdem coloris aſſignavit, prohibens *ne cottis lineis uterentur, neve canonici* dicerentur. Haec ex ejus diplomate, quod datum eſt anno MCCCXLII. xi. kal. Nov. (b).

(a) *Archiv. ſecr. Eug faſcic. B n. 39.* (b) *In archiv. S. Secundi, & ap. Signium de ord. & ſtat. canonic. lib. III. c. 13.*

III. Anno MCCCXXXVIII. ad ſe accerſiſſe dicitur Bernardum Ptolomaeum, cujus, ob inſtitutam haud ita pridem Olivetanam familiam, percelebre erat nomen, & eximia ſanctitatis opinio. Deduxit is illuſtrem ſuorum coloniam apud Eugubinos, rogante, & hortante Petro, qui novos ejus ordinis alumnos ad divi Donati ad Fauces conſtituit, loco extra civitatem, ad vitam eremiticam, quam illi profitebantur, aptiſſimo. Sed mutatis ſubinde non ſemel ſedibus, tandem ad divi Petri conſtiterunt. Mirum autem dictu eſt, quanta dignitatis acceſſio ei monaſterio facta ſit, poſtquam ad Montis Oliveti monachos pervenit, ut vix alterum, opinor, in Umbris, & Picentibus invenire liceat magnificentius aedificatum. Pertinebat eccleſia S. Donati ad canonicos eccleſiae Eugubinae, qui communi conſilio cum Petro epiſcopo egerunt, ut eo loci Montis Oliveti monachi inducerentur, ut ex tabulis, quas hic damus a Rmo Battazio abbate Olivetano, viro humaniſſimo communicatas.

IV. *Anno domini MCCCXXXVIII. indictione ſexta, tempore dñi Benedicti papae XII. die* 10. *menſis martii. Convocato, & congregato capitulo canonicorum canonicae S. Mariani majoris eccleſiae Eugubinae de mandato reverend.i viri fratris Matthaei prioris dictae canonicae ad ſonum campanellae ſecundum morem, in quo quidem capitulo interfuerunt ipſe dopnus prior, dopnus Ventura Poli, dopnus Andrea Bonci, dopnus Lucas Bernaccoli, Mannus Petri, Peruzius Ceccoli, Ser Jacobus Cardoli, Ser Juncta Ceccoli, Angelellus Ceccoli, Perutius Ranutii, & Petrutius dopni Philippi. Dictus dnus prior, voluntate, & conſenſu dictorum canonicorum, & ipſi canonici una cum dicto priore, & ejus conſenſu, voluntate, & auctoritate, nomine eorum ac ſuorum ſucceſſorum, non revocando alios eorum, & dictae canonicae ſindicos, & procuratores, ſed potius confirmando, fecerunt, conſtituerunt, & ordinaverunt D. Venturam Poli, canonicum dictae canonicae praeſentem, & ſuſcipientem, eorum, & dictae eccleſiae ſindicum, & procuratorem, & nuntium ſpecialem ad conveniendum nomine dicti prioris, & capituli cum V. P. D. Petro, Dei gratia epiſcopo Eugubino, ad tractandum ſuper reformationem diſſolutae diſpoſitionis, ac ſtatus infelicis eccleſiae, ac loci S. Donati de Fauce, ſive de Coſta dioeceſis Eugubinae. Et ad deliberandum, & conſenſum praeſtandum, quod dictus D. epiſcopus eandem eccleſiam, ſive capellam S. Donati decernat, & cenſeat eſſe deinceps monaſterium collegiatum, & regulare, ibique vigere debere monaſticum ordinem, & obſervantiam regularem ſecundum regulam B. Benedicti, praedictam ipſam capellam, ſive eccleſiam monaſterium faciat, & de ſeculari capella eam in regulare monaſterium, & in conventum collegiatum erigat cum omnibus juribus,*

&

& rebus, & pertinentiis ſuis, & ſtatuat regendum, & gubernandum perpetuo per abbatem monaſterii S. Mariae de monte Oliveti, vel alium deputandum per eum. Et quod uniat, & incorporet ipſum monaſterium ſic erectum eidem abbati, & monaſterio S. Mariae, & donet, & concedat ipſam eccleſiam, ſive monaſterium S. Donati cum omnibus ſuis rebus, & bonis dicto dño abbati, vel ſindico, & priori ſui monaſterii, &, ut liberius divinis cultibus intendatur ibidem, ipſam eccleſiam, & monaſterium liberet, & eximat, in quantum de jure fieri poteſt, ab omni decimatione, onere mortualiorum, & juriſdictione epiſcopali. Ita quod ex nunc regimen, & gubernatio quaelibet dicti monaſterii S. Donati ad abbatem dicti monaſterii S. Mariae, vel illum, quem ad id deputaverit, pertinere noſcatur. Et generaliter ad omnia alia, & ſingula facienda, quae in praedictis, & circa praedicta, & quolibet praedictorum fuerint utilia, neceſſaria, & opportuna, & viderit convenire. Promittentes ratum, gratum, & firmum habere, & tenere totum, & quidquid per dictum ſindicum, & procuratorem factum fuerit, atque geſtum, ſub obligatione bonorum dictae eccleſiae. Actum Eugubii in canonica S. Mariani ..... in capitulo, praeſentibus D. Putio Acuroli, D. Dyno de S. Geminiano, vicario praeſentis dñi epiſcopi Eugubini, & D. Joanne Boni de Eugubio teſtibus rogatis, &c. Et ego Lellus Sermattei Simonis de Eugubio, imperiali auctoritate notarius publicus omnibus, & ſingulis ſupraſcriptis interfui, & rogatus ſcribere ſcripſi, & publicavi (a). Diximus ſupra B. Bernardum Olivetanae familiae parentem a Petro Gabrielitio Eugubium fuiſſe accitum, ad novam ſuorum coloniam ibi condendam, idque acceptum eſt ex Jacobillo. Sed hujus auctoris fides ſubleſta eſt, nec tane ab ipſo B. Bernardo Olivetanos Eugubium perductos memorat Lancellottus in Olivetana hiſtoria, nec quidquam ea de re ſubindicant veteres tabulae, quas hic protulimus.

V. Quinquennio ante accitos ejus inſtituti monachos, bonis quibuſdam feminis petentibus, regulam, & habitum S. Auguſtini conceſſit, locumque deſignavit, ubi monaſterium conſtruerent in monte S. Jacobi prope Eugubium, qui locus ex divi Pauli nomine dictus eſt (b). Monaſterium quoque divae Barbarae nuncupatum, Petro eccleſiam Eugubinam moderante, conditum tradit Lazarellus, a quo etiam accipimus, fuiſſe illum pacis, & concordiae in ſuis civibus vel ſervandae, vel conciliandae ſtudioſiſſimum, quam praecipuam epiſcoporum curam eſſe oportebat temporibus illis, quibus civilium armorum licentia ubique graſſabatur.

(a) *Ex archiv. S. Petri in pius. S. Donato n. 1.* (b) *Archiv. Arman. membran. faſcic. A n. IX.*

VI. Praeter ea, quae diximus, novum eccleſiae, & civitati ſuae praeſidium, & ornamentum comparavit Petrus, inductis in civitatem fratribus ordinis Servorum B. M. V. anno MCCCXL. (a) poſt quem annum nihil ex praeclari hujus epiſcopi geſtis noſſe licuit. Neque etiam certo comperium habemus, quo anno obierit. Habemus tamen ex tabulis, anno MCCCXLI. eum adhuc fuiſſe in vivis, nec quemquam novimus, ei in epiſcopatu ſucceſſiſſe ante annum MCCCXLV., quo Eugubinae eccleſiae praefectus eſt Hugo Labajla, de quo mox dicemus.

VII. Petri temporibus excitatum eſt publicum palatium Eugubinorum: grande aedificium, quod ſane oſtendit quae eſſent per ea tempora aerarii Eugubini vires. Totum eſt ex lapide ſecto, ea firmitate, eoque artificio, ut cum magnis illis antiquorum operibus, quorum adhuc reliquias miramur, certare poſſit. Nulla in eo contignatio, imo nullae trabes, ac nihil prorſus ejus materiae, quae ignem concipere poſsit. Tectum omne craſsiſsimo fornici impoſitum eſt, totaque aedificii compages ſe ipſa regitur. Atque id eo factum judico, ne quid timendum eſset ab incendiis vel fortuito, vel hominum perfidia excitatis, cujus rei periculum per eos dies frequentiſsimum erat propter aſsiduos armorum civilium motus. Prae palatii foribus titulus eſt inſculptus Italicis verbis ex quo conſtat anno MCCCXXXII. tantum opus inchoatum, & anno MCCCXXXV. eum ipſum lapidem poſitum, cui titulus ille inſculptus eſt.

Id etiam ex geſtis Petri Gabriellii aetate non reticendum, quod anno MCCCXLIV. IV. non. Mai. comitia provincialia Canonicorum Regularium in eccleſia cathedrali Eugubina celebrata ſunt, quorum acta a Pennotto recitantur in hiſtoria Canonicorum Regularium (b).

XXXVI.

HUGO LABAJLA.

Ex ordine eremitarum S. Auguſtini Hugo Labajla, natione Gallus, electus eſt Eugubinus epiſcopus ad annum MCCCXLV. idibus Jul., ut eſt apud Ughellum, quo etiam auctore compertum habemus eodem anno, V. id. Dec. eum eſse translatum ad eccleſiam Tolonenſem in Gallia, ante, opinor, quam Eugubium accelserit.

(a) *Ex tab. in ver. archiv. vidit Angelinus.* (b) *Pennot. hiſt. Canonic. Reg. l. II. c. 44 n. I.*

XXXVII.

FRANCISCUS.

Ex epiſcopo Tergeſtino Eugubinus epiſcopus creatus eſt a Clemente VI. Franciſcus, patria Amerinus VII. id. April. anno MCCCXLVI. (a) qui ejus vitae extremus fuit, etenim vixdum creatus Eugubinorum antiſtes obiit Avenione, ut tradit Ughellus.

XXXVIII.

VASIANUS.

Vaſianus Ronlandus, ex ordine Minorum Eugubinis praefectus eſt a Clemente VI. ad annum MCCCXLVI. ut ex ejus literis Avenione datis VI. non. Octob. anno V. quas memorat Wadingus ad eum annum. Lazarellus hunc Veſianum dicit, atque ita in aliquibus antiſtitum Eugubinorum catalogis ejus nomen ſcriptum eſt, imo & Veſſianus alicubi occurrit. Veſianum quoque habent Clementis VI. literae citatae apud Wadingum. Harum literarum auctoritas facit, ut de anno, quo epiſcopus creatus eſt, nihil ambigam, licet in Angelini mei ſchedis Veſianum, ſic enim ibi audit, jam inde ab anno MCCCXLIV. Eugubinis praefuiſſe legerim. Eo enim anno VI. id. Jan. cum Petro Caſtellano epiſcopo, & Ugolino abbate divi Petri apud Peruſium, mandaſſe dicitur, ut excommunicati denunciarentur monachi divi Pauli in valle Pontis, eo quod fores occluſerint, & aditum in ſuum monaſterium Vaſiano ipſi negaverint, cui una cum duobus illis, quos diximus, ejus monaſterii viſitatio a Romano Pontifice commiſſa fuerat. Angelinus ſcriptum reliquit, id ſe in antiquis tabulis ejus monaſterii legiſſe, ſed eas tabulas, alium annum adſcriptum habuiſſe oportet. Vaſianus porro cum ad annum uſque MCCCL. cathedram Eugubinam tenuiſſet, ad Capuanam translatus eſt XVIII. kal. Jun. ut ex Wadingo Ughellus, idemque Campaniae, & Maritimae rector a Romano Pontifice conſtitutus eſt. In epiſcopatu Eugubino vicarium generalem habuit fr. Petrum e Galineto Minoritam, ut ex tabulis archivi S. Secundi (b). Eſt ad Veſianum epiſtola Clementis VI. data apud Villam novam dioeceſis Avenionenſis

(a) *Ughel. ex regiſt. Vatic. ep. 69. a. IV.* (b) *Ex Angelini ſchedis.*

ſis XII. kal. Jun. an. X. qua eum Pontifex laudat ob navatam ſedulo operam in tuenda, vel reſtituenda pace ejus provinciae, quam pro apoſtolica ſede adminiſtrabat, eique ſummam poteſtatem tribuit decernendi, conficiendique ea omnia, quae ad eam ipſam rem ſibi pertinere viderentur (a).

XXXIX.

JOANNES.

I. Vaſiano Joannes ex eodem ordine ſuffectus eſt a Clemente VI. ex Gardienſi epiſcopatu ad Eugubinum translatus anno MCCCL. XIII. cal. Dec. ex literis ejuſdem Pontificis a Wadingo allatis (b). Florentinum patria fuiſſe tradunt, & Morlaccum, ſeu de Morlacca dictum. Ita audit in Angelini ſchedis, aliiſque monumentis, & antiſtitum Eugubinorum catalogis. Quo anno Eugubinis datus eſt, ingentes turbae in ea civitate fuerunt, ut memoriae proditum eſt a Matthaeo Villanio (c), & a Guernerio Bernio (d). Joannes Cantuccii, Gabriellii filius, incenſis magiſtratuum aedibus, civitatis imperium arripuit: quadriennio tenuit. Ac primo cum Joanne Vicecomite Mediolanenſium archiepiſcopo, ac principe, cujus magna per eos dies potentia erat, ſocietatem iniit, vel in ejus potius clientelam ſe dedit, atque interea cum Peruſinis ſimultates aperte geſſit, armiſque certavit. Tum Vicecomite relicto, cum Peruſinis conciliatus eſt, eoſque veluti in partem principatus, ſuis ſcilicet viribus diffiſus, admiſit. Sed haud multo poſt cum Aegidius Albornotius, ſedis apoſtolicae legatus, Joanni diem dixiſſet, is vero neque jure, neque armis male partum patriae imperium tueri poſſe confideret, eo ſe abdicavit. Itaque Aegidius anno MCCCLIV. Junio menſe, Carolum Dovadolae comitem miſit, qui civitatem reciperet, eique pro eccleſia Romana praeeſſet (e). Sunt Aegidii Cardinalis literae, eo anno ad diem XVIII. kal. Sept. ſcriptae (f), quibus antiquas Eugubinorum leges, & ſtatuta confirmat, ac decernit, populari regimine civitatem regendam, vectigalia ſolum a conſilio civitatis imperanda, arcem, ac munitiones a Gabriellio ad civitatem continendam conſtitutas, omnino tollendas, remque publicam in eum locum reſtituendam, quo erat antequam Gabriellii ambitione turbata eſſet.

II.

(a) *Reput. Wading. ad an. MCCCLII &c.* (b) *Ad an. MCCCL.* (c) *Hiſt. Villan. l. I. c. 81. & ſeq. l. III. c. 27. & l. IV. c. 13.* (d) *In chronic. Eugub. ap. Murat. Rer. Italic. ſcrip. Tom. XXI.* (e) *Chronic. Eugub. cit.* (f) *In archiv. ſecret. Eugub.*

II. In his motibus civitatis non modica fuit Joannis epiſcopi vigilantia. Itaque ſynodum dioeceſanam non ſemel habuit. Vidimus in archivo Armanno neſcio quid actorum ejus ſynodi, quae a Joanne epiſcopo celebrata eſt ad annum MCCCLIX. In ea primam ſedem ab epiſcopo tenuit Paulus abbas S. Crucis Fontis Avellanae, quamvis plures adeſſent aliorum monaſteriorum praelati, & imprimis canonicorum eccleſiae Eugubinae prior, & divi Petri abbas, qui olim, poſt longa diſſidia cum epiſcopo Eugubino, ea conditione conciliatus fuerat, ut in dioeceſi Eugubina primum ubique locum honoris ab epiſcopo obtineret, ne ipſo quidem excepto canonicorum priore (a). Sed Avellanenſium praefectus ex priore abbas Pontificis auctoritate creatus, & extraordinariis honorum inſigniis auctus, ceteros ejus dioeceſis praelatos poſtea anteceſſit. Ex actis autem hujus ſynodi illud memorare juvat, quod Joannes epiſcopus, & abbates Fontis Avellanae, & S. Bartholomaei de Petrojo, cum rectore S. Verecundi de Spiſſis procuratores totius cleri Eugubini conſtituti ſunt. Synodum aliam a Joanne celebratam novi, ſed annum ignoro. Opinor tamen ante annum MCCCLVI. quo nimirum tempore opus erat turbatâm civilibus armis cleri ſui diſciplinam, & populi mores componere, ac optimis legibus reſtituere. Certe eo anno, quem diximus, v. cal. Jun. abbati & monachis S. Aemiliani de Conjunctulis pecuniarium ſubſidium condonavit ſynodi decreto imperatum (b), quod argumento eſt aliam ante id tempus dioeceſanam ſynodum ab eo celebratam.

III. Eo ſedente duo apud Eugubinos aſceteria inſtituta ſunt, virorum alterum, alterum feminarum. Primum canonicorum regularium fuit ordinis S. Auguſtini. Conditum eſt id extra civitatem ad divi Hieronymi, ubi jam aedicula erat ex ejus nomine dicta, eique dicata. Numerus hominum, qui eo loci religiolam vitam agerent ab epiſcopo praefinitus, haud ſane magnus. Iis regula S. Auguſtini ab eo tradita, & habitus non admodum ab eo diſſimilis, quem aſcetae ad divi Ambroſii a Petro Gabriellio epiſcopo inſtituti acceperant, ac praeterea vetitum eſt, ne ſe canonicos appellari ſinerent, qui non alio, quam pervulgato, & humili fratrum nomine eſſent dicendi. Vidimus prolixas Joannis epiſcopi ea de literas, quas hic proferimus, ut appareat cujuſmodi ratio eſſet earum reformationum, quae in Canonicis Regularibus per eos dies fiebant.

IV. Hujus conventus originem non ſatis perſpectam habuit Aloyſius Torrellus, is, qui annales Auguſtinianos conſcripſit (c). Ejus men-

(a) *Vid. Lancellot. hiſtor. Olivet. ac mon. Eugub. S. Petri l. II. pag. 307. & ſeq.* (b) *Ex Angelini ſchedis.* (c) *Torel. ſec. Auguſtin. ad an. 1414.*

mentionem facit ad annum MCDXIV. quo anno Canonicorum Regularium inſtitutum a Joanne epiſcopo ad divi Hieronymi fundatum, a Joanne XXIII. ibi ſuppreſſum eſt, ut narrat idem Torellus, a quo etiam accipimus, eum locum fraternitati S. Auguſtini a Pontifice attributum. Sed in eo tamen mirifice decipitur; putat enim fraternitatis nomine conventum Auguſtinianorum oportere intelligi. Ad annum MCDXX. recitat idem auctor Martini V. literas, quibus, petente Guidone Antonio Montis Feretri comite, conventum Minorum Obſervantium nuper ad divi Hieronymi erectum conventui S. Franciſci ejuſdem inſtituti, ſubjicit, abrogatis ſcilicet Joannis XXIII. literis, quibus eum locum fraternitati S. Auguſtini attribuerat. Ex iiſdem Martini literis conſtat, Minoritas aliquamdiu ſimul cum Auguſtinianis ad divi Hieronymi habitaſſe, quod diſſimulavit Torellus. Viget nunc, & maxime floret in eo coenobio Minorum Obſervantium, quos Reformatos vocant, inſtitutum. Sed ecce jam promiſſas Joannis epiſcopi literas.

V. *Frater Joannes, Dei, & apoſtolicae ſedis gratia Epiſcopus Eugubinus Dilectis in Xpō Filiis Fratri Bono Priori, ac Fratribus Marco, & Petro, totique capitulo, & conventui Fratrum S. Hieronymi de Monte S. Auguſtini Dioeceſis Eugubinae ſalutem in Domino ſempiternam. Inter omnes ſollicitudinis curas, quibus paſtoralis officii noſtri debito exigente aſſidue premimur, illam projecto ſtudio ampliori proſequimur, ut laborantes in Agro Dominico gratorum perceptione fructuum, ex ſuis laboribus provenientium, & ut divinis inhaerentes ſervitiis votiva viciſſitudine proximorum uberius repleantur. Sane noſtras aures multiplici, & aſſidua veſtra ſupplicatione pulſante, quod in habitu regulari intenditis Domino famulari, ut eccleſiam, ſive Oratorium S. Hieronymi de Monte S. Auguſtini prope Civitatem Eugubii nobis, & noſtro Epiſcapatu Eugubino immediate ſubjectam, ſecularis dumtaxat, & unici Sacerdotis regimine ſolitam gubernari, quae locus de Sylva ab omnibus nuncupatur, dignaremur in Monaſterium Regulare, ac in Conventum Collegiatum erigere & vobis, & aliis habitaturis ibidem imponere ordinem, & obſervantiam regularem. Nos piis veſtris ſupplicationibus, quibus vos ab hujus mundi procelloſis fluctibus elongari velle percepimus inclinati, ut legis Dominicae viam cotidie dilatati corde de bono ſemper in melius percurrere ſtudeatis, & religioſae vitae, boneſtaeque converſationis obſervantias vigiles amplectentes de virtute in virtute ſalubriter procedatis, ipſam Eccleſiam S. Hieronimi, in qua aſſeritis vos velle conventualiter vivere ſub obſervantia regulari, epiſcopali auctoritate ad Divini Nominis laudem, & gloriam B. Mariae Virginis Matris ejus, exaltationemque ortodoxae fidei,*

&

& augumentum bonoris, & gloriae glorioſiſſimi Confeſſoris Hieronymi, cujus merita hactenus inibi celebrata cotidie ſolemniter celebrantur a vobis, decernimus, & cenſemus ex nunc, & in perpetuum eſſe monaſterium, collegium, ac etiam regulare ſub S. Hieronymi titulo praelibati, & ibi vigere debere Canonicorum Regularium, qui fratres vocentur, ordinem, & obſervantiam regularem ſecundum regulam beati Auguſtini Epiſcopi obſervandam, & ipſam eccleſiam monaſterium facientes, eamque de ſeculari capella in monaſterium regulare, & collegiatum conventum erigentes, vobis, veſtriſque ſucceſſoribus in monaſterio praefato prout fuerit poſſibile, Dominuſque conceſſerit, aſſignamus obſervandam regulam praelibatam, & pro habitu ſcapulare lanei panni grigii coloris, & ut eodem intus, & extra locum praefatum utamini, & cappa, & tunica coloris ejuſdem, & maxime cum extra locum eumdem pro veſtris neceſſitatibus exire contingerit praeſentis ſcripti munimine indulgemus. Et ut Deo ſervire, orationibuſque vacare poſſitis libere in Oratorio praefato in eccleſiam ſecularem primo, deinde ipſam ſecularem Eccleſiam in Monaſterium Collegiatum, & regulare ſub predicta regula, & in eccleſiam collegiatam, & regularem ſub eodem titulo, & voce S. Hieronymi glorioſi cum omnibus, domibus, juribus, & pertinentiis ſuis erecto, ſtandi, orandi, miſſas publice, & occulte campanis pulſatis, & non pulſatis, boſtiiſque apertis, ſeu clauſis, excommunicatis, & interdictis dumtaxat excluſis, & aliis quibuſcumque admiſſis, dum tamen aliter repellendi non eſſent, celebrandi, rurſumque campanam unam, & plures in loco praedicto pro libito erigendi ad horas canonicas, & alias modo premiſſo vobis, & veſtris ſucceſſoribus adſit pulſandi facultas. Volumus tamen, quod vos, & monaſterium praelibatum, & locus, & omnia veſtra bona regamini, foveamini, & gubernemini ſecundum regulam antedictam per te Fratrem Bonum dictam regulam expreſſe profeſſum priorem per nos nunc perficiendam, imo perfectum preſentialiter hac vice, quam etiam ex nunc in Priorem dicti loci, ac fratruum praedictorum, ipſoſque Fratrem Marcum, & Fratrem Petrum in ejuſdem loci, & tuos fratres, & ſocios perficimus ſolemniter, & eligimus per preſentes, teque de ipſo prioratu per anuli, quem geſtamus in manum, immiſſionem fratreſque ipſos de fraternitate, & ſocietate praefatis, vobis praeſentibus, & acceptantibus proprio motu canonice inveſtimus. Committentes tibi tenore praeſentium curam, adminiſtrationem, & gubernationem totaliter dicti loci, & monitionem, & correptionem fratruum praeſentium, & futurorum tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus pleno jure, juribus Epiſcopalibus dumtaxat exceptis. De cetero autem te Priore cedente, vel decedente, aut te juſte amoto, vel privato regamini, foveamini, & gubernemini ſecundum regulam praelibatam per priorem alium poſtmodum

dum, ut juris fuerit, eligendum per ipſius monaſterii collegium, & per nos Epiſcopum Eugubinum, & ſucceſſores noſtros perpetuo confirmandum, cujus confirmationem nobis, & noſtris ſucceſſoribus praecipue reſervamus, & eidem monaſterio vobis, & veſtris ſucceſſoribus jura collegii de preſenti privilegio condonamus, ut ex nunc de cetero cum his, qui diſponente Domino recipientur ibidem, quorum receptio ad Priorem, & Fratres, qui pro tempore fuerint, pertineat, collegialiter vivere debeatis, & ibidem vita, ſigillum, arca, dormitorium, capitulum, refectorium, aliaeque officinae, & alia omnia ſint vobis communia, & communiter ſervetis, & ..... capitula omnia, & ſingula vobis, & monaſterio praedicto teneantur, & pertractentur. Omnia inſuper vobis, & dicto monaſterio concedimus jura, quae verum, legitimum, & approbatum collegium habere de jure dignoſcitur, & quae vero, legitimo, & approbato collegio requiruntur. Prohibentes attamen vos, & ſucceſſores veſtros nominari canonicos, & lineis coctis uti: volumus, et mandamus vos fratres ab invicem, et ab omnibus aliis nominari, et ad vos jura nova, quae de regularibus locuntur canonicis non eſtendi. Fratres autem tam recepti, quam recipiendi ſecundum regulam ſaepe dictam in noſtris, aut ſucceſſorum noſtrorum manibus, vel Prioris, qui pro tempore fuerit votum ſolemne profeſſionis emittant juxta ritum regulae conſuetum. Veſter quoque Prior opere, ac ſermone ſit potens, qui exemplo vitae, verbique doctrina ſubditos ſibi poſſit revocare a malo, et in bono inſtruere, et ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrare, delinquentes corripiat, obedientes quoque foveat, et confirmet. Fratrum quidem ejuſdem monaſterii tam praeſentium, quam futurorum numerum ſenarium conſtituimus, et eſſe volumus in futurum, cum ad praeſens facultates dicti monaſterii non ſufficiant ad numerum ampliorem. Dotales quippe poſſeſſiones veſtras duximus infra propriis exprimenda vocabulis, videlicet unam petiam terrae ſylvatam poſitam in monte praedicto juxta dictum monaſterium fines, a primo res comunis Eugubii, a ſecundo Philippellus Ugulini, a tertio Petrutius Baldelli, a quarto haeredes D. Ubaldi Zangoli, & a quinto Petrutiae Vannis Mercati. Poſſint etiam, qui de dicto collegio fuerint in ſacerdotio conſtituti & fratrum, & familiarium monaſterii ejuſdem audire peccata, eiſque abſolutionis beneficium impendere, & juxta ritum eccleſiae poenitentiam imponere ſalutarem. Decedentibus quoque illis, ibidem eos ſepelire canonice, ac ſepulturam, & coemeterium eis habere ſit licitum, ita quod etiam quilibet fidelis chriſtianus eligere poſſit inibi ſepeliri. Et ſi Deus dederit eccleſiam praelibatam, & officinas in ampliori fabrica a fundamentis conſtruere, creſcere, erigere, & dilatare, ſervato juris ordine, novam conſtruere, & alia poſſint, quae ſint eis, & eorum ſtatui congrua, & honeſta, quae ac ſi ſpecifica-

ta

ta exiſterent, & declarata vobis praeſenti privilegio condonamus. Hoc pacto, quod fratres dicti loci, & monaſterii, qui pro tempore fuerint, teneantur, & debeant ſingulis annis in feſto S. Hieronymi de menſe Settembris Epiſcopatui Eugubino praeſtare, & ſolvere pro communi ſervitio, & in ſignum recognitionis dominii unam libram cerae. In quorum omnium teſtimonium, & fidem perpetuam mandavimus inſtrumentum publicum fieri per Vannem noſtrum, & curiae noſtrae notarium, & ſcribam, & ipſum ſigilli noſtri appenſione muniri. Omnibus, & ſingulis ſubſcriptis diſcreti viri Dñi Angeli Baldini Cancellarii, & ſindici majoris eccleſiae Eugubinae ad haec ſpecialiter conſtituti manu dicti notarii a canonicis, & capitulo eccleſiae praedictae expreſſo accedente conſenſu. Actum, & datum Eugubii in epiſcopali palatio ſub anno Dñi a nativitate ejuſdem milleſimo CCCLVIII. *Ind.as XII. tempore Pontus Dñi Innocentii Papae VI. die octavo menſis Decembris, praeſentib. Ven: viro D. Matthaeo D. Ranerii de Civitate Caſtelli Vicario dicti D. epiſcopi, & Dño Martino Andruccioli Can.co Eugubino, & Bartolello Pauli Guidurelli de Eugubio teſtibus ad ſupradicta habitis, vocatis, & rogatis, &c.*

Et ego Vannes Ser Cecchi Ubaldi de Eugubio auctoritate Imperiali not., & nunc not., ſcriba, & officialis dicti Dñi epiſcopi, & ſuae curiae omnibus ſupraſcriptis interfui, & rogatus ea de dicti D. epiſcopi mandato ſcripſi, pubblicavi, & meo ſigno ſignavi, &c. (a)

VI. Alterum monaſterium, quod Joannis epiſcopi temporibus fundatum diximus, S. Martialis nomen tulit. Vagnarelli Barilis aedes in monaſterium converſae. Erat id, opinor, diminutivum Joannis nomen, per id tempus uſurpatum, ex Vanne ſcilicet, ſeu Vagne factum, quod idem erat ac Joannes; Natam habebat is unicam Martialem, quae, cum Deo dicari a teneris optaſſet, monaſticam vitam in aedibus paternis agere inſtituit, atque aliis pari ſtudio puellis ſibi adjunctis, regulam S. Benedicti a Joanne epiſcopo, & habitum accepit tunicam albam, cum nigro, ut appellant ſcapulari. Ut autem aucto ſacrarum virginum numero ſtudium quoque religionis ibidem augeretur, novo huic monaſterio antiquum divi Pauli appellatum providentiſſimus epiſcopus copulavit. Atque id anno MCCCLXV. non. Jul. factum conſtat ex tabulis archivi S. Martialis a Cl. Angelino viſis.

VII. Lazarellus in ſuo illo male conſarcinato epiſcoporum catalogo Joannem hunc narrat, ſponte ſua ſolum mutaſſe, & quaſi e ſna ſede exulantem Florentiae in patria ſua apud fratres ordinis ſui extremum

(a) *Ex archivo S. Joannis Decollati.*

mum diem obiiſſe. Ei rei cauſam attuliſse ait nimiam ipſius acerbitatem, duritiamque in exigendis penſionibus ac tributis, quae ſibi, & eccleſiae Eugubinae debebantur ab iis, qui agros ejus eccleſiae beneficiario jure obtinerent. Qua re irritati aliquando Eugubini, tabulas publicas, quibus ejuſmodi beneficiarii fundi eſsent deſcripti, per dolum ſubreptas, flammis dediſse dicuntur, & epiſcopum rei indignitate permotum, & pejus aliquid veritum, Florentiam profugiſse. Sed malim Ughello habere fidem, qui poſt eccleſiam Eugubinam ad viginti annos a Joanne adminiſtratam eum tradit ad Regienſem in Gallia translatum ab Urbano VI. ad annum MCCCLXX. Negare tamen non audeo tabulas ejuſmodi a nefariis quibuſdam hominibus igni traditas, qua de re univerſam civitatem a Romano Pontifice ſacris interdictam conſtat, & poſtmodum abſolutam, quae cum geſta ſint Gregorii XI. temporibus, ut oſtendemus ubi de Alexandro Sperello epiſcopo; dubium non eſt, quin ea eccleſiae Eugubinae procella contigerit hoc epiſcopo, vel Joanne altero, ejus ſucceſsore ſedente, de quo mox dicemus.

VIII. Perſtabant eo tempore Eugubini in fide Romani Pontificis; literas enim vidimus, in eorum ſecretiore archivo, Urbani V. P. M., datas VII. id. Jan. anno MCCCLXX. ſedis ſuae octavo, quibus eos hortatur ne ab eccleſiae Romanae devotione diſcedant. Nunciat etiam Peruſinorum defectionem, & auxilia pollicetur, ut ſi qui eorum fidem tentare audeant, eos poſſint repellere.

XL.

JOANNES.

I. Habemus hic Joannem alterum, de quo plura Ughellus, qui ejus nobilitatem, & doctrinam magnifice extollit. Eum prodiiſse narrat ex gente Aldobrandina. Anno MCCCLXX. x. cal. Maii Eugubinis aniſles datus fuiſse dicitur. Wadingus (a) Benedictum Cavalcantium, ad annum MCCCLXXI. memorat, ex Guardienſi Eugubinum, tum ex Eugubino Regienſem in Gallia epiſcopum, cujus alibi nullum indicium reperimus, nec ex ipſo Wadingo conſtat quo tempore Eugubinam cathedram tenuerit, ſi eam reipſa umquam tenuit. Hoc igitur praetermiſso ad Joannem redeo, qui, ut auctor eſt Ughellus, Praedicatorum ordinem a tenera aetate profeſsus, cum epiſcopatum

(a) *Wading. Tom. IV. an. MCCCLXXI. n. 19.*

tum uſque ad annum MCCCLXXVIII. geſſiſset, ea dignitate abdicata ad ſodales ſuos reverſus eſse, & inter eos anno MCCCLXXXIII. in conventu Florentino naturae debitum ſolviſse dicitur. At in recenti Italiae ſacrae editione, quam adornavit Coletus, ad marginem annus MCCCLXXXV. adnotatus legitur.

II. Haec ubi de Joanne Ughellus dixerit, non quieſcit tamen, & rurſum dubitare incipit, num revera Joannes epiſcopatum abdicarit, an potius turbulentiſſimorum temporum, ac novi ſchiſmatis procellas, quibus tum Clementis VII. pſeudopontificis cauſa agitabatur Romana eccleſia, ſupra modum pertaelus, Florentiam ſe receperit, optatam quietem inter ſui ordinis fratres quaeſiturus. Ita factum ſuſpicatur, ut Gabriel Gabriellius, de quo poſt hunc dicemus, cathedram Eugubinam invaſerit; expungendus propterea ex legitimorum antiſtitum cenſu, ſi haec vera ſint, ut vero ſimillima Ughello videntur, qui non paucas in eam rem conjecturas affert, apud ipſum videndas.

III. Verum neque anno MCCCLXXXVIII. Joannes ſedem Eugubinam vacuam reliquit, neque eam Gabriellius epiſcopus per nefas invaſit, quem rite creatum eſſe epiſcopum, & quidem anno MCCCLXXVII. paulo poſt oſtendemus. Cetera, quae de Joannis vel fuga, vel abdicatione, deque ejus morte ad annnm MCCCLXXXIII. vel MCCCLXXXV. dubitando proponit Ughellus, admodum incerta ſunt, ne dicam omnino falſa. Guernerius Bernius rerum Eugubinorum ſcriptor accuratus, & Joanni epiſcopo fere aequalis eum ſcribit obiiſſe ad annum MCCCLXXVIII, at de ejus abdicatione, & fuga in patriam ſuam plane ſilet. Verum tanto in periculo verſatus eſt in populari tumultu, qui, Bernio auctore, contigit anno MCCCLXXVI. tantique motus in civitate Eugubina per id tempus excitati ſunt, ut nihil ſit, quod ab eo prudenter fieri nequiverit ad eam tempeſtatem declinandam. Atque hinc manaſſe puto, quae de Joanne hujus praeceſſore nobis propinare voluit Lazarellus. Non diſſimilem errandi cauſam Ughello fuiſse reor, ut ſcriberet puellare S. Martialis, de quo ſupra diximus, ab hoc epiſcopo magnifice extructum.

XLI.

GABRIEL GABRIELLIUS.

I. Omnium poſtremus, qui ex monachis Avellanitis Eugubinorum epiſcopus adlectus ſit, Gabriel eſt, Neccioli, Nicolaum interpretor,

Ga-

Gabriellii filius, ex ea ſcilicet familia, quae civitatis imperium antea occupatum, cum vi & armis tueri non potuiſſet, adhuc tamen animo retinebat. Neque vero Gabriel is, de quo dicere inſtituimus, minori, quam quilquam mortalium, regnandi cupiditate flagravit: vir ſane ſtrenuiſſimus, quem potius inter arma, quam in monaſticae vitae ſtudiis educatum dixeris.

II. Obtinuerat jam inde ab anno MCCCL. opulentam S. Andreae abbatiam de Inſula, quae Avellanenſium erat, quaeque olim de Inſula filiorum Manfredi dicebatur, non admodum diſſita a Colleſtacciario caſtro agri Eugubini (a). Sed ea res non levium ſimultatum cauſa fuerat inter duos gentis Gabrielliae facile principes, Jacobum, & Joannem Cantucii filium, quem eo ipſo anno diximus civitatis dominatum invaſiſſe. Favebat enim Joannes Cecciolo cuidam, monacho item Avellanitae, cui ut Inſulana abbatia obtingeret, nihil intentatum reliquerat. Sed Gabriel Jacobi gratia atque opibus adjutus adverſarium pervicit; erat enim domi foriſque immodica Jacobi potentia, quippe qui & Patrimonium divi Petri, amplam Romanae eccleſiae provinciam, per eos dies regebat pro Romano Pontifice, & duos e ſuis arctiſſimo cognationis vinculo ſibi adſtrictos habuit duarum illuſtrium civitatum praetores Bononiae & Tuderti, quod munus temporibus illis ampliſſimum habebatur.

III. Sed Gabrielis quidem antequam eſſet epiſcopus praeclarum hoc factum narratur. Cùm enim anno MCCCLXXVI. Septembri menſe, Eugubini armis ſubito correptis a Pontifice defeciſſent, jamque populus, ad quem publica res venerat, furore percitus concurſum feciſſet ad epiſcopi aedes, Gabrielis unjus opera popularis impetus compreſſus eſt, epiſcopi domus a rapina & incendio, epiſcopus ipſe ab injuria prohibitus; nihil enim propius factum eſt, quam ut eum populus, ut palam minitabatur, vivum in ſuis aedibus combuſſerit. Haec Bernius, qui tamen in eo non eſt audiendus, quod ait Gabrielem ante annum MCCCLXXVIII., mense Aprili epiſcopum non eſſe creatum, nec ante eum annum ſedem Eugubinam vacaſſe. Joannem enim epiſcopum, quem anno tantum MCCCLXXVIII. obiiſſe tradit Bernius, ſuperiore anno, vel fortaſſe etiam exeunte anno MCCCLXXVI. paulo poſt eas civitatis Eugubinae turbas, de quibus ante diximus, ex hac vita migraſſe oportet. Extant enim adhuc literae, quas Eugubini publice ad Romanum Pontificem dederunt, orantes, ut ſibi Gabrielem Gabriellium praeficeret, quae literae ſcriptae ſunt

anno

(a) *Berni chronic. Eugub. apud Murat. Tom. XXI. Rer. Italic. ſcript. Matth. Vil. l. I. c. 80.*

anno MCCCLXXVII. VII. id. Martii (a), & V. cal. Maii ejuſdem anni jam electum fuiſſe conſtat (b). Extantque ejus temporis decreta ab Eugubinis publice facta ad excipiendum ſummo cum honore novum antiſtitem ab Urbe reducem (c). Non deſunt etiam tabulae in archivis Eugubinis, quae Februario menſe ejus anni cathedram Eugubinam vacaſſe confirmant (d).

IV. Itaque a Romano Pontifice creatus epiſcopus Ferrariam, eo volente, profectus eſt, a Cardinali Gebennenſi, Aemiliae legato, inaugurandus (e). Inde autem rediens, quo omnium ordinum plauſu & laetitia exceptus ſit, quod ſtudium totius civitatis fuerit in ejus adventu celebrando, quantum denique auri in eam rem ex publico impenſum ſit, ſupra fidem eſſe videretur, niſi Guerrerii Bernii probatiſſimi ſcriptoris, qui ea omnia multis deſcripſit, teſtimonium accederet. Id ſcilicet Eugubinis propoſitum erat, ut Gabriellios, quos plurimum gratia & auctoritate poſſe intelligebant, neque inter ſe ſe admodum, neque cum pleriſque civibus concordes erant, maxime devincirent, & in caritate patriae conjunctiſſimos retinerent. Itaque ut non unum modo Gabrielem epiſcopum, ſed omnem eam gentem velle ſe ornare, & novis honoribus augere viderentur, ad cetera laetitiae ſigna, quibus primum epiſcopi adventum in civitatem proſecuti ſunt, id etiam eſt additum ut nonnullos ex Gabrielliis crearint milites, quod per eos dies perhonorificum habebatur. Itaque in conventu omnium ordinum militare cingulum iis traditum eſt a nobili milite Boſone Ungaro, Boſonis filio, cui publica auctoritate mandatum fuerat. Atque hujus ego utriuſque Boſonis commemorandi hic libenter cauſam arripui, ex iis enim profluxit Raphaellia gens apud Eugubinos, & Cingulanos clariſſima, ex qua eſt Franciſcus Maria Raphaellius humanitate & eruditione ſingulari, quem ego veteris amicitiae jure ſanctiſſime colo, & obſervo.

V. Verum immodica illa civitatis Eugubinae laetitia certiſſimum praeſagium fuit impendentium calamitatum. Neque enim multo poſt civilibus odiis ardere iterum civitas coepit; epiſcopus vero a partibus & armis adeo non abhorruit, ut ipſe omnium maxime flammam civilis diſcordiae fovere viſus ſit. Equidem ſub initium epiſcopatus optimi civis officio ſaltem in ſpeciem functus eſt. Cum enim civitati placuiſſet, ut aliquot ex primoribus civibus legatos ad Romanum Pontificem mitteret, qui cum eo de republica tractarent, Gabriel ex eo numero eſſe voluit, eoque profectus eſt cum octo equitibus, ſplendido

(a) *Ex lib. refor. in archiv. ſecret. Eugub ad an. MCCCLXXVII.* (b) *Ibid.* (c) *Ibid. p. 32. & 33.* (d) *In lib. inſtrum. Ser Ghini Ser Nicolae not. Indicavit Angelinus.* (e) *Berni loc. cit.*

dido pro more temporum comitatu, qui magnum dynaſtem decuiſſet (a). Sed non diu clam fuit, quo ejus conſilia ſpectarent. Nam cum ad domeſtica praeſidia novas hominum principum, & potentiſſimarum civitatum amicitias adjunxiſset, ea quippe de cauſa & Senis, & Florentiae, & Arimini fuerat, tandem occaſionem rei bene gerendae nactus, civitatem cum equitatu, quem a Galeotto Malateſta Ariminenſium regulo acceperat, ſubito adortus occupavit.

VI. Sed cum non multum fortaſſe ſuis viribus confideret, & in civitate inteſtinis odiis agitata pacatum habere imperium non poſſet, Carolo Dyrrachii duci, quem Urbanus VI. ad regnum Neapolitanum capeſſendum acciverat, civitatem pro Romano Pontifice regendam tradidit anno MCCCLXXX. VIII. id. Septembris, quo die Carolus civitatem ingreſſus eſt; unde & poſtero die exceſſit, poſtquam in ſui locum gubernandae civitati Raymundum Ptolemaeum Senenſem praefeciſſet. At ſub initium inſequentis anni Gabriel epiſcopus iterum regnandi cupiditate illectus, civitatem Carolo duci eripuit, ut intelligimus ex Diario, quod appellant Marcelli Cervini, per eos dies conſcripto, cujus excerpta aliquot, unde haec hauſimus, ab humaniſſimo viro Raynaldo Repoſato nuper habuimus. Quare non hic audiendus Bernius, qui alia de cauſa imperium civitatis ad epiſcopum rediiſſe memoriae prodidit.

VII. Interea Gabriel cum tyranni nomen, & ipſum quidem odioſum, & homine eccleſiaſtico, eodemque epiſcopo indigniſſimum, ferre non poſſet, ut non tam ſecuritati imperii, quam famae ſuae conſuleret ſummo ſtudio egit, ut Eugubinae civitatis vicarius a Romano Pontifice diceretur; quo nomine honeſtari mos erat eorum tyrannidem, qui civitates, aliaque loca Pontificiae ditionis occupaſſent, in iiſque dominari inſtituiſſent. Altum quidem ea de re ſilentium apud Bernium, ſed habemus id ex tabulis archivi ſecretioris Eugubinorum. Anno enim MCCCLXXXII. nonis Februarii cum pacem placuiſſet iniri cum Gualdenſibus, a quibus Eugubini diffidebant, ei rei firmandae pro civitate leguntur adfuiſſe Nicolellus Lundulfi filius, & Gabriel epiſcopus pro ſancta ſede vicarius. Quare ut iniquior eſt in Gabrielem Bernius, qui perpetuo ſilet, eum jure tandem, & annuente Romano Pontifice imperium tenuiſſe, quod injuria occupaverat; ita plus aequo amicus Ferdinandus Ughellus, qui dominatum civitatis Eugubinae, Gabrieli epiſcopo delatum ſcribit a Romano Pontifice ad annum MCCCLXXXIII., quaſi non ipſe ſibi ante illud tempus ſemel & iterum armatus civitatem ſubjeciſſet. VIII.

(a) *Ex lib. refor. ad an. MCCCLXXVII. d. 22. Mart.*

VIII. Sed cum ne ea quidem ratione populares motus cohibere poſſet, civitatem populo tradidit, partis quinque mille aureis ad diem ſolvendis, ſibique retentis duobus, totius agri Eugubini munitioribus caſtris, Cantiano, & Serra S. Abundii, ea inſuper conditione adjecta, ut ſibi praeſidium in arce Eugubina habere liceret, quoad ſibi pacta pecunia ſolveretur. Haec cum eſſent ab eo geſta, Cantianum conceſſit, ibique anno MCCCLXXXIII. peſte ſublatus eſt, vir bellica virtute, & civili prudentia illuſtrior, quam ſtudio procurandae & amplificandae religionis, quae ſunt epiſcopi partes, ut in eum belle quadret quod de Romulo a poeta dictum eſt: *Scilicet arma magis, quam ſidera, Romule, noras.*

IX. Bernius anno MCCCLXXXIV. Gabrielem obiiſſe dicit, ſed anno MCCCLXXXIII. Septembri menſe mortuus legitur in tabulis ab Angelino indicatis, quaſque ipſi in ejus ſchedis exſcriptas vidimus. Haec porro, quae hactenus de Gabriellio epiſcopo diximus, ex Bernii chronico Eugubino potiſſimum excerpta ſunt, & ex Diario, quod vocant, Marcelli Cervini, per Simonem Paulum ſcripto. Fuerat is Gabrielis epiſcopi aequalis, iiſque civitatis Eugubinae turbis, quae per eos dies acciderunt, ita interfuit, ut vix aliquando periculum capitis effugerit; eum enim cum aliquot aliis, quos de tradenda Antonio comiti Urbinatium civitate conſilia agitaſſe ſuſpicio erat, Franciſcus Gabriellius interficiendum decreverat. Sed conſilium civitatis interceſſit, ac violari cives non ſivit, ut ex eo ipſo Diario accipimus.

X. Matthaeus Villanius Gabriellium epiſcopum, & civiles Eugubinorum motus memorat. Sed eum epiſcopum Jacobum appellat. Villanium ſecutus eſt eruditus cenſor hiſtoriae Pergulanae Aegidii Janninii, in ſynopſi hiſtorica, quam ad calcem fuſioris apologiae, pro ſe contra Janninium editae, attexuit, ubi ſcriptum reliquit anno MCCCLXXXIII. civitatem Eugubinam populo traditam a Jacobo epiſcopo, qui eam quinquennio ante occupaverat. Sed minimulus hic naevus, nihil detrahit elegantiſſimis & eruditiſſimis praeclari auctoris libellis.

XI. Poſt Gabrielis obitum ecce iterum bella & diſſidia Eugubinorum cum fratre ejus Franciſco. Poſtulabat is ut ſibi ſolveretur pecunia, quam Eugubini, libertatis pretium, pacti eſſent cum Gabriele epiſcopo. Sed cum ii negarent, vel quod ſolvendo non eſſent, vel quod prorſus nollent, Franciſcus ſuis copiis civitatem vexare inſtituit, & commeatus inopia laborantem facile quo volebat perduxiſſet, niſi optimum tandem Eugubini, ac neceſſarium conſilium cepiſſent, quo

& praeſens infortunium evaderent, & finem aliquem facerent civilium diſſenſionum. Itaque Antonii Montiſeretrani, Urbinatium comitis cum opem imploraſſent, ei ſe dediderunt v. cal. Aprilis anno MCCCLXXXIV. Quod cum Bonifacius VIII. approbaſſet, civitatis imperium Antonio comiti ad decennium attribuit, tum alii Pontifices perpetuum eſſe voluerunt; atque ita factum eſt, ut Eugubini ſub Feretranis principibus, Urbini dominis, quamdiu eorum regnum ſtetit, feliciſſime fuerint. Sed initio tamen, poſt civitatem Antonio comiti traditam, difficilius certamen fuit cum Franciſco Gabriellio, vel potius cum republica Florentina, quae Franciſcum, veterem amicum, ſummo ſtudio tutata eſt contra Antonii comitis potentiam. Confugerat ante Franciſcus ad Malateſtas, Arimini dominos, quibus cum ſatis virium non eſſet ad eum tuendum, ille Florentinorum opem imploravit. Atque is exitus ejus rei fuit, ut Antonius comes Florentinorum armis adactus ſit ad pacem cum Franciſco ineundam his legibus, ut Franciſco ipſi Cantianum oppidum, quod Antonius comes eripere voluerat, liberrimum eſſet, damnaque inſuper ſarcirentur, quae ille eo bello fuerat perpeſſus. Haec abunde in eorum temporum hiſtoriis.

ADAMUS, ET ARNOLDUS. Ughellus, poſt Gabrielis deceſſum, eorum meminit, quos non dubitat, quin dicti ſint epiſcopi Eugubini, ſed jure tamen arbitratur nec legitimos fuiſſe, nec umquam acceſſiſſe ad eccleſiam Eugubinam. Uterque a Clemente VII. pſeudopontifice creatus eſt, cujus etiam literae exiſtunt ad Adamum, quas ex Wadingo memorat Ughellus. Erat Adamus ex ordine Minorum, Pariſini conventus alumnus, frater Guilielmi archiepiſcopi Cambalienſis in Tartaria, qui eumdem ordinem in eo ipſo conventu profeſſus erat, atque ibidem obierat ubi Adamus anno MCCCLXXXIV. degebat. Haec habemus ex citatis Clementis VII. literis apud Wadingum (a). Arnoldus apud eumdem larvatum Pontificem Avenione agebat ad annum MCCCLXXXVIII. Januario menſe, ut monumenta ab Ughello allata oſtendunt. Fuerat hic Adamo ſuffectus a pſeudopontifice.

(a) *Wading. Tom. IX. pag. 61. ad an. MCCCLXXXIV.*

XLII.

LAURENTIUS CORVINUS.

I. Legitimus Gabrielis ſucceſſor ab Urbano VI. creatus eſt anno MCCCLXXXIV. Laurentius Corvinus. Certe Februario menſe ejus anni epiſcopatum Eugubinum gerebat (a), geſſitque poſtea ſaltem ad annum MCCCXC. etenim eo anno eccleſiae Eugubinae procurationem delegavit Juliano abbati divi Petri, & Laurentio Malſoli canonico Eugubino, ut legimus in ejus literis Roma datis menſe Aprili ejus anni (b). Num Laurentius umquam Eugubium venerit, incertum eſt; vicarium enim Romani Pontificis cum ageret in urbe Roma, Eugubinum epiſcopatum abſens per procuratores adminiſtravit. Tandem a Bonifacio IX. ad Spoletanam cathedram ſtranslatus eſt. Ughellus id contigiſſe ſcribit anno MCCCLXXX., ſic enim legimus in nupera editione Veneta, ſed typographi ſphalma eſt, ac legendum MCCCXC.

II. Quoad res Eugubinorum, amiſerant ii caſtrum Pergulanum in iis armorum fluctibus, quos Franciſcus Gabriellius poſt mortem Gabrielis epiſcopi excitaverat. Itaque Bonifacius IX. MCCCXCI. poſtridie kal. Januarias caſtrum illud Malateſtis beneficiario jure conceſſit cum aliis locis, quae in Pontificia ditione occupaverant; quod & ratum habuit ad annum MCCCXCIX. (c).

XLIII.

BERTRANDUS.

I. Ex epiſcopo Famaguſtano Eugubinus epiſcopus creatus eſt Bertrandus al. Bertramus de Alano IV. id. Octobris anno MCCCXC., ut narrat Ughellus. Fuerat antea Romani Pontificis ſacellarius, & ſacri palatii auditor. In tabulis pluribus, Eugubii viſis, Bertrandus omnino dicitur, minime vero Bertraynius, ut adjectum legimus ad Ughelli marginem in editione Veneta. Cum is aere alieno gravatus eſſet, arcem S. Angeli de Aſino, quae erat eccleſiae Eugubinae, cum adjacenti agro alienavit. Erat haec Marcutio cuidam Marci Ceccoli filio ob ingentem auri ſummam obligata, ſed cum epiſcopus ſol-

(a) *Ex tabul. in archiv. Arman. lit. S Vidit Angelinus.* (b) *Ex ſchedis Angelini.* (c) *Compend. hiſt. Pergul. ad calcem apolog. cit. pag. 67.*

vendo non eſſet, arcem Marcutio tradidit. Acta ſunt haec IV. non. Martii anno MCCCXCII. auctoritate Bonifacii IX. qui Andreae abbati S. Bartholomaei de Petrorio, & S. Donati de Pulpiano negotii conficiendi facultatem fecerat, ſi id vidiſſet ex uſu eccleſiae Eugubinae futurum. Ex hac porro eccleſia Bertrandus ad archiepiſcopalem Amalphitanam aſcenſum fecit anno MCDI. atque ibi rurium de Beltrando Ughellus.

II. Guernerius Berrius in chronico Eugubino Bonifacium Pontificem narrat S. Ubaldi patrocinium apud Deum inſigni miraculo in ſe patrato expertum anno MCCCXCIV., generalem ab omni culpa, & poena indulgentiam chriſtifidelibus conceſſiſſe, qui rite confeſſi, atque diſpoſiti ad ejus eccleſiam in ipſo ejus feſto acceſſiſſent.

XLIV.

MATTHAEUS.

I. Patria Fabrianenſis, ordinis Minorum profeſſor, electus eſt a Bonifacio IX. anno MCDI. VII. cal. Febr.; deceſſit anno MCDV. Ita Ughellus ex indubiis monumentis. At Matthaeus in aliquo ex tam multis catalogis, qui manu exarati circumferuntur, ordinem S. Auguſtini profeſſus dicitur. Sed hunc errorem manaſſe video ex male intellectis Innocentii VII. literis, quibus Francilcum Bilium, de quo poſtea, Eugubinum epiſcopum creavit. Legerat in iis literis imperitus quiſpiam: *dudum ſiquidem b. m. Matthaeo epiſcopo Eugubino regimini Eugubinae eccleſiae praedictae, Romanae eccleſiae immediatae ſubjectae, ordinis S. Auguſtini praeſidente, nos cupientes dictae eccleſiae utilem, & idoneam providere perſonam, &c.* Itaque quod hic de eccleſia Eugubina dicitur, quae ordinis S. Auguſtini canonicos regulares habebat, id quaſi de Matthaeo epiſcopo dictum eſſet, ejus catalogi conſarcinator imprudenter accepit. Nihil igitur quoad hanc rem in Ughello mutandum, praeſertim accedente Wadinghi auctoritate, qui Matthaeum inter ſuos minoritas recenſet (a). Quid plura? Eſt in xenodochio Fabrianenſi, quod de Bono Jeſu nomen accepit, autographum diploma Bonifacii IX. de electione Matthaei in epiſcopatum Eugubinum in locum *Bertrami* ad Amalphitanam cathedram evecti, in quo Franciſcanus dicitur. Vidit vir eruditus Anſelmus Coſtadenus noſter.

III. Sed gravius erratum eſt in edito Lazarelli catalogo. In eo enim

(a) *Tom. IX. pag. 248. ad an. MCDI.*

nim inter Matthaeum, de quo diximus, & Franciſcum Bilium Matthaei ſucceſſorem Jacobus neſcio quis, ſine ulla auctoritate, inſeritur ad annum MCDIII. Sed Lazarellus manifeſti erroris convincitur ex citatis Innocentii VII. literis, quibus eccleſiae Eugubinae propter Matthaei epiſcopi obitum vacanti praeficitur Franciſcus S. Petri abbas. Locus igitur Jacobo eſse non poteſt.

XLV.

FRANCISCUS BILIUS.

I. Ad eccleſiae Eugubinae regimen vocatus eſt Franciſcus ab Innocentio VII. ut conſtat ex ejus literis, quas ſupra citavimus, quae cum datae ſint Viterbii idibus Januarii anno ſecundo, non recte ſcribit Ughellus Franciſcum electum fuiſse idibus Jan. anno MCDVII. Non recte, inquam, nam cum Innocentius VII. ad Petri ſolium aſcenderit anno MCDIV. xvi. kal. Novemb., Januario menſe anni MCDVII. tertius Innocentii annus in curſu erat jam inde ab Octobri menſe anni ſuperioris. Anno igitur MCDVI. creatus eſt epiſcopus. Erat is ex gente Bilia apud Eugubinos illuſtri. Quare delendum, quod ad Ughelli oram nuperae editionis additum eſt, quoad hujus epiſcopi cognomen qui *de Biliis*, dicitur, *alias de Prillis*; haec enim gens Eugubii inaudita, & Franciſcum ex Biliis eſse eorum temporum tabulae, & monumenta innumera oſtendunt.

II. Abbatiam S. Petri gerebat, cum ad epiſcopatum aſsumptus eſt, quem omnium diutiſſime tenuit, annis nimirum octo, & triginta ſub Innocentio VII., Gregorio XII., Alexandro V., Joanne XXIII., alias XXII., Martino V., & Eugenio IV., quo ſedente mortalitate ſolutus eſt. Non ſum neſcius in quibuſdam catalogis ad annum MCDXL. Petrum epiſcopum occurrere, ſed hic etiam temere inſertus eſt. Fortaſse ſupra fidem videbatur tam diuturna Franciſci vita in epiſcopatu, ſed is certe ad annum MCDXLI. in vivis erat, imo & ad annum MCDXLII. ex tabulis in archivo S. Secundi, & alibi adſervatis, quas vidit diligentiſſimus Angelinus. Cum igitur ejus obitum Ughellus in annum MCDXLIV. conjecerit, hic annus retinendus eſt.

III. Cum tot annis eccleſiae Eugubinae praefuerit multa ab eo geſta eſse non dubito non indigna, quae mandentur literis, ſed vix paucula haec reſcire licuit, moniales nimirum S. Jacobi, & S. Barbarae in monaſterium S. Luciae inductas; tum hoſpitalem domum

S.

S. Lazari hoſpitali S. Mariae de Mercato adjunctam (a), denique provinciam ducatus Spoletani ab eo adminiſtratam ſumma laude, & magno provincialium bono; eam enim provinciam dicitur pacatiſſimam reddidiſſe (b), quantum, opinor, eorum temporum conditio ſinebat. Ejus meminit Jacobillus in bibliotheca Umbriae, ubi eum narrat egregium volumen Reſponſorum, quod ſummopere laudatur a JCtis, edidiſſe.

IV. Eo ſedente reformata eſt eremus S. Ambroſii, ubi olim aſcetarum familia a Petro Gabriellio epiſcopo conſtituta fuerat. Sed aliis morte extinctis, aliis fortaſſe dilapſis, & loci alperitatem, & paupertatem ferre non valentibus, vix unus erat relictus loci praeſes Joannes Reccolus Eugubinus, & is quidem ſenio confectus. Egerat is non ſemel de inſtaurando Ambroſiano collegio cum Guidone Antonio Urbini comite, Antonii comitis filio, ad quem poſt patris obitum Eugubinae civitatis dominatus pervenerat. Hoc igitur curante, & volente Gregorius XII. divi Ambroſii prioratum, ſic enim appellabant, congregationi Canonicorum Regularium S. Salvatoris, per eos dies naſcenti, attribuit, vel potius primos ejus inſtituti ſodales, e ſuis ſedibus expulſos, & profugos, eo loci recepit. Mirum autem quantum ei loco ſplendoris, & dignitatis propterea acceſſerit, quantum ibi canonica diſciplina floruerit, quot eximios alumnos ea familia, brevi admodum tempore, ediderit, qui non ibi ſolum inſtitutam ſanctioris vitae rationem coluerunt, ſed alio etiam evocati, reformationem canonici ordinis, ibi feliciſſime ceptam, propagarunt. Datum eſt Gregorii XII. ea de re diploma IX. cal. Oct. MCDXIV. editum a Joanne Baptiſta Signio in ſuis de ordine, & ſtatu canonico libris (c). Ex primis vero, qui cum Ambroſianis coiverint, fuere Canonici Regulares S. Mariae ad Rhenum in agro, & S. Salvatoris in civitate Bononienſi, quae duo loca in unum coaluere S. Salvatoris monaſterium longe florentiſſimum, & apud Bononienſes celeberrimum, quod & ſuperioribus temporibus, & nunc ut cum maxime viros educat virtute, literiſque ſpectatiſſimos. Ea unio facta eſt auctoritate Martini V. (d), qui, & eandem confirmavit (e) ad annum MCDXXX. datis literis, quas videre licet apud Signium (f), & Ambroſianis canonicis S. Donati de Pulpiano, & S. Bartholomaei de Petrorio abbatias attribuit, ut nova hac bonorum acceſſione priſtina loci paupertas ſublevaretur, & uberior familia ibi ali poſſet. Nunc Canonici Regulares relicta inhoſpitali ea rupe, ubi S. Ambroſii monaſterium ſitum eſt,

(a) *Lazarel. in catalog. ep. Eugub.* (b) *Maurus monach. S. Petri alibi cit. in archiv. Arman l. 4. L.* (c) *Lib. III. c. 13.* (d) *Dat. Friburgi non. Jun. an. I.* (e) *Apud Sign. lib. IV. c. 1.* (f) *Lib. cit. cap. 7.*

eſt, ad S. Secundi habitant, commodiore loco, nec admodum ab urbis moenibus diſſito, quem a Calixto III. obtinuerunt anno MCDLV. (a); licet eo ante inſequentem annum MCDLXVI. non commigraverint, ex ſententia Petri Benii abbatis S. Crucis Fontis Avellanae, cui Pontifex cauſae cognitionem commiſerat (b). Sed antiquae tamen eccleſiae S. Ambroſii cultum minime negligunt, praeſertim cum ibi condita ſint corpora beatorum Franciſci Nanni Senenſis, & Archangeli Cannetuli Bononienſis, quorum alter ſub ipſum novae congregationis initium, alter aliquanto poſt inſigni ſanctitate floruit. Eſt autem B. Archangeli corpus ad hanc uſque diem incorruptum, eique publicus cultus a ſede apoſtolica nuper decretus eſt, anno ſcilicet MDCCXLIX. Utrumque laudavimus in diſſertationis praeviae capite VII.

V. De rebus Eugubinorum id memoraſſe ſufficiat eam civitatem nequidquam armis tentatam a Brachio Peruſino, fortiſſimo ejus aetatis duce, qui Guidoni Antonio Feretrano Urbinatum comiti inſenſus, in ejus ditionem invaſerat, ac nonnulla oppida ceperat. Joannes Antonius Campanus, qui Brachii geſta literis mandavit, vel poetico potius more amplificavit, ornavitque, Brachium narrat tripartita manu tres ſimul urbis portas aggreſſum, & hoſtibus fruſtra repugnantibus, refractis portis, infra moenia admiſſum, ubi totum triduum ingenti edita clade conſederit, quin in ſuperiorem urbis partem evadere potuerit. Ait enim urbem edito loco ſitam, ſua ſe natura, ſituque defendiſſe, quod Eugubinorum virtuti omnino tribuendum fuerat (c). Bernius Eugubium a Brachio bis tentatum ſcribit, anno ſcilicet MCDXIX. & MCDXX. (d).

XLVI.

ANTONIUS SEVERIUS.

I. Sedem Callienſem cum Eugubina commutavit Antonius Severius Urbinas anno MCDXLIV. idibus Iulii. In editione Veneta Italiae ſacrae, & apud Lucentium non Severius, ſed Severinus dicitur, ſed perperam; nullibi enim non Severium, aut noſtro more *Severi* dictum eſse hunc epiſcopum memini. Vixit in epiſcopatu ad annum uſque MCDLXXII. quo anno VI. idus Aprilis ex hac vita migravit, ut eſt apud Bernium, qui citra hoc tempus ſuum chronicon Eugubinum, quale nos habemus, non perduxit.

II.

(a) *Lib. cit. c. 16.* (b) *Ex Cantal ſcriptis in arch. Arman.* (c) *Jo: Ant. Camp. in vit Brachii ap. Murat. Rer. Italic ſcript. Tom. XIX. p. 560., & 561.* (d) *Berni chronic. Eugub. ap. Murat. Tom. XXI.*

II. Ejus aetate moniales S. Donati, olim S. Damiani, poſtea vero S. Clarae appellatae, cum monialibus S. Mariae de Pellagio convenientes in unam familiam coaluerunt, quae adhuc perſeverant in florentiſſimo, ac religioſiſſimo S. Benedicti parthenone. Extant ea de re Eugenii IV. literae, a Nicolao V. ſubinde confirmatae, quibus praecipitur, ut eae moniales ex S. Clarae nomine omnes deinceps appellentur (a). Sed illud imprimis hujus optimi epiſcopi providentiae tribuendum cenſeo, quod ex variis monaſteriolis, quae erant extra civitatem, locis deſertis, vel incommodis certe, & non admodum ad ſanctimonialium habitationem idoneis, virgines Deo ſacrae, haud exiguo numero, ad Sancti Spiritus, in civitatem, migrarint, quibus regendis Franciſca ex caſtro Durantino, ſanctitate illuſtris femina, data eſt, curante Federico Urbinatium principe (b). Narrat etiam Lazarellus, Antonium epiſcopum attribuiſse Canonicis Regularibus S. Salvatoris, qui ſcilicet ad divi Ambroſii degebant, monaſterium S. Secundi. Id nos ſupra factum diximus a Calixto III.

III. Anno MCDLVI. impetravit providentiſſimus antiſtes a Calixto III. (c) abbatiam S. Mariae de Alfiolo, ad ſublevandam eccleſiae Eugubinae egeſtatem; amplas enim opes, quibus ea olim eccleſia affatim abundabat, ſuperiorum temporum calamitates exhauſerant, ac veteri opulentiae non levis inopia ſucceſſerat. Agere inſtituerat Antonius, ut hoc ſubſidium eccleſiae ſuae compararet apud Nicolaum V. ſed is morte ſublatus eſt re infecta. Itaque a Calixto III. Antonius voti compos factus eſt. A civitate diſtat Alfioli abbatia ad tria millia paſſuum, praebetque nunc epiſcopis Eugubinis peramoenum ſeceſſum a curis urbanis. Poſtremus ejus loci abbas fuit. Antonius Mediolanenſis. Ejus hoc monumentum extat ibidem in antiqua turri. *MCCCCLII. Tempore Dñi Antonii de Mediolano Abbatis Hujus Monaſterii Reparatoriſque Hoſtiliter Combuſti Atque Diruti MCCCCXXXXII.* In parte averſa ejuſdem turris haec item inſcriptio exiat. ✠ *Anno Domini MCCLXXXXV. Tempore Dñi Gerardi Abbatis.* Si hanc turrim demas, vix aliud quidquam ſupereſt ex antiquis monachorum aedibus. Cetera vel recens exſtructa, vel in novam formam reſtaurata, ita ut ex monaſterio non admodum amplo ſplendida, & ſumptuoſa villa enata ſit.

IV. Ejuſdem epiſcopi permiſſu nova erecta eſt paraecia in caſtro Turris Calzolariorum, ut commoditati incolarum conſuleretur, qui nec ullam in eo caſtro parochialem eccleſiam habebant, nec ſatis con-

(a) *Ex archiv. S. Bened. Vidit Angelinus.* (b) *Vinc. Armen. hiſt. Benivol. l. 2. p. 93. ex chron. mſſ. S. Sp.* (c) *Dat. Rom. IV. id. Febr.*

Digitized by Google

conſtabat in cujuſnam paroeciae finibus is locus ſitus eſſet. Cum vero ad Romanum Pontificem ventum eſſet, ut ſua auctoritate eam erectionem ratam haberet, priori eccleſiae Eugubinae (erat is tum Raphael, Franciſci Jordani Raphaelij filius) totius rei cognitio commiſſa eſt a Pontifice, ut apparet ex ejus reſcripto, quod eſt apud Raynaldum Repoſitum, quem ſaepe cum laude nominavi.

Naturae debitum ſolvit Antonius Severius VI. id. April. anno MCDLXXII. ut ſupra indicavimus, & ejus obitum non ſolum univerſa civitas, ſed omnium maxime Federicus Urbinatium princeps, qui tunc Eugubii erat, lacrymis proſecutus eſt, propter veterem amicitiam, & probatam optimi Epiſcopi virtutem. Erat enim in eo ſingularis prudentia, & magnitudo animi, quodque ad homines devinciendos plurimum valet, caritate in pauperes, & humanitate in omnes eximia fuit, ut a Bernio, chronici Eugubini auctore, accipimus (a).

XLVII.
JOANNES.

Joannes Beroaldus, natione Thuſcus, Ordinis Praedicatorum anno MCDLXXII. Ita de hoc Epiſcopo Ughellus, quem optaverim indicaſſe undenam ejus patriam, & familiam, & vitae inſtitutum habuerit. Lazzarellus *Joannem Germanum* ad annum MCDLXXII., medium inter Antonium Severium, & Corradum Veſpium affert. Maurus monacus divi Petri, ante Corradum Veſpium, Joannem Germanum collocat, eumque narrat, ob eximiam prudentiam a Romano Pontifice in Germaniam ad Caeſarem miſſum eſſe, ex eaque legatione cum rediret mortuum eſſe in itinere (b). Hinc conjectare licet, Joannem hunc non multo poſt ejus electionem obiiſſe, & nunquam fortaſſe ad ſuam ſedem acceſſiſſe; nam eodem illo anno, quo Antonius Severius obiit, anno ſcilicet MCDLXXII., & Joannem hunc noſant catalogi aliquot antiſtitum Eugubinorum, & anno inſequenti habent Corradum Veſpium, de quo mox dicendum eſt.

XLVIII.
CORRADUS VESPIUS.

Nudum hujus Epiſcopi nomen profert Ughellus, quem vixiſſe

(a) *Rer. Ital. Script. T. XXI.* (b) *Arch. Arm. cod. L.*

ait in eccleſia Eugubina ad annum MCDLXXIII.. Maurus monachus, quem paulo ante citavimus, in eo deſinit, atque ex eo licet conjicere quo tempore ſuam illam ſcriptiunculam conſarcinavit. Sed is etiam nihil praeter ejus nomen. Lazarellus nullum hujus Epiſcopi monumentum apud Eugubinos reperiri autumat, quia eo ſedente immanis, & diuturna peſtis eam civitatem afflixit. Quam ſit hoc falſum conſtabit ex iis, quae dicemus paulo poſt in Leonardo Grypho. Sed Corradus Veſpius, ſi quidem Epiſcopus Eugubinus fuit, brevi fuit: etenim eo ipſo anno MCDLXXIII. quo in ea cathedra ſedere potuit, Leonardum Gryphum ad eamdem aſſumptum eſſe conſtat.

XLIX.
LEONARDUS GRYPHUS.

I. *Leonardus Gryphus Romanus Epiſcopus Eugubinus MCDLXXV. IV. non. Nov. ex Sixti V.* (l. IV.) *ſecretario, ad Archiepiſcopatum Beneventanum translatus eſt a Sixto IV. Pontifice maximo anno MCDLXXXII.* Ita Ughellus parum feliciter de Leonardo Grypho, in quo primum quoad patriam errat: in quibuſdam enim tabulis ad eccleſiam Eugubinam ſpectantibus, atque ab Angelino viſis, Joannes Baptiſta Gryphus, Leonardi Epiſcopi frater, Mediolanenſis appellatur. Id etiam facile intelligi poteſt ex pluribus Franciſci Philelphi literis, ex quibus conſtat, Leonardum Mediolani, una cum Ambroſio fratre, qui philoſophus, & medicus illuſtris habitus eſt, a Philelpho ipſo in liberalibus diſciplinis eruditum fuiſſe. Mirum autem, quam multis laudibus eum Philelphus ornare conſueverit, quoties, vel ad eum ipſum, vel de eo ad alios ſcriberet: *Increbuit apud me, tibi opus eſſe erudito aliquo, atque diſerto juvene, cujus opera uti poſſis in ſcribendis literis, & in reliquo ſecretariatus munere.* Ita ad Jacobum Cardinalem Papienſem Philelphus. Tum pergit: *Eſt hic apud nos*, hoc eſt Mediolani, *Leonardus Gryphus, tibi, ut arbitror, non incognitus, vel ex eo carmine, quod annis ſuperioribus ſanctitati Domini Noſtri Mantuae dono dedit. Is omnium primum modeſtiſſimis eſt moribus, indubitatoque pudicus. Ingenio eſt ad omne orationis genus & facili, & feraci, & eo quidem non ſolum ad ſolutam orationem, ſed ad omnem verſus convenientiam, atque ſplendorem. Accedit praeterea ſalutare animi inſtitutum, quo ſe cupit, ardentiſſimo quodam deſiderio, Deo dicare, militiaeque Romanae eccleſiae adſcribere, &c. Ex Mediolano XV. kal. Dec. MCDLXII.* (a).

II. An

(a) *Lib. XVIII. pag.* 128. *ex edit. Venet. ann.* 1502.

II. An voti compos factus ſit Philelphus, & Leonardus apud Cardinalem Papienſem fuerit, mihi non liquet. At anno certe MCDLXVIII. Romae jam Leonardus erat, & fortunae velificari coeperat, qua de re urbane cum eo jocatur Philelphus, in epiſtola ad eum ſcripta, IV. id. Jun. ejus anni (a). Inſequenti anno Romae vivebat cum Cardinali Sagonenſi, ut ex alia Philelphi epiſtola ptid. kal. Maj. ſcripta, qua ſic eum alloquitur: *Vides, mi cariſſime Leonarde, quanta ſit tibi ſpes propoſita & bonoris, & fructus apud excellentiſſimum iſtum, ſanctiſſimumque pontificem Paulum ſecundum, ſi bonitatem foecundiſſimi ingenii tui excolueris, ſi doctrinae magnitudinem, ut facis, adamaris, ſi vim dicendi, quae natura quodammodo in te eſt, omni ſtudio exercueris.* Conſulit autem, ut graecis litteris ſe totum addicat, atque ea de re imprimis frequentandas ei eſſe dicit aedes Cardinalis Beſſarionis. Quoad ſtudia vero philoſophiae, & theologiae, *habes tu quidem domi*, inquit, *ampliſſimum patrem, Cardinalem Sagonenſem, qui tibi, ut eſt in omni doctrina, ſapientiaque praecellens, omnem vel ambiguitatem, vel obſcuritatem ſit ex mente radicitus eruturus.*

III. Eſt alia Philelphi epiſtola ad Paulum II, qua eum rogat, ut Leonardo praepoſituram Burgi S. Domnini conferat. Sic enim ait ali bonas artes, virtutemque foveri, cum praemia juventuti tribuuntur: ſe vero magnopere mirari, cur Paulus, qui & vir eſſet ſanctiſſimus, idemque eruditiſſimus ac ſapientiſſimus, eos *tamen minus omnes ad honores, & dignitates* admitteret, *qui & virtuti vehementer ſtudent, & doctrinae ſunt, ſapientiaeque cultores.* Leonardum vero *modeſtiſſimum, & perdoctum, & diſertum* appellat, qui eo etiam nomine Pontifici cariſſimus eſſe deberet, *quod, contemptis ſeculi deliciis, ſe ad Chriſti gregem converterit* (b).

IV. Poſt Pauli II, obitum Pontifex creatus eſt Franciſcus Roboreus, Cardinalis ille Sagonenſis, de quo ante dictum, qui inter familiares Leonardum adlegerat, ut ex Philelpho conjicimus. Atque is, ſub ipſum Pontificatus initium, Leonardum ſecretarii apoſtolici munere decoravit, quod munus honorificentiſſimum, & ad opes parandas aptiſſimum judicabatur. Eſt Philelphi epiſtola anno MCDLXXI. XV. kal. Octob. ſcripta, haud multis nimirum diebus poſt Sixti IV. electionem, cujus tale initium eſt. *Gratulor in majorem modum tuis ſecundiſſimis rebus, Leonarde Grypbe, vel virtuti potius ipſi tuae, cujus praeſtantia eſt effectum, ut omni ſuperata invidia, fortunam tibi obſequentem reddideris.*

(a) *Ibid. lib. XXVIII. pag.* 198. (b) *Ibid. pag.*

V. Hanc Leonardi fortunam ſub Sixto IV. non unus agnovit, praedicavitque Philelphus. Eum Jo: Antonius Campanus inter viros doctos aetatis ſuae commemorat, nec tam ejus ingenium, quam & fortunam extollit his verſibus, qui ſunt in epiſtola ad Gentilem Urbinatem.

At Gryphus, cui nunc vento fortuna ſecundo
Spirat, & optatum navigat ad zephyrum;
Mercibus, ut redeat, conferta nave, Sabaeis,
Laudis ab ingenio plus feret ille ſuo.
In duras venit hic acies, & mollia furta
Aonioque poteſt currere quaque pede.

Et ne quid ſuſpiceris, pergit in eadem epiſtola Campanus, *fuit & olim hoc meum de Grypho judicium*. Edita eſt haec Campani epiſtola inter ejus opera, & inter epiſtolas Jacobi Cardinalis Papienſis (a). Extat & ipſius Cardinalis Papienſis epiſtola ad eundem Leonardum Gryphum, jam epiſcopatu Eugubino inſignitum, ex qua conſtat quid homines judicarent de ſumma ejus gratia apud Pontificem Sixtum (b). *Accinctus jam ſum ad Tuſcum feceſſum. Relinquo tibi animum meum. Relinquo gratias, quas pro tot tuis in me meritis debeo. Cura ut valeas, vitamque vitae commodis praeferas. Meorum negotia in fidem tuam ſuſcipito, & quae Pontifex dedit, pugna ne adimat. Serendi beneficii in hac poteſtate palatina tibi eſt tempus. Dies totos ita fere, ut uberem gratiae meſſem tuis temporibus colligas.* Ita ad Gryphum Cardinalis Papienſis, cujus epiſtola *epiſcopo Eugubino L. Grypho* inſcripta, cum data ſit *XI. Julii MCCCCLXXIII.* emendandus eſt Ughellus, qui Leonardi Gryphi epiſcopatum ex anno MCDLXXV. auſpicatur. Itaque, ſaltem biennio ante, Leonardus epiſcopatum Eugubinum obtinuerat.

VI. Apparet id etiam ex Sixti IV. literis, quibus Eugubinis certam pecuniae ſummam imperat, in Leonardi epiſcopi ſubſidium, quae literae datae ſunt v. non. Maii MCDLXXIII. Eas vidit Angelinus Eugubii, in archivo monachorum divi Petri. Oſtendunt autem hae Sixti literae, quam vere Campanus cantarit, ſecundo vento fortunam per eos dies Grypho ſpiraſſe, eumque optatum navigaſſe ad zephyrum. Apparet id etiam ex aliis Sixti literis, item ab Angelino viſis, quibus immunitatem canonicis S. Secundi, ab Antonio Severio epiſcopo conceſsam, ſuſtulit, juſſitque, ut ea adamuſſim Leonardo epiſcopo, veteri more, perſolverent, quae vel decimarum, vel quartae funebris nomine

(a) *Edit. Mediol. ann. MDXXI. pag.* 211. (b) *Ibid. pag.* 261.

mine eccleſiae Eugubinae debebant, a quibus ſcilicet Antonii Severii liberalitate, & indulgentia exempti fuerant. Quod autem de ejus ingenio addit, non minus verum exiſtimo. Prodiit nuper aliquod ejus rei ſpecimen inter rerum Italicarum ſcriptores, in poſtremo ſcilicet tomo, qui poſt Muratorii obitum editus eſt, & quaſi coronidem magnae ei collectioni imponit. In eo eſt latinum poema Leonardi noſtri *de conflictu Aquilano, quo Braccius Peruſinus profligatus eſt*. Ita hoc poema inſcribitur, quod exceptum eſt ex codice bibliothecae Ambroſianae. Ad ejus calcem haec verba leguntur: *Finitus eſt Braccianus conflictus per Leonardum Grypbum Mediolanenſem, qui Romae obiit, Sixti IV. ſecretarius*. Habes hinc etiam Leonardum patria Mediolanenſem fuiſſe, ſimulque epiſcopatum Eugubinum, tum archiepiſcopatum Beneventanum, ad quem anno MCDLXXXII. a beneficentiſſimo Pontifice translatus eſt, ut ab Ughello audivimus, abſentem adminiſtraſſe. Extant inter Campani opera plures epiſtolae, & carmina ad Gryphum, quae hic indicaſſe ſat erit.

VII. Cum is eccleſiam Eugubinam regeret, teterrima lues eam urbem invaſit, quae mortales multos ſuſtulit. Coorta eſt ea peſtis anno MCDLXXVIII. & inſequenti anno extincta (a). Extat ea de re in archivo Armanno Italicum poema Leonardo Grypho inſcriptum, ex quo verſus aliquot ſupra attulimus, ubi de S. Vilano epiſcopo agebamus (b). In eo poemate bonus quidam monachus, ex monaſterio S. Crucis Fontis Avellanae, S. Ubaldum in viſu vidiſſe fingitur adeuntem, & rogantem ſingulos beatos coelites, qui apud Eugubinos maxime coluntur, ut una ſecum vellent Eugubinae civitatis, in tanta calamitate pereuntis, patrocinium apud Deum O. M. ſuſcipere.

VIII. Leonardi temporibus Sixtus IV. multa indulſit monialibus S. Spiritus, quae narrantur in ejus monaſterii hiſtoria inedita, quam olim vidimus apud amiciſſimum Angelinum, dum viveret. In his minime praetereundum eſt, quod pro poteſtate, & in virtute, ut ajunt, ſanctae obedientiae mandavit priori, & fratribus S. Secundi, ut earum monialium curam ſuſciperent in his, quae ad animae ſalutem pertinent (c). Sed & omnia privilegia canonicorum S. Salvatoris, qui erant, & ſunt etiam in hanc uſque diem, ad S. Secundi, iiſdem monialibus conceſſit (d), quibus etiam aliquando facultatem fecerat confeſſarium eligendi, a quo in vita, & in morte abſolvi poſſent a gravioribus quibuſcumque reatibus, & ſua ſtatuta reformandi, dummodo ſemper impoſterum feria VI. jejunium ſervarent (*).

(*) *Ex mon. archiv. Societ. Albor.* (b) *Vid. aſſertat praev. cap. VII.* (c) *Dat. Rom. X. Jan. MCDLXXIV. Ex hiſt. mſſ. S. Spiritus.* (d) *Ad an. MCDLXXVIII. ex eod. hiſt.*

(a). Denique iisdem permisit, ut ad suum monasterium deferrent B. Januariae corpus, una cum ossibus B. Agatellae (b).

L.

HIERONYMUS ROBOREUS.

Sixti IV. ex sorore nepos Hieronymus, primum Albigaunensis episcopus, deinde ad Recanatensem translatus, & in collegium S. R. E. Cardinalium cooptatus, Eugubinum episcopatum eodem tempore, quo & Recanatensem gerebat, administravit, ab anno scilicet MCDLXXXII. ad annum MCDXCII., quo eam administrationem dimisit. Haec ex Ughello, neque enim quidquam in archivis Eugubinis de eo reperire licuit, qui fortasse nunquam eam civitatem adivit.

LI.

FRANCISCUS ROBOREUS.

Clementis Roborei Cardinalis frater, anno MCDXCII, III. non. Jan. episcopus creatus est Franciscus, X. kal. Junii Eugubium venit, IV. kal. episcopatum inivit, quem cum annis duodecim, & mensibus aliquot tenuisset, ad Mimatensem cathedram in Gallia translatus est, VI. kal. Sept. anno MDIV. Ex ejus actis in episcopatu Eugubino vix unum hoc reicire datum est, quod moniales S. Spiritus pecunia juverit in suis aedibus in ampliorem formam restituendis, quod & fecisse eum constat postquam in Galliam migravit (c). Erant ejus loci moniales, per eos dies, in summa opinione virtutis, in iisque maxime florebat Elisabetha Bentivola Eugubina, Octaviani archiepiscopi Salernitani soror. Eam, tradunt, ex primis illis fuisse, quas instituendas in sanctiore vita suscepit Beata, quam vocant, Franciscа e castro Durantino, quae, volente Federico Urbinatium providentissimo principe, ad regendas S. Spiritus sanctimoniales accesserat, ut alio loco diximus (d). Igitur Elisabethae Bentivolae cauta potissimum factum esse tradunt, quod cum Franciscі episcopi, tum vero etiam Octaviani fratris liberalitate, in suis aedibus amplificandis, moniales S. Spiritus adjutae sint, quibus praeterea Octavianus plura sanctorum lipsana donavit, quae a Bessarione Cardinali acceperat. Haec ex Vincen-

(a) *Dat. Rom.* XXVIII. *Oct. MCDLXXII. indidem.* (b) *Dat Rom. apud S. Pet.* XXIX. *Jan. MCDLXXXII. ex eod. hist.* (c) *Ex hist. mss. S. Spiritus cit.* (d) *In Ant. Sever. epist.*

centio Armanno habuimus, qui ſecutum ſe profitetur chronicon S. Spiritus, a fr. Hieronymo Veneto ordinis Praedicatorum conſcriptum (a).

LII.

ANTONIUS FERRERIUS.

Poſt Franciſcum Roboreum adminiſtravit epiſcopatum Eugubinum Antonius Ferrerius, vir non minus proſperae, quam adverſae fortunae caſibus inſignis. Hunc a primis annis Julianus Roboreus, Cardinalis S. Petri ad vincula, in familiarium ſuorum numerum adlectum apprime carum habuit. Poſt autem ad Petri ſolium evectus, in quo Julii II. nomen geſſit, in eo ornando, & locupletando non modo omnium expectationem ſuperavit, quae modica non erat, ſed modum nullum tenuiſſe viſum eſt. Primo Pontificiae domus magiſtrum, & Nolanum epiſcopum creavit; tum ſacra purpura donatum, & ampliſſimis muneribus, opulentiſque ſacerdotiis, in quibus fuere epiſcopatus Peruſinus, & Eugubinus, & omni demum beneficiorum genere cumulavit. Sed quam imparem animum tantae amplitudini gereret, mature admodum apparuit. In obeunda enim legatione Bononienſi, cum majorem ſibi poteſtatem uſurpaſſet, quam quae in legato ſedis apoſtolicae a Pontifice vel amantiſſimo ferri poſſet, ac neſcio quid contra certam ipſius Pontificis voluntatem auſus eſſet, ejus animum graviter offendit. Agnovit is beneficia ſe in immerentem, atque ingratum congeſſiſſe. Quare facti poenitens, Romam ire juſsum, ex vinculis cauſam dicere voluit, ubi cum viginti millibus aureorum mulctatus eſſet, nec ulla ſpes ſupereſſet reconciliandi ſibi animum Pontificis, morbum ex animi moerore contraxit, quo extinctus eſt XI. vel ut aliis placet x. cal. Aug. anno MDVIII. quadriennio poſtquam eccleſiae Eugubinae adminiſtrationem acceperat; hoc enim ſacerdotio auctus eſt anno MDIV. Auguſto mense exeunte. Haec fere ex Ughello, cui concors eſt Oldoinus in auctariis ad Ciacconium. Utrum Antonius Ferrerius ad eccleſiam Eugubinam unquam acceſſerit incompertum habeo.

LIII.

(a) *Vinc. Arman. hiſt. Bentivol. l. II. p. 93.*

LIII.

FEDERICUS FREGOSIUS.

I. Et ſplendore natalium, & fortunae caſibus, rebus vero imprimis praeclare, ac fortiter geſtis notiſſimus eſt in hiſtoria ſui temporis Federicus Fregoſius, frater Octaviani Fregoſii Januenſium praefecti. Obtinuerat is archiepiſcopatum Salernitanum, ſed cum Gallicanarum partium eſſet, a Caeſarianis excluſus ab archiepiſcopatu ſuo exulare coactus eſt. Non una hac aerumna afflictus eſt Federicus, qui & duram aliquando obſidionem a Caeſarianis ipſis ſuſtinuit, & in patriae ſuae direptione ab Hiſpanorum manibus elapſus, cum in naviculam ſe vellet proripere, nihil propius factum eſt, quam ut in mari mergeretur. Sed ad praeſtantem virum ſublevandum cum Gallorum regis, tum Romani Pontificis munificentia praeſto fuit; ab eo enim abbatiam S. Benigni Divionenſem, ab hoc epiſcopatum Eugubinum perpetuo adminiſtrandum accepit. In ea vero rerum ſuarum everſione varias mutavit ſedes, nam & Bononiae aliquandiu fuit, anno ſcilicet MDIX. & MDX. (a) ubi ſe totum literis dederat, in quibus haud mediocriter erat eruditus, & anno MDXIII. eum Romae degiſſe conſtat, ubi domus ejus a doctis hominibus maxime frequentabatur. Poſtmodum vero apud Januenſes ſuos conſedit, & Patavii etiam, & Venetiis fuit, & in Gallias quandoque ſe recepit, unde in Italiam anno MDXXIX. matris ſuae morte revocatus eſt. Atque haec omnia ex Bembi ad eum literis pluribus habemus, praeſertim iis, quae libro v. vol. I. continentur, quae omnes ad Fregoſium ſunt ſcriptae. Poſt illud tempus longiores moras apud eccleſiam Eugubinam facere inſtituit, quam viginti amplius annis fere ſemper abſens adminiſtraverat: jam inde enim ab anno MDVIII. VII. cal. Aug. ejus eccleſiae procurationem a Julio II. acceperat. At Salernitanum archiepiſcopatum, quem adhuc animo retinebat, tanquam deſperatam provinciam, & infrugiferum ſolum anno MDXXXIII. dimiſit, fivitque, ut eo Nicolaus Rodulphus Cardinalis potiretur, a quo opulentam S. Crucis Fontis Avellanae abbatiam, probante Pontifice, obtinuit. Hoc inſuper pingui ſacerdotio auctus, uberius potuit ſublevandae pauperum inopiae, quod potiſſimum ejus ſtudium erat, incumbere. En quid de eo ſcriptum reliquerit monachus quidam anonymus in

(a) *P. Bembi ep. familiar. lib. IV. 24. 25.*

in brevi commentariolo *de origine monaſterii S. Crucis Fontis Avellanae*, quem manu exaratum penes me habeo: *Eſt*, inquit, *in terris Federicus religionis ſpeculum, pater omnium pauperum, omnium miſerabilium perſonarum unicum refugium, qui (pace omnium dictum ſit) plus erogat pauperibus, quam omnes epiſcopi totius Italiae*. Haec anonymus ille, qui ſuam ſcriptiunculam abſolvit anno MDXXXVI. Quam autem magno eſſet animo Federicus, ſumptuoſa villa oſtendit epiſcopatus Eugubini, quae Alfiolanae abbatiae ſuccrevit. Eam enim a Federico exſtructam, hoc eſt, ut interpretor, magnificentius refectam, & ampliatam, lapis ibi ab Alexandro Sperello inſequenti ſeculo poſitus declarat.

II. Sunt alia ejus munificentiae monumenta, ejus enim impenſa cathedralis eccleſiae pavimentum, quod antiquitate corruptum erat, decenter ſtratum eſt. In eo ſibi ſepulcrum conſtruxit ex marmore, in quo ſui ſimulacrum manu librum tenentis exprimi voluit. Gradus etiam ejus templi refecit, quibus ad presbyterium aſcenditur. Eſt quoque ab eo a fundamentis reſtaurata eccleſia fratrum Servorum; nec minor ejus beneficentia erga religioſiſſimos S. Secundi canonicos, quibus redditus eccleſiae S. Aegidii de Collepalumbo attribuit. Nec dubito, quin, eo curante, cathedrali eccleſiae parochialis eccleſia S. Mariae de Padechia conjuncta ſit, quod ex Angelini ſchedis accidiſſe novi, anno MDXXXIV. III. non. Jul.

III. Sed novus, idemque cumulatiſſimus dignitatis gradus Federico additus, cum a Paulo III. in Cardinalium ordinem cooptatus eſt anno MDXXXIX. XIV. kal. Jan. (a) quam dignitatem contra votum, & Pontificis juſſu coactus admiſiſſe dicitur. Cardinalis creatus de epiſcopatu abdicando cogitavit; ſed eum tamen retinuit ad annum uſque MDXLI., quo anno apud Eugubinos deceſſit XI. cal. Aug. atque in aede principe tumulatus eſt, ſecus ac aliis viſum, qui eum dicunt in eccleſia S. Crucis ſepultum. Civitatem Eugubinam grati animi ergo mauſoleum e marmore, cum ſuperpoſita effigie, Federico erexiſſe legimus in auctariis ad Ciacconii Cardinales, ubi ſplendidum eſt hujus viri ampliſſimi elogium; ſed ſepulcrum ipſe ſibi vivus excitavit, ut ante dictum eſt. Eccleſiam Eugubinam ab anno MDVIII. ad annum MDXXXIII. tanquam adminiſtrator tenuit, inde vero ad annum MDXLI., quo ex hac vita migravit, tanquam epiſcopus ſapientiſſime rexit. Plura ſi quis cupiat de hoc viro ſummo, adeat memorata ad Ciacconium auctaria, ſcriptoreſque plurimos, qui res ejus

(a) *P. Bemb. vol. I. lib. IV. ep. ad F. Fregoſ. Vid. & ep. omnes l. V. quae ad Fregoſum pertinent.*

geſtas literis commendarunt, ex quibus intelliget, pietate etiam, ac literis eum fuiſſe illuſtrem. Et ſane quod ad literas pertinet, ſi verus, ac legitimus ejus foetus eſt, praelonga illa, & elegantiſſima epiſtola in Bembi dialogo de Guido Ubaldo, & Eliſabetha Urbini ducibus inſerta, qua de re dubitandum non cenſeo, eſt id luculentiſſimum ejus eloquentiae, ac doctrinae argumentum. Lazarellus eum tradit literis Hebraicis, Grecis, & Latinis fuiſſe eruditum.

IV. Eſt autem ex rebus ab eo geſtis id maxime commemorandum, quod anno MDXVI. cum piratae ex Africa multis navibus mare Thyrrenum infeſtum haberent, & poſt vaſtatam oram maritimam Liguriae, ditionis Pontificiae littora ſpectare viderentur, cum Pontifice egit, ut claſſem ad eos profligandos inſtrueret, (a) cui & ipſe praefuit, & piratas magno auſu inſecutus, cum iis feliciſſime pugnavit.

V. Ad rem vero Eugubinam quod attinet Federici temporibus, & eo etiam, ut opinor, agente, canonici eccleſiae cathedralis ex regularibus ſeculares facti ſunt, ſinente Leone X., qui ea de re ſatis prolixum diploma dedit, quod hic habes:

Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Conſtitutus in ſpecula, &c. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Franciſci Marie de Ruvere ducis Urbini, & civitatis Eugubine in temporalibus domini, ac communitatis dicte civitatis, necnon capituli eccleſie Eugubine ordinis S. Auguſtini nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet dicta eccleſia ejuſdem ordinis canonicorum regularium, & in ea unus prioratus inibi dignitas major poſt pontificalem, & duodecim canonici, ex quibus eſt ipſe prior, dictum ordinem expreſſe profeſſi exiſtant, prioratum, & canonicales portiones inibi obtinentes, & percipientes tam prior, & canonici non ſub eodem tecto, & in communi, prout convenit perſonis regularibus, ſed ſeparatim, & in domibus extra clauſtrum dicte eccleſie exiſtentibus reſident, & habitant, Regulam ejuſdem D. Auguſtini non obſervant, ſed ut presbyteri, ſeu clerici ſeculares ſeculariter vivunt, adeo ut parum etiam in abitu veſtium a clericis ſecularibus differant, & proprium in particulari habent, ex quo eorum modus ſic vivendi potius ad perniciem, ſeu periculum animarum tam ſuarum, quam aliorum Chriſtifidelium cedit. Et quia ipſa eccleſia regularis ſaltem nomine, ut prefertur, exiſtit, pauci reperiuntur docti, & periti, quorum doctrina ipſa eccleſia in ſuis juribus conſervari poſſit, imo potius, niſi de ſalubri remedio provideatur, in dies ad deteriora deveniat, cum non ſit ſpes veriſimilis

(a) *Vid. epiſt. P. Bembi nom. Leonis X. 8. 9. 10. 11. 12. 13. lib. I., & 17. lib. XIII.*

milis ea ſtante in ſtatu regulari hujuſmodi poſſe in premiſſis ſalubriter provideri, verum ſi dictus ordo, & modus, ſtatus, & dependentia regularis in ipſa eccleſia penitus ſupprimerentur, & exſtinguerentur, ipſaque eccleſia & illius regulares perſone ad ſtatum ſecularem, ſeu canonicorum ſecularium reducerentur, profecto feliciori ſtatui, & ſucceſſui eccleſiae, & illius perſonarum predictarum ſalubriter provideretur. Quare pro parte Franciſci Marie, qui & alme urbis preſectus, & gentium armigerarum ad ſtipendia Sancte Romane Eccleſie militantium capitaneus generalis exiſtit, ac capituli, & civitatis predictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicta eccleſia ordinem, & omnem ſtatum, & dependentiam regularem hujuſmodi penitus, & omnino ſupprimere, & extinguere, ipſumque ſtatum regularem ad ſtatum canonicorum, & clericorum ſecularium immutare, & ad hujuſmodi ſtatum clericorum ſecularium reducere, ita quod de cetero prior, & ſinguli canonici predicti non regulares, ſed ſeculares exiſtant, & in omnibus ut clerici ſeculares, tribus tamen votis ſubſtantialibus per eos emiſſis firmis remanentibus, tam in abitu, quod divinorum celebratione officiorum vivere, & incedere, ac almutias ad inſtar aliorum canonicorum aliarum cathedralium ſecularium deferre poſſint; quodque dictus prioratus de cetero prepoſitura nuncupetur, & illum, ſeu illam nunc, & pro tempore obtinens eoſdem in canonicos dicte eccleſiae nunc, & pro tempore exiſtentes juriſdictionem, poteſtatem, ſuperioritatem, & adminiſtrationem eorumdem ſpiritualium, & temporalium authoritatem, & facultatem omnino retineat quatenus habet, gerit, & tenet ad preſens modernus prior, qui prior de cetero canonicus ejuſdem eccleſie exiſtat, & eſſe debeat prout nunc eſt, eoſque, & ſingulos fructus, redditus, & proventus ex dicte menſe capitularis bonis, que nunc in communi poſſidentur, & que per ceſſum, & deceſſum dictorum modernorum canonicorum, qui aliqua ex eiſdem bonis in adminiſtratione pro veſtibus, & aliis ſuis neceſſitatibus, de modernis, & qui pro tempore fuerit ejuſdem eccleſie prioris, ſeu prepoſiti licentia, tenent, & poſſident, ad eandem eccleſiam redibunt pro tempore provenientes, detracta ex eis aliqua ipſorum prioris, ſeu prepoſiti, & capituli arbitrio moderanda quantitate pro ſubſtentatione fabrice, & ſacriſtie dicte eccleſie in tredecim equales portiones dividantur, quarum duas dictus modernus, & qui pro tempore fuerit, prior, ſeu prepoſitus, & canonicus, & unam quilibet ex reliquis dictis canonicis, qui undecim ſunt, in quotidianis diſtributionibus dumtaxat dum in eadem eccleſia interfuerint divinis per totum anni circulum parriendi pro eorum prebendis canonicalibus annuatim percipiant. Qui vero ex dictis priore, ſeu prepoſito, & canonicis pro tempore exiſtentibus a divinis hujuſmodi pro tempore abfuerint, ex ſuarum portionum parte.

que ipſis, ſi eiſdem divinis inibi intereſſent, contingeret, privati exiſtant, illeque ceteris eiſdem divinis intereſſentibus eo ipſo accreſcant, dictique prioratus, ſeu prepoſitura, canonicatus, & prebende electivi exiſtant, & electorum confirmatio ad ven: fratrem noſtrum Federicum Archiepiſcopum Salernitanum ejuſdem eccleſie Eugubine adminiſtratorem in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus per ſedem apoſtolicam deputatum, & Epiſcopum Eugubinum pro tempore exiſtentem pertineat, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Franciſcum ducem, capitulum, & communitatem, & illorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant ad effectum preſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati ordinem, ſtatum, & dependentiam regulares in eccleſia Eugubii hujuſmodi auctoritate apoſtolica, & ex certa ſcientia tenore preſentium penitus, & omnino ſupprimimus ipſam eccleſiam, & illius perſonas regulares ac ſtatum regularem hujuſmodi ad ſtatum ſecularem, ſeu canonicorum, & clericorum ſecularium reducimus; ita ut de cetero prior, & ſinguli canonici predicti non regulares, ſed ſeculares exiſtant, & in omnibus ut clerici ſeculares; tribus tamen votis ſubſtantialibus per eos emiſſis firmis remanentibus, tam in habitu, quam divinorum celebratione vivere, & incedere, ac almutias ad inſtar aliorum canonicorum eccleſiarum cathedralium ſecularium deferre poſſint, &c.

Pergit Pontifex ſingula nominatim ſtatuere, ac decernere, prout continentur in petitione ducis Urbini & Eugubinorum, quæ ſupra inſerta eſt. Tum antiqua eccleſiae Eugubinae privilegia, & immunitates confirmat, ejuſque canonicos vult iiſdem privilegiis, atque immunitatibus frui, quibus ceterarum eccleſiarum canonici ſeculares jure, uſuve fruuntur, aut fruentur in poſterum. Denique Federico Archiepiſcopo, quod in ea mutatione omnino neceſſe erat, facultatem facit condendi decreta & ſtatuta pro felici ſtatu & ſalubri inſtitutione eccleſiae Eugubinae, eademque rurſum immutandi, & corrigendi prout temporum ratio requirere viſa fuiſſet.

Ughellus hoc diploma ita mutilum, & deformatum dedit, ut inanis verborum congeries rectam nullam ſententiam contineat. Id in cauſa fuit, cur hic ex autographo exſcriptum recudendum putaverim; haec enim epocha immutatae canonicorum regularium Eugubinorum diſciplinae ſatis memorabilis eſt, & cognitu digna. Neque vero tam indecorum eccleſiae Eugubinae eſſe judico, quod ejus canonici a priſtino

ſtino inſtituto deſciverint, quam glorioſum, quod in eo tandiu perſeveraverint; nam multo ante apud noſtrates canonicos eccleſiarum cathedralium illa vetus diſciplina obloleverat. Sed paulo ante, quam canonici eccleſiae Eugubinae regulares eſſe deſierunt, quaſi ad ſarciendam eorum jacturam, novum, curantibus Urbini ducibus, collegium Canonicorum Regularium Lateranenſium in monte S. Ubaldi a Julio II. inſtitutum eſt anno MDXII., quod ibi ad hanc uſque diem perſtat, & S. Ubaldi, cujus lacrum corpus eo loci conditum eſt, cultum, religionemque diligenter curat (a).

Sunt haec etiam ex eorum temporum monumentis poſteritati commendanda, quod anno MDX. extremum diem obierit ſanctimonialis pientiſſima, in parthenone S. Spiritus, Felix de S. Gratali, quam Eugubini beatam vulgo appellant: quodque triennio poſt, anno ſcilicet MDXIII. xv. cal. Majas Archangelus item Cannetolus, ex primis alumnis congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris, qui diu apud Eugubinos floruerat in eremo divi Ambroſii, in Caſtilione Aretino obierit, vir ſanctitatis fama illuſtris, cui nuper publici honores decreti ſunt a Pontifice, ut alio loco diximus.

LIV.

PETRUS BEMBUS.

Poſt deceſſum Cardinalis Fregoſii epiſcopatum Eugubinum Petrus Bembus obtinuit iv. cal Aug. eo ipſo anno MDXLI. quo Fregoſius obierat. Ughellus non inſcite ſcripſit, Bembum hanc eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepiſſe, potius quam Eugubinum epiſcopum eſſe creatum. Sic enim fere mos erat per illud tempus, ut eccleſiae Romanae Cardinales epiſcopatus vacantes acciperent, ut ex eorum redditibus haberent, quo ampliſſimam dignitatem Cardinalitiam decore ſuſtinerent. Itaque epiſcopatus ipſos, ut plurimum abſentes, adminiſtrabant, magno eccleſiarum detrimento, quod poſtea per Concilium Tridentinum ſublatum eſt. Sed Bembus epiſcopatus Eugubini poſſeſſionem per procuratorem injit prid. id. Aug. eo anno, quem diximus, ac biennio poſt Fugubium venit, anno ſcilicet MDXLIII. iii. id. Nov. ac prid. id. ingenti pompa, & magnifico apparatu, quaſi in triumphantis modum, civitatem eſt ingreſſus. Non diu tamen apud eccleſiam ſuam fuit, quam paulo poſt abdicavit, ad Bergomatem multo

(a) *Vid. V. Arman. ep. ad Horatium Perotium l. III. pag. 465.*

to opulentiorem, inſequenti anno, ſub menſis Martii initium translatus. Vidimus ejus literas ineditas poſt ſuſceptum epiſcopatum Eugubinum ſcriptas, ex quibus cura ſe eum conſtat, ut optimus eligeretur magiſter ad clericos ejus eccleſiae alumnos in literis erudiendos. Atque id unum commemorare juvat de ejus rebus apud Eugubinos geſtis; nam quaedam de illo querelas Eugubinorum lubens praetereo, nec verbum addo de hoc viro ſummo, quem alii uberrime laudarunt.

LV.

MARCELLUS CERVINUS.

I. Dimiſſus a Petro Bembo epiſcopatus Eugubinus Marcello Cervino collatus eſt a Paulo III., qui Marcellum Pontificia gratia digniſſimum, magnis beneficiis ornatum, & Cardinalem S. Crucis in Jeruſalem creatum, ſummopere diligebat. Obtinuerat ante Marcellus ab eodem Pontifice epiſcopatum Neocaſtrenſem, quo dimiſſo, eccleſiam Regii Lepidi in Aemilia, atque ea etiam relicta, Eugubinam adeptus eſt anno MDXLIV. prid. cal. Mar., cumque epiſcopatus poſſeſſionem XIII. cal. Jun. per procuratorem iniiſſet (a) XIII. cal. Jan. Eugubium venit omnium votis expetitus, & majore quam dici poſſit totius civitatis laetitia exceptus. Erat enimveto notiſſima viri virtus, conſtabatque inter omnes neminem unum eſſe aetate illa, qui majore ſtudio teneretur tuendae, & amplificandae chriſtianae religionis. Itaque vix adeptus eccleſiam Eugubinam, de ea optime mereri inſtituit. Primum ejus factum praedicatur, quod ad tollenda parochorum diſſidia parae cias, quae antea per capita, & familias tributae erant, certis limitibus terminavit, ac regionibus definivit, adhibitis ad eam rem cognoſcendam quatuor viris peritiſſimis, quos publico ſenatus decreto electos voluit. Id porro perfectum ab eo eſt anno MDXLV. intra Januarium menſem, paucis nimirum diebus poſtquam Eugubium venerat. Fuit autem haec Eugubinae eccleſiae non modica felicitas, quod vir ſummus, qui ex duobus epiſcopatibus, quos antea obtinuerat, alterum nunquam adierat, in altero vix nocte una conquieverat (b); curis gravioribus vacuus in ea adminiſtranda, aliquando operam ſuam praeſens impendere potuerit. Quod quidem quam diligenter, quantaque cum utilitate gregis ſui ab eo ſit factum, nar-

(a) *Ex catalog. apud Angelin. & Franciarin.* (b) *Pollidor. vit. Marcel. II. cap. XXXIV. pag.* 102.

narrat abunde V. Cl. Petrus Pollidorius, qui de ejus vita egregium commentarium nuper edidit. Compertum eſt autem ſic a Marcello per id tempus vigilantiſſimi epiſcopi partes eſſe impletas, ut literis non minimam curarum ſuarum partem tribuerit. Auctor eſt enim Pollidorius (a), Marcellum, cum audiviſſet inſignem manu-ſcriptorum codicum ſuppellectilem in monaſterio S. Crucis Fontis Avellanae aſſervari, eo conceſſiſſe, atque ex iis codicibus multa ſibi exſcribenda curaſſe, quae, poſt ejus obitum, ad Cardinalem Sirletum translata, doctiſſimo annalium eccleſiaſticorum conditori Caeſari Baronio magno uſui fuerunt.

II. Sed virum maximis rebus gerendis natum, unius epiſcopatus procuratione occupari aequum non erat. Itaque cum Paulo III. placuiſſet ad ſublevandam chriſtianam rempublicam, graviter per id tempus a novis haereticis turbatam, Tridenti concilium generale celebrari, Marcellus electus eſt, qui Pontificis ipſius nomine una cum Joanne Maria de Monte, & Reginaldo Polo S. R. E. Cardinalibus ei concilio praeeſſet. Eo igitur profectus eſt Marcellus, & nondum elapſo eo ipſo anno MDXLV. concilium celebrari ceptum eſt. Verum nihil attinet dicere in eo munere obeundo quos labores tulerit vir ſummus, quae ejus ſapientia, quae fortitudo animi fuerit; haec enim & alii ſcriptores paſſim, & omnium copioſiſſime tum Pallavicinus Cardinalis in hiſtoria Concilii Tridentini, tum nuperrime laudatus Pollidorius explicarunt.

III. Poſtmodum concilio Bononiam translato, & mox etiam intermiſſo, in graviſſimis negotiis a Paulo III. adhibitus eſt, nec admodum diu apud eccleſiam ſuam eſſe potuit. Sed ubi Paulus moriens vacuam Petri ſedem Julio III. reliquit, Marcellus aliquanto liberius, & commodius, nec animo ſolum, ut ſemper ſolebat, ſed ſaepe etiam corpore praeſens eccleſiam ſuam adminiſtravit, a qua aegre admodum ſe divelli patiebatur. Habemus ejus rei teſtimonium in ejus epiſtola Eugubio ſcripta ad Julium III. IV. non. Sep. an. MDLIII. Eſt ea epiſtola tanto viro digniſſima; Romam enim a Julio accitus, ſibi permoleſtum eſſe ſcribit eccleſiam ſuam deſerere, nec ſatis apud ſe valere aliorum exempla, quae per eos dies frequentiora erant. Edita eſt haec epiſtola libro primo epiſtolarum ad principes (b), atque eam hic commemorare placuit, quod Pollidorii diligentiam fugiſſe videtur, non ſecus atque altera ad Julium III. ab eo ſcripta VII. cal. Jun. anno. MDL. ex conventu S. Mariae de Populo, cum eſſet jam

jam

(a) *Ibid. cap. XXI. pag.* 51. (b) *Pag.* 165.

jam ex Urbe diſcelsurus, quae edita eſt libro primo epiſtolarum ad principes (a). Hanc quoque non fruſtra vidiſset Pollidorius.

IV. Mortuo Julio III. in ejus locum electus eſt Marcellus anno MDLV. nec dici ſat verbis poteſt, quam jucunda non Eugubinis ſolum, ſed univerſae chriſtianae reipublicae ea electio acciderit; eo enim Pontifice, rem chriſtianam miſerandum in modum per eos dies afflictam erigi, & feliciter componi poſse omnium opinio erat. Sed tantam ſpem, atque laetitiam ſubitus Marcelli interitus extinxit. Quinto enim idus Aprilis Pontifex creatus, ea nocte, quae kalendas Majas praeceſſit, finem vivendi fecit, cum vix duos, & viginti dies in Pontificatu egiſset, nec ſucceſsorem ſibi adhuc in epiſcopatu Eugubino creaſset. Sunt adhuc ejus munificentiae monumenta apud Eugubinos. Tale eſt eccleſiae cathedralis organum ab excellenti artifice Reginaldo Leſlchio Grandio, presbytero Belga, inceptum, qui anno MDXLIX. morte ſublatus, opus alteri abſolvendum reliquit. Eſt in ejus fronte grandibus literis inſcriptum: MARCELLI CERVINI LIBERALITATE. Reſtat etiam aliquid pretiolae ſupellectilis eccleſiae cathedrali a Marcello donatae, cujuſmodi eſt epiſcopalis mitra auro gravis, cujus extremae vittae in lamellis argenteis inſcriptum habent: MARCELLI CERVINI CARDINALIS S. CRUCIS BENEFICIO. Sed illud imprimis commemorandum, quod ipſum cathedrale templum vetuſtate deturpatum reſtituit, ornavitque. Nam quod ſcribit Lazarellus, illud templum a Marcello amplificatum, non arbitror eſse verum, antiquiſſimo enim templo, quid a Marcello adjunctum ſit, non video. Sed neque ejus marmorei ſimulacri, quod Pollidorius ſcriptum reliquit Marcello ab Eugubinis conſtitutum fuiſse, ullum indicium reperire licuit, nec ejuſmodi ſtatuam uſquam apud Eugubinos fuiſse puto.

V. Praefuit Marcellus eccleſiae Eugubinae annis XI., & cum ante Neocaſtrenſem, tum Regienſem epiſcopatum geſſiſset, tamen epiſcopali ordine non erat inſignitus. Conſtat enim eum else inauguratum epiſcopum, poſtquam in Pontificem Romanum electus eſt (b). Ita per id tempus Cardinales aliqui ſolebant epiſcopatus adminiſtrandos ſuſcipere, quin epiſcopalem ordinationem acciperent: adeo eorum temporum mores ex noſtris aeſtimare non licet. Sed quod in aliis fortaſse reprehendi poterat, in Marcello laudandum fuit, quippe qui vel modeſtiae, vel chriſtianae humilitatis ſtudio, aut alia certe aequiſſima ex cauſa, ut de homine innocentiſſimo interpretari oportet, epi-

(a) *Pag.* 161. (b) *Vid. epiſt. de elect. Marcell. II. lib. III. epiſtolarum ad principes pag.* 166.

epiſcopalem ordinem declinavit, epiſcopales tamen labores ſtrenuiſſime geſſit. Quare eum ferunt dicere conſueviſſe, epiſcopale onus, & miniſterium, non autem dignitatem, & ſacerdotii amplitudinem ab ſe eſſe ſuceptam.

LVI.

JACOBUS SABELLUS.

Hic vir ampliſſimus, quem Paulus III. Cardinalem creavit, & alii Pontifices, qui poſtea fuerunt cum honorificentiſſimis muneribus ornarunt, tum opulentis ditarunt ſacerdotiis, copiose laudatur in auctariis ad Ciacconium. Geſſerat is primum epiſcopatum Aprutinum, & Neocaſtrenſem. Eugubinum vero a Paulo IV. accepit IV. kal. Jun. anno MDLV. quem Mariano fratri ceſſit ad Beneventanum archiepiſcopatum translatus anno MDLX., ſi attendenda eſt emendatio in nuperrima Ughelli editione ad libri marginem adjecta; nam & in auctariis ad Ciacconium, & in priore Italiae ſacrae editione id anno MDLXI. accidiſſe legimus, quem annum habent etiam aliqui ex catalogis antiſtitum Eugubinorum manu exarati, quos olim apud Angelinum, & Franciarinum me vidiſſe memini.

LVII.

MARIANUS SABELLUS.

I. Jacobi Sabelli Cardinalis frater Marianus Sabellus ex Neocaſtrenſi Epiſcopo Eugubinus creatus eſt anno MDLXI. ſeu anno MDLX. ſi attendenda eſt emendatio, quam pariter videre eſt hoc loco, ad Ughelli marginem adjectam. Lucentius id accidiſſe narrat anno MDLXVI. quod typothetarum errori tribuendum puto. Ad eccleſiam ſuam venit IX. kal. Aug. anno MDLXI poſtquam cum Jacobo fratre in abbatia Aſſiolana tantiſper conſediſſet. Vix dum epiſcopatum aſſecutus profectus eſt ad concilium Tridentinum, quod per eos dies Pius IV. abſolvendum decreverat, ne ejus expectatione chriſtianam rempublicam amplius fatigaret. Poſt illud tempus id primum, ac praecipuum ejus ſtudium fuit, ut quae in concilio decreta fuerant ad mores chriſtifidelium, & cleri imprimis componendos, ea ſuo gregi adamuſſim obſervanda proponeret. Hinc ſynodum non ſemel celebravit, pluraque decreta edidit ad cleri ſui uſum accommodata.

Eorum non minimam partem vernacula lingua ſcriptam, ſingulari libro collectam habemus, qui Peruſii editus eſt anno MDLXXIV. ita inſcriptus: *Edicta in dioeceſi Eugubina promulgata, quae clerus in promptu habere debet ad majores abuſus, & corruptelas extirpandas*. Sunt haec decreta numero ſeptem, & ſeptuaginta, quorum primum editum eſt an. MDLXVIII III. non. Feb. poſtremum prid. id. Jun. an. MDLXXIV. Elucet in iis Mariani prudentia, & vigilantia paſtoralis, cujus etiam illuſtre ſpecimen exhibuit in reformandis confraternitatibus, quae plures ſunt in ea civitate. Uſus eſt in ea re perficienda Joſephi Battazzii opera, canonici regularis ex collegio divi Secundi, cui etiam debent Eugubini inſtitutionem ſpiritualis exercitii, quod ſingulis feriis ſextis per eos dies in eccleſia S. Crucis agi ceptum eſt.

II. Ulque ad haec Mariani Sabelli tempora eccleſia Eugubina uni Romano Pontifici ſubjecta fuit. At Pius IV., poſtulante duce Urbinatium, cum Urbinatem eccleſiam metropolitica dignitate ornaſſet, novamque provinciam eccleſiaſticam inſtituiſſet, in ea comprehendi voluit eccleſiam Eugubinam, a provincia Romana avulſam. Sed Marianus tamen ei ſubjectioni obſtitit, nec Pius invitum voluit priſtina libertate ſpoliari, qua de re dictum eſt ſatis in diſſertatione praevia (a). Interea cum Archiepiſcopus Urbinas primam provincialem ſynodum anno MDLXVIII. convocaſſet, ei per procuratorem interfuit Marianus, non quod jus ullum Urbinati Archiepiſcopo in eccleſiam Eugubinam eſſe putaret, ſed quod Urbinatem metropolim pro ſynodis provincialibus, juxta Tridentini concilii decreta, elegiſſet. Ita publice per procuratorem ſuum in ea ſynodo profeſſus eſt.

III. Obiit Marianus Sabellus XIII. kal. Octob. anno MDXCIX. poſt annos, ut minimum octo & triginta, in epiſcopatu tranſactos. Raynaldus Repoſatus mihi auctor eſt eum obiiſſe III. kal. Octob., dies nimirum decem poſt eum diem, quem ſcribit Ughellus, & quidem in villa Alfiolana, non autem Eugubii. Sed Lazarellus, qui cum Mariano vixit, narratque ejus vitam virtutibus conſpicuam ab ſe ſcriptam, & Julio Cardinali Sabello miſſam, cum Ughello conſentit. Adeone ergo dormitarit ſemper Lazarellus, ut erraverit etiam in die obitus ejus Epiſcopi conſignando, cujus ipſe vitam ſcripſerit? Quieſcit Mariani corpus in cathedrali eccleſia Eugubina.

IV. Hujus optimi Epiſcopi temporibus conſtrui coeptum eſt Boni Jeſu monaſterium pro ſanctimonialibus, quas Capuccinas vocant, ſub prima & auſteriſſima divae Clarae regula extra eam civita-

tis

(a) *Cap. VI.*

tis portam, quae antiquitus ex pontis marmorei nomine dicebatur, atque ad eum locum, ubi olim divi Donati moniales incoluerunt. Ejus religioſiſſimi parthenonis initia ad annum MDLXI referuntur, quo anno IV. kal. Julii ſeptem, & viginti puellae Eugubinae eodem pietatis, ac ſeverioris vitae ſtudio incenſae novum illud ſanctitatis domicilium ingreſſae ſunt. Novae plantationi excollendae duae ejuſdem inſtituti ſanctimoniales adhibitae ſunt ex Peruſino monaſterio eductae, ex quo ſcilicet monaſterio quatuor ſimiliter poſt aliquot annos accivit ſanctiſſimus Mediolanenſis eccleſiae paſtor Carolus Borromaeus ad illud inſtitutum apud Mediolanenſes propagandum (a). Sexennio poſt, cum jam ad tricenarium numerum excreviſſent, profeſſionem ſolemnem coram Mariano Epiſcopo ediderunt. Atque initio quidem fratres Capuccinos moderatores habuerunt. Poſt autem earum regendarum curam omnem ſuſcepit epiſcopus. Floret ibi adhuc ut cum maxime ſanctiſſimi inſtituti diſciplina, ut merito, cum inter antiquiora, vix enim unum & alterum eſt eo antiquius, tum inter illuſtriora Capuccinorum monaſteria computandum ſit. Plures in eo virgines vixere inſigni ſanctitatis opinione ſpectatiſſimae, ex quibus aliquot in diſſertatione praevia commemoravimus.

V. Protulit Ughellus praelongum diploma Gregorii XIII. quo cavetur ne quis inter canonicos eccleſiae Eugubinae cooptetur, qui civis Eugubinus non ſit. Datum eſt anno MDLXXII VII. kal. Dec. quod hic recudere inani opera non vacat.

LVIII.

ANDREAS SORBOLONGUS.

Et avita nobilitate, & doctrina illuſtris Andreas Sorbolongus Foroſempronienſis, ex utriuſque ſignaturae referendario, & viſitationis apoſtolicae ſecretario, epiſcopus Eugubinus creatus eſt a Clemente VIII. anno MDC. XVIII. kal. Aprilis. Diligens Italiae ſacrae editor Coletus multa de viris illuſtribus e familia Sorbolonga attexuit ex Mandoſio; at nihil plane de ejus rebus in epiſcopatu geſtis, quare hic a nobis ſupplendus eſt. Andreas igitur epiſcopatum adeptus initio ſtatim oſtendit, quod ejus ſtudium eſſet recte adminiſtrandae eccleſiae ſuae; anno enim ab ejus inauguratione nondum elapſo, primam ſynodum dioeceſanam celebravit, in qua non prolixas illas quidem, ſed

(a) *Giuſſan. vit. s. Carol. l. V. c. VIII.*

utiliſſimas tamen conſtitutiones edidit, quae hunc titulum habent: *Proviſiones nonnullae decretae, & promulgatae in ſynodo dioeceſana, quam perilluſtris, & reverendiſſimus Andreas Sorbolongus Epiſcopus Eugubinus celebravit Eugubii die* XV. *Maii MDCI. ad uſum parochorum, & totius cleri Eugubinae dioeceſis*. Earum exemplar mſs. eſt apud virum eruditum Raynaldum Repolatum, quem ſaepe alias cum laude nominavi. Sunt apud eundem conſtitutiones ſynodales, aliae ms. Andreae Sorbolonghi anno MDCII. editae, ita inſcriptae: *Decreta perilluſtris, ac reverendiſſimi dñi D. Andreae Sorbolongbi epiſcopi Eugubini die* XIV. *Maii in dioeceſana ſynodo promulgata*. Plura quoque ſunt ab eo laudabiliter inſtituta ad pietatem fovendam, augendamque in ſuo grege religionem aptiſſima. Is enim primus in ea civitate ſolemnem quadraginta horarum, quam vocant, orationem, extremis tribus bacchanalium diebus habendam, indixit. Primus etiam piorum hominum ſodalitium inſtituit, quorum munus eſset Euchariſtici Sacramenti cultum, religionemque curare. Ad haec certos homines probatiſſimae vitae, notaeque virtutis delegit, qui ſacrae cathecheſi rite habendae praeeſſent, atque duo haec praeclara inſtituta in pientiſſima civitate non modo vigent adhuc, ſed magnopere florent. At nihil eſt, quod magis ejus vigilantiam comprobet, quam quod ſtatim poſt epiſcopatum ſuſceptum de exſtruendo ſeminario, atque educandis clericis cogitare coepit, quod ab eo poſt aliquot annos feliciter perfectum eſt. Pro iis quoque feminis, quae a turpi vita ad bonam frugem rediiſsent, domicilium inſtruxit ad divi Blaſii, loco cedentibus monachis Coeleſtinis (a). Moniales vero fere omnes ſuae civitatis, & dioeceſis perpetuae clauſurae lege ex Tridentini praeſcripto adſtrinxit. In hunc modum cum eccleſiam Eugubinam ſexdecim amplius annos rexiſset, in abbatia Anfiolana, quo ſe valetudinis cauſa contulerat, extremum diem obiit idibus Aprilis anno MDCXVI. Corpus ejus, in urbem delatum in cathedrali aede, cui ipſe donaria multa magni pretii, auguſtamque ſupellectilem contulerat, Eugubinis non ſine lacrimis funus optimi paſtoris proſequentibus, humatum eſt.

LIX.

ALEXANDER DE MONTE.

Nobilis in primis erat apud Piſaurenſes familia, quae ex avita poſſeſſio-

(a) *Ex Cantalmaii ſchedis in archiv. Arman. faſcic.* C.

ſione caſtri Montis S. Mariae cognomen duxit, & a Franciſco Maria I. Metaurenſium duce comitatu oppidi Montis Birotii in agro Piſaurenſi inſignita fuit. Ex ea natus eſt Alexander Guidobaldi marchionis filius, Franciſci Mariae Cardinalis de Monte nepos, an. MDCXVI. xv. kal. Aug. Eugubinorum epiſcopus creatus. Venit is Eugubium xviii. kal. Jan. ac xv. kal. poſſeſſionem epiſcopatus inivit. Ex ejus geſtis haec a Lazarello memorantur, quod Cappuccinatum monaſterium amplificaverit, quodve moniales S. Eliſabeth, eaſque praeterea, quas Convertitas vocant, quibus Andreas Sorbolongus praeceſſor domicilium exſtruxerat apud Eugubinos, tum moniales S. Margaritae, quae vulgo *Biſocche* dicebantur, apud Pergulanos perpetuae recluſionis lege ab ſe adſtrictas ad canonicam profeſſionem admiſerit. Cum annis fere duodecim eccleſiam Eugubinam rexiſſet, obiit Romae vel idibus Junii, ut Lazarello placet, vel pridie idus, ut Ughello, atque apud Auguſtinianos in eccleſia S. Mariae de Populo tumulatus eſt. In libris parochialibus ejus eccleſiae haec de Alexandro leguntur ad diem xiv. Junii ann. MDCXXVIII. *Sepultus fuit in noſtra eccleſia illuſtriſſimus D. Alexander de Monte epiſcopus Gubii aetatis ſuae anno circiter LVII. Habitabat in noſtra curia in via Avantagiorum. Sepultus fuit per modum depoſiti prope capellam S. Auguſtini in pavimento, locuſque conceſſus fuit per unum annum & non ultra.* Haec ibi. Utrum autem inde translata fuerint ejus oſsa incompertum eſt.

LX.

PETRUS CARPINEUS.

Parentes habuit Petrus Carpineus Thomam Carpinei comitem in Monteferetro, & Victoriam Landrianam, a quibus optime educatus, ſub egregiis magiſtris liberales diſciplinas, atque imprimis juriſprudentiam magnopere coluit. Non admodum grandis natu Romam profectus eſt, ubi inter utriuſque Signaturae Referendarios adſcriptus, multas ditionis Pontificiae civitates, & Firmanam provinciam pro ſede apoſtolica gubernaſſe dicitur. Inde ad cathedram Eugubinam evectus eſt anno MDCXXVIII. iii. id. Dec. Inſequenti anno Romae conſecratus eſt poſtridie kal. Mart. atque anno MDCXXX. xiii. kal. Jun. cum vix menſes ſeptemdecim ſediſſet, morte immatura ſublatus eſt, & in cathedrali aede ſepultus. Ejus ſepulcrum ornavit Uldericus frater, in epiſcopatu ſucceſſor. Cernere eſt ibi in grandi marmore ſceleton, uſitatum mortis ſymbolum, manu geſtans parmam cum inſignibus gentis Carpineae, ad cujus pedes haec inſcriptio legitur: D.

D . O . M
Petro . Ex . Comitibus . Carpineis
Epiſcopo . Eugubino
Notae . Virtutis
Et . ſummae . expectationis . praeſuli
Acerbo . funere
Majoribus . dignitatibus . erepto
Uldericus . epiſcopus . Albanenſis
S . R . E . Cardinalis . Carpineus
Fratri . moerens . poſuit
Obiit . quadragenario . major
XIX . *Junii MDCXXX.*

Lazarellus, cum nihil occurreret, quo hujus epiſcopi geſta extolleret, genus ejus ſic laudat, ut Carpineam familiam dicat circa annum CDLXX. cum Odoacre Herulorum rege in Italiam veniſſe. Sed hoc putidae laudationis genus, vel eos ipſos, qui laudantur, offendit.

LXI.

ULDERICUS CARPINEUS.

Petri frater Uldericus, natu minor, anno MDXCV. in lucem editus eſt VIII. cal. Jun. nec diſſimilem nactus educationem, quam quae fratris fuerat, in iiſdem etiam diſciplinis eruditus eſt. Clericali militiae adſcriptus abbas commendatarius S. Mariae Mutini in Monteferetro renunciatus eſt a Gregorio XV. Poſtmodum inter aulicos honorarios fuit Fr. Antonii Barberini, S. R. E. Cardinalis, fratris germani Urbani VIII. P. M. Tum defuncto Petro epiſcopo in ejus locum ſubrogatus eſt anno MDCXXX. IX. cal. Octob. ac poſſeſſionem epiſcopatus cepit anno inſequenti idibus Januarii. In epiſcopatu Eugubino multa geſſit, quae ejus ſollicitudinem in ea eccleſia regenda oſtendunt. Nam cleri diſciplinam, & ſacros ritus ad legum eccleſiaſticarum praeſcriptum compoſuit; & ſeminarium ſua impenſa reſtauratum reformavit, adhibitis in eam rem lectiſſimis viris ex ſocietate Jeſu, qui eccleſiaſticae juventuti educandae prima veluti fundamenta jacerent; marmoreum tumulum Ss. Mariani & Jacobi extrinſecus vetuſtate corruptum refici, ornarique curavit, & geminam ſynodum dioeceſanam celebravit prid. cal. Jun. anno MDCXXXII. & XVII. cal. Jun. an. MDCXXXVIII. Sunt autem utriuſque ſynodi conſtitutiones conjunctim editae Peruſii anno MDCXXXVIII. Fuerat jam

jam Uldericus anno MDCXXXIII. ab Urbano VIII. Cardinalis creatus, ac primo titulum habuit S. Anaſtaſiae, tum S. Petri ad Vincula, dein S. Mariae Tranſtiberim, denique in epiſcopatu Albanenſi conquievit, poſtquam ab Eugubina eccleſia ad Tudertinam anno MDCXXXVIII., ut placet Ughello, ſive MDCXXXIX., ut narrat Lazarellus, cui credere malim, translatus eſſet, & Tudertinam denique ipſam anno MDCXLIII. abdicaſſet, ut unius eccleſiae procuratione liberatus majoribus ſedis apoſtolicae negotiis vacare poſſet.

Eo ſedente in cathedra Eugubina ſacrae inquiſitionis tribunal apud Eugubinos inſtitutum eſt, primuſque fidei quaeſitor electus Vincentius M. Cimarellius ordinis Praedicatorum, cujus de Gallis Senonibus, deque Corinalto, patria ſua, libros habemus non admodum eruditos. Sed illud magis memorandum, quod initio epiſcopatus ejus accidit. Cum enim anno MDCXXXI. exceſſiſſet ex vivis F. Maria Urbinatium dux abſque liberis, ejus ditio ad ſedem apoſtolicam devoluta eſt, miſſuſque Thaddeus Barberinus a Pontifice, qui populos in fidem reciperet. Is venit Eugubium prid. cal. Maii, atque ita ex eo tempore Eugubini placidiſſimum Romani Pontificis imperium pertulerunt.

Potuit Uldericus primum lapidem condendo Cappuccinorum coenobio anno MDCXXXI. quod intra quinquennium abſolutum eſt, ut teſtatur inſcriptio haec in fronte eccleſiae S. Nicolai, quae Cappuccinorum eſt:

D. O. M.
Uldericus S. R. E. Card. Carpineus
Epiſcopus Eugubinus
Primum hujus coenobii lapidem
Anno MDCXXXI.
Omine tam fauſto poſuit
Ut quinquennio ſupremum impoſuerit
Eugubinorum pietas, & conſtantia.
Rei memoria marmori conſignata
M D C L X I.

LXII.

HORATIUS MONALDUS.

Horatius Monaldus, patricius Peruſinus, Benedicti Munaldi, de Ubaldis appellati, germanus frater, anno MDCXXXIX. poſtridie cal. Maii, ex archipresbytero eccleſiae Peruſinae, creatus eſt epiſcopus Eu-

Eugubinus ab Urbano VIII. ac poſſeſſionem injit xv. cal. Jun. per Julium Lazarellum procuratorem ad eam rem delectum, quo etiam vicario generali uſus eſt in regendo epiſcopatu Eugubino. Sed cum frater ejus Benedictus Cardinalis epiſcopatum Peruſinum abdicaſſet, eo translatus eſt Horatius anno MDCXLIII. exeunte. Ejus meminere cum laude Jacobillus in bibliotheca Umbriae, Oldoinus in Athen. Aug. aliique.

Cum Horatius Monaldus eccleſiae Eugubinae praeeſſet, canonicorum ſecularium collegium inſtitutum eſt in eccleſia Corporis Chriſti, quam vulgo nunc ex divae Chriſtinae nomine appellant. Quo auctore, quibuſque legibus id actum ſit habes ex diplomate Urbani VIII. quod hic damus, a Repoſato noſtro acceptum.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio vicario ven. fratris noſtri epiſcopi Eugubini in ſpiritualibus generali ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Exibita ſiquidem &c. Nobis nuper pro parte dilecti filii Guidobaldi Puchelli Presbyteri J. U. D., & aliorum Presbyterorum infraſcriptorum petitio continebat, quod alias, ſeu nuper quondam Joannes Baptiſta Chriſtinus Laycus Eugubinus, tunc in humanis agens, poſtquam ipſe jam antea in Eccleſia ſine cura Sanctiſſimi Corporis Chriſti Eugubin. capellam ſub invocatione Beatiſſimae Virginis Mariae, & quorumdam aliorum Sanctorum, conſtrui, & aedificari fecerat, & in ea ſine cura capellaniam pro uno perpetuo capellano, qui presbyter eſſet, & qualibet die in dicta capella rem ſacram ad intentionem dicti Joan. Baptiſtae celebraret, fundaverat, & in treſdecim, qui triginta durante ejus vita, poſt ejus obitum vero in viginti. & uno ducatis auri de camera annuis, qui quinquaginta ſcuta monetae illarum partium circiter reſpective conſtituunt ex bonis, de quibus legitime diſponere poterat, dotaverat, & jus patronatus capellae, & capellaniae hujuſmodi, ſibi, & haeredibus ſuis perpetuo reſervaverat in ſuo ultimo, quod condidit, & ſub ejus diſpoſitione ab humanis deceſſit, teſtamento. Domum piam a ſe pro manutentione, & conſervatione pauperum puellarum inſtitutam, & puellas in ea pro tempore degentes, haeredes ſibi univerſales inſtituit, ac ſecularem, & Collegiatam eccleſiam ſub invocatione S. Chriſtinae in civitate Eugubina, & in ea unam dignitatem, prioratum nuncupandam, ac quinque canonicatus, & totidem praebendas pro ſex presbyteris aut ſaltem clericis ſacris initiatis ex civitate Eugubina, non autem ex locis, ſeu oppidis, aut commitatu civitatis Eugubii ſub poena nullitatis electionis, & devolutionis illius pro ea vice ad loci Ordinarium oriundis, qui ſingulis diebus feſtivis de praecepto horas canonicas in choro dictae eccleſiae recitarent, & in eiſdem die-

diebus feſtivis quinque ex eis in dicta Eccleſia, alter vero in Oratorio, ſeu capella dictae Domus piae, ferialibus vero diebus duo, unus videlicet in dicta Eccleſia Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & capella ibidem per Teſtatorem fundata ut ſupra, applicando Sacrificium ter in Hebdomada pro anima Teſtatoris, & ejus defunctorum, & alter in ipſo Oratorio, ſeu capella dictae Domus piae cum ſimili applicatione ter in Hebdomada miſſas reſpective celebrent, & priore, & quinque aliis per eum ex tunc in priorem, canonicos reſpective nominatos, aut eorum aliquo obeunte, ſtatim ſequuto obitu hujuſmodi, ſucceſſorem, ſeu ſucceſſores in locum demortui, ſeu demortuorum per reliquos ex Priore, & Canonicis reſpective ſuperſtites, ita tamen, ut ſuccedente obitu Prioris eligendus in ejus locum ſit, & eſſe debeat de gremio ipſorum Canonicorum reliquorum ſuperſtitum per vota ſecreta eligi, ſicque in perpetuum obſervari mandavit, ac Collegiatae eccleſiae, illiuſque Priori, & Canonicis pro tempore exiſtentibus pro eorum dote, & onerum ſupradictorum ſupportatione tricenta, & decem annua ſcuta monetae hujuſmodi, inter quae comprehenſa eſſent, & eſſe intelligerentur, ea quae ipſe Teſtator pro dote dictae Capellaniae tunc extinguendae, & collative amplius non remanſurae, antea aſſignaverat, Priori videlicet ſexag., cuilibet videlicet vero ex Canonicis praedictis quinquaginta annua ſcuta ex ejus bonis patrimonialibus, ſeu aliis per eum legitime acquiſitis, ac Domui piae, ſeu ejus puellis haeredibus ſuis praedictis relictis deſumenda, perpetuo applicavit, ac appropriavit eiſdem Priori, & Canonicis protectionem, & gubernium, ac defenſionem dictae Domus piae, & ut deputarent, etiam duos clericos, qui dictae Collegiatae Eccleſiae, & illius choro in neceſſariis deſervirent, cum annuo ſalario ſex ſcutorum pro quolibet demandavit, & injunxit, nec non Confraternitatem Sanctiſſimi Corporis Chriſti illiuſque Confratres, quorum dicta Eccleſia SSmi Corporis Xpi exiſtit, rogavit ut dictam Eccleſiam in collegiatam, ut ſupra erigi permitterent, & licet ipſam Collegiatam poſt illius erectionem in aliam Eccleſiam transferri contingeret unus ex Priore, & Canonicis praedictis quotidie in dicta Capella vicedicti Capellani, in cujus loco dictus Prior, ſeu Canonicus ſuccedere intelligeretur, Miſſas juxta fundationem dictae Capellae a ſe, ut praefertur, factam celebraret, & alias prout in dicto Teſtamento plenius continetur. Cum autem dictus Guidobaldus in Priorem ſecundo loco poſt videlicet quondam Caeſarem Chriſtinum fratrem germanum dicti Teſtatoris ad praeſens defunctum, nec non dilecti filii ceteri etiam quinque Praesbyteri per eumdem Teſtatorem in primos Canonicos dictae Eccleſiae erigendae reſpective nominati plurimum cupientes dictam Eccleſiam SSmi Corporis Xpi in Collegiatam ad praeſcriptam voluntatis ipſius Teſtatoris per Nos ut infra

erigi, & inſtitui, & aſſerentes in id Confratres praedictos libentiſſime conſentire, Nobis humiliter ſupplicari fecerint, quatenus ſibi in praemiſſis opportune de benignitate Apoſtolica providere dignaremur.

Nos, qui Miniſtrorum Eccleſiaſticorum augumento, & Divini Cultus propagationi libenter conſulimus, dictum Guidobaldum, nec non ſingulares perſonas presbyterorum hujuſmodi a quibuſvis excommunicationis, &c. Cenſuris, &c. horum ſerie abſolventes, &c. diſcretioni tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus conſtito tibi legitime de narratis, & de conſenſu d. d. Confratrum Eccleſiam SSmi Corporis Xpi praedictam in Secularem Collegiatam SSmi Corporis Xpi, & Sanctae Chriſtinae deinceps nuncupandam, cum arca, ſigillo, burſa, ac aliis inſignis Canonicalibus, & in ea unum Prioratum, dignitatem inibi principalem, & unicam pro uno Priore de gremio capituli, ut ſupra eligendo, qui caput dictae Eccleſiae exiſtat, & in ea principalem locum habeat, ac quinque Canonicatus, & totidem praebendas pro quinque Canonicis juxta diſpoſitionem dicti Teſtatoris, ut praefertur, qualificatis, & ut ſupra quoad Priorem videlicet ſemper, quo vero ad Canonicos praedictos in menſibus Sedi Apoſtolicae reſervatis, & cum alias illorum Canonicatuum, & praebendarum pro tempore vacaturorum diſpoſitio Sedi Apoſtolicae pro tempore reſervata erit tantum Romano Pontifici, in aliis vero vacationibus diſpoſitioni Apoſtolicae non reſervatis, neque affectis Ordinario loci per ſupradictos reſpective nominandis, & praeſentandis, qui Capitulum inſimul conſtituant, & onera per dictum Teſtatorem eis, ut praefertur, injuncta, juxta ipſius Teſtatoris voluntatem ſubeant, & adimpleant, nec quicquam aliud ulterius teneantur auctoritate noſtra, ſine tamen alicujus praejudicio perpetuo erigas, & inſtituas, illiſque ſic erectis, & inſtitutis pro congrua, & competenti Prioratus, ac Canonicatuum, & praebendarum hujuſmodi dote, illoſque pro tempore obvenientium ſubſtentatione, & oneris eis incumbens ſupportatione redditum annuum, & perpetuum tricentorum, & decem ſcutorum hujuſmodi compraehenſo in eis, illo pro dicta Capellania, quae ad praeſens vacat, & deinceps extincta, & amplius non collativa remanebit, ut praefertur, aſſignato Prioratui videlicet ſexaginta, cuilibet vero ex Canonicis praedictis quinquaginta ſcuta pro hujuſmodi, quorum tamen omnium ſaltem tertia pars in diſtributiones quotidianas pro praeſentibus, & Divinis Officiis tempore a Teſtatore praeſcripto intereſſentibus, & onera a d. Teſtatore injuncta adimplentibus erogari debeat, &c. tam ipſi, quam eorum Eccleſia praedicta ejuſque, &c. privilegiis, exemptionibus, &c.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae MDCXLI. Idibus Octobris Pontificatus Noſtri Anno XIX.

ALE-

LXIII.

ALEXANDER SPERELLUS.

I. Alexandri Sperelli nomen adeo apud Eugubinos celebre eſt, ut ſi prima illa eccleſiae Eugubinae lumina excipias, quae propter ſanctitatis famam publice veneramur, & colimus, hic unus ceterorum gloriam quodammodo videatur obruere. Editus eſt in lucem Aſſiſii anno MDLXXXIX. VI. id. Maii ex familia veteri nobilitate clara, & illuſtri. Quantum in ſtudiis optimarum artium profecerit, quibus ab ineunte aetate ſe totum dederat, ejus ſcripta declarant, quorum elenchum infra dabimus. Anno MDCX. juris utriuſque laurea Peruſii donatus eſt, ac paucos poſt menſes, cum vix primum & vigeſimum aetatis annum ageret, ab Aſcanio Sperello patruo ſuo, epiſcopo Septempedano accitus, vicarii generalis munus apud illum ſapientiſſime per biennium exercuit. Mox Romam cum patruo ipſo profectus, cardinali Ginnaſio a cognitionibus fuit, tum Cardinali Ateſtino, qui Regii Lepidi epiſcopatum abiens gerebat, vicariam operam in eo epiſcopatu praeſtitit. Inde Parmam vicarius apoſtolicus miſſus eſt, (a) tum Arimini aliquamdiu, dein Januae vicarius generalis fuit, ubi & metropolitanae eccleſiae archipresbyteratum obtinuit. Ex ea civitate, poſt deceſſum Marini archiepiſcopi cum Romam revertiſſet, inter praelatos Romanae aulae cooptatus eſt, & U. S. Refer., itemque ſanctae Romanae inquiſitionis conſultor creatus. Frequentabatur tunc domus ejus a viris doctis, & apud eum ſtatis diebus literarii coetus habebantur. Sed anno MDCXLII. ab urbano illo otio abductus eſt; petente enim Marcello Lante S. R. E. Cardinali, epiſcopo Veliterno, epiſcopus Orthonienſis ab Urbano VIII. creatus, ſuffraganeus epiſcopatus Veliterni inſtituitur. Cum autem non multo poſt eccleſia Eugubina vacaſſet, eam Alexander Sperellus anno MDCXLIV. prid. id Mar. obtinuit. Ita apud Ughellum, qui per idem tempus de epiſcopis Eugubinis ſcribebat. Sed Vincentius Armannus, qui de Alexandri Sperelli vita copioſe ſcripſit (b), eum anno MDCXLIII.

(a) De hac ejus profectione in urbem Parmam ita Bernardinus Intendentius in oratione, quam in ejus funere habuit. *Teſtetur* (quantam nimirum gratiam apud viros principes conſecutus eſſet) *Sacer ille epiſcoporum ſenatus, qui in turbida rerum procella..... ubi Parmenſis eccleſiae concuſſa navis fluctuabat, decrevit uni noſtra Alexandro clavum committere, qui ſane apoſtolici vicarii titula inſignitus, & furentem tempeſtatem ſedavit, & periclitantia negotia eripuit e naufragio, & cathedralem ipſam decumanis fluctibus agitatam in tranquillitatis portum, unde adhuc longius abeſſe videretur, facili proſperitate ſubduxit.* Edita eſt Bononiae haec Oratio, eo ipſo, ut opinor, anno, quo habita eſt, nimirum anno MDCLXXII. (b) *Arman. vol. III. ep. ad Carolum Cartavium pag. 433. & ſeq.*

Eugubinis paſtorem datum eſſe ſcribit, cui conſentit & Alexander Borgia in hiſtoria eccleſiae, & civitatis Veliternae (a). At Lazarellus, qui, vivente Alexandro ipſo, catalogum antiſtitum Eugubinorum ad calcem ſynodi Eugubinae per eos dies celebratae edidit, eum anno MDCXLIV. creatum eſſe epiſcopum Eugubinum cum Ughello confirmat.

II. Novem annos in epiſcopatu egerat Alexander, cum Innocentius X. qui ejus pietatem, prudentiam, ac doctrinam ſatis ſuperque cognitam habebat, eum ad graviora ſedis apoſtolicae negotia adhibere, majoribuſque dignitatibus initiare conſtituit, ac primo legationem Neapolitanam ſuſcipere juſsus eſt. Quo animo ab eccleſia ſua divulſus ſit, ipſe prodidit in oratione de laudibus S. Joannis Laudenſis, ad populum habita (b). Cum itaque eam legationem annis aliquot ſtrenue exercuiſset, & ad eccleſiam ſuam redire mallet, quam ſplendidum illum honoris curſum perſequi, quem erat ingreſsus; impetravit a Pontifice, ut ſibi ſuccederetur (c). Quare eccleſiae ſuae redditus, ei ſanctiſſime regendae, & praeclaris operibus, quae ante diſceſsum ſuum incohaverat, perficiendis, noviſque rurſum ſuſcipiendis ſe totum impendit. Sed non eſt cur quiſpiam expectet, ut tanti viri egregia facta omnia, & quidquid pie, quidquid ſapienter, liberaliter, fortiter in epiſcopatu egerit, hoc loco exponam; tantum dicam nullas in eo partes optimi epiſcopi eſſe deſideratas. Ex paucis autem, quae indicabo, facile erit prudenti lectori aequum de hoc viro ſummo judicium facere. Prima itaque, ac potiſſima cura ejus fuit optime inſtituendi gregem ſuum, tuendaeque, & amplificandae religionis, quod conſtitutiones, & decreta ab eo edita in ſeptem ſynodis dioeceſanis declarant. Primam celebravit anno MDCXLVI. alteram anno MDCL. Utraque edita eſt Perufii anno MDCLI. per Sebaſtianum Zecchinum. Tertiam habuit anno MDCLV. quartam anno MDCLIX. quintam anno MDCLXI. ſextam anno MDCLXV. poſtremam anno MDCLXVIII. quae omnes una editae ſunt annis aliquot poſt ejus obitum, anno ſcilicet MDCXCVII. Eugubii per Campionum, & Mattiolum.

III.

(a) *Borgia Iſtoria della chieſa, e città di Velletri Sec. XVII. n. 48. p. 497.* (b) *Sperel. ſerm. Paſtoral. P. III. ſerm. XX.* (c) Ita de Alexandri legatione Neapolitana Intendentius: *Innocentius decimus, virtutum cognitor maximus, optimuſque meritorum aeſtimator, qui & ſuae motu voluntatis, & ineffabili bonorum omnium gratulatione nuncii apoſtolici dignitate ornatum Alexandrum Neapolim legavit: ubi quia accerrimus juſtitiae patronus, & imperavidus vindex eccleſiaſticae immunitatis, jura quaedam a regiis praerepta miniſtris tolerare non debet nec poteſt temporum vitio, vagantique licentiae fraenum imponere, addita etiam levi corporis aegritudine petiit a Pontifice ſucceſſorem, ſummque laetus epiſcopatum reviſit.*

III. Neque ita ſolum, ſed viva etiam voce ſuae plebi erudiendae incubuit, ſolitus e ſuperiore loco ſaepius ad populum dicere, tum ſeorſim ad clerum in eccleſiaſticorum conventu, denique ad moniales. Atque hunc morem vel in extrema ſenectute retinuit, & quidem non ſolum in civitate, ſed paſſim etiam in aliis locis ſuae dioeceſis, cum eam de more luſtraret. Extant plures ex ſacris concionibus ab eo habitis, typis editae, & duobus non exiguis voluminibus comprehenſae. Eae ſunt diſtributae in partes tres. Prima continentur quae ad clerum, altera quae ad moniales, tertia demum quae ad populum habitae ſunt. Atque omnes profecto ſunt pio, docto, eloquenti homine, & epiſcopo ſolerti, & vigilanti digniſſimae, ut ipſemet aliquando veriſſime de ſe dicere potuerit, ſe eſſe ſolitum e cathedra, vel e ſuggeſtu quaſi perpetuo quodam tonitru, & fulgure gregem ſuum adoriri, ne vitiis indormiſcere ſineret. Inter ſermones eos, qui ad populum habiti dicuntur, unus eſt, quem recitavit in luſtranda dioeceſi, cum decrepita jam aetate eſset, ut ipſe ſub finem teſtatur (a). Qui norunt quam late pateat quamque difficiles habeat vias dioeceſis Eugubina, propter montes fere perpetuos, quos complectitur, facile intelligent, eam non potuiſſe ſine incredibili labore a decrepito epiſcopo viſitari. Eſt inter editos ejus ſermones is etiam commemorandus, quem habuit anno MDCLVI. prid. kal. Maii, cum civitatem Eugubinam auctoritate apoſtolica ab interdicto abſolveret, quo olim, poſt medium ſeculum XIV. obſtricta fuerat, ob injuriam eccleſiae illatam publicis ejus tabulis incenſis. Civitatem jamtum abſolverat Gregorius XI. ut idem ipſe Sperellus epiſcopus narrat in eo ſermone, qui eſt partis tertiae vigeſimus tertius; (b) ſed cum conditionem, neſcio quam, poſtulaſſet Pontifex, quam haud ſatis fortaſſe impletam verebatur prudentiſſimus epiſcopus, ad ſui gregis ſecuritatem pertinere judicavit, ut rurſum a vetere illa eccleſiaſtica cenſura ex auctoritate Pontificis abſolveretur.

IV. Ut idoneos haberet adminiſtros, quorum opera uteretur in curanda animarum ſalute, nihil non egit, ut congregatio Oratorii S. Philippi Nerii Eugubii inſtitueretur. Quod cum tandem perfectum eſſet, & novum illud collegium ſuis opibus juvit, & ejus ſodales mirifica quadam caritate complexus eſt, ut non ſolum cum iiſdem praeclara ejus inſtituti munia in eorum eccleſia exerceret, ſed in eorum etiam numerum cooptari voluerit. Editus eſt ſermo, quem habuit inter miſſarum ſolemnia cum congregationem Oratorii S. Philippi Nerii fundavit, primoſque ejus inſtituti ſodales ad ſacramentum admiſit, in

(a) *Par. III. ſerm. XXXIV.* (b) *P. III. ſerm. XXIII. n. 17.*

in quo cum uſitata ejus eloquentia, & doctrina, tum vero maxime ſingularis quaedam ejus laetitia propter novam illam plantationem apparuit (a). Sacrae cathecheſi & ipſe ſolerter operam impendit, & viros primarios civitatis, ac nobiles matronas delegit, qui pueris, & puellis erudiendis praeeſſent. Pauperum curam geſſit paternam, quibus non ſe vivo ſolum, ſed impoſterum etiam proſpexit, annuum enim cenſum deputavit in pauperum aegrotantium ſubſidium. Conſueverat autem in annos ſingulos centum pauperibus veſtitum praebere, & tercentas frumenti heminas familiis egentibus diſtribuere.

V. Cum eſſent epiſcopatus Eugubini reditus haud ſane ingentes, ea una re gaudebat abundare ſe paternis opibus, quod eccleſiae, & civitati Eugubinae benefacere poterat. Itaque canonicorum numerum cathedralis eccleſiae auxit, tribus additis, quibus praebendas de ſuo conſtituit. Bibliothecam ſuam & copioſam, & optimis libris inſtructam civitati donavit, eique annuum cenſum reliquit pro coemendis libris, & pro ejus ſtipendio, qui bibliothecae ipſi cuſtodiendae praeficeretur. Cum nullus eſſet in ea civitate, qui publice jus civile doceret, ejus facultatis profeſſorem inſtituit, cui & congruum ſtipendium aſſignavit. In ſeminario, quoad vixit, duos aluit adoleſcentes, quos & impoſterum alendos, & duabus item puellis dotem quotannis tribuendam, teſtamento cavit. Sed cum patrimonii ſui vires tantis oneribus ferendis quandoque non ſufficerent, & rhedam, qua vectari ſoleret, & argenteam ſupellectilem ab eo divenditam ferunt, ut pecuniam undecumque corraderet, qua opem egentibus ferret.

VI. Eadem ejus munificentia in aedes Deo ſacras, atque univerſim in omnibus, quae ad Dei, divorumque cultum pertinent, emicuit. In cathedrali aede ſacellum Lauretanae Virgini amplum, & magnificum erexit, in quo & Euchariſticum Sacramentum aſſervaretur. In eo, prima quaque dominica cujuſque menſis, ſolemnes precationes inſtituit, in quibus ſermo haberetur ad excitandos ad pietatem, & ad Deiparae venerationem fideles. Solebat autem vel ipſe dicere, vel oratores, quoad fieri poterat, ad id munus aptiſſimos deligere. Sunt typis editi ſermones non pauci ex iis, quos piiſſimus antiſtes ea occaſione recitavit, atque hic eſt poſtremus ejus ingenii partus, qui publicam lucem aſpexerit. Eos infra cum ceteris ejus ſcriptis recenſebimus.

VII. In eadem cathedrali aede aram S. Joanni Laudenſi erexit, & amota veteri arca lignea, in qua hujus beati epiſcopi corpus incorru-

(a) *P. I. Serm. II.*

ruptum aſſervabatur, loculum ei condendo ſupra aram ipſam, ſatis ornatum, inſtruxit. Hic vero maxime ejus pietas in ſanctum praeceſſorem ſuum apparuit. Voluit enim eam translationem magnifico apparatu, & ſumma celebritate perfici. Corpus ſancti epiſcopi ornatiſſimo feretro impoſitum per frequentiores civitatis vias delatum eſt, proſequentibus epiſcopis quinque, abbatibus mitra inſignitis octo, quos ad eam feſtivitatem more majorum invitaverat. Extat ejus oratio inter miſſarum ſolemnia, ea de re ab ipſo habita, de laudibus S. Joannis Laudenſis, quae edita eſt a Vincentio M. Armanni in eo libello, quo hujus translationis hiſtoriam complexus eſt. Extat etiam inter ſermones paſtorales ejuſdem Alexandri Sperelli. De translatione vero S. Joannis Laudenſis plura Bollandiſtae ex eodem Armanno ad diem ſeptimam Septembris.

VIII. Sunt alia ab eo templa vel refecta, vel ornata. In his eſt eccleſia S. Nicolai, quam aliqui opinantur olim fuiſſe Eugubinorum cathedralem. Hanc temporum injuria collabentem reſtituit. Ad haec aram maximam cum eleganti ornatu ex marmore ſua impenſa erexit in pulcherrimo templo, S. Mariae, quod *de Prato* appellant; ac templo ipſi aedificando, nam aere collatitio conditum eſt, non exigua ſubſidia contulit. Eſt ad aram maximam, quam diximus, hic titulus a Sperello poſitus:

COELI REGINAE
ΘΕΟΤΟΚΟΥ
ALEXANDER
HVMILIS SERVVS
D.

Aram quoque S. Liborio, cujus opem, cum ex calculis laboraret, expertus erat, exornandam curavit. Adde eccleſiam monialium S. Antonii Patavini depreſſiore loco, humenti, & inſalubri ſitam, quam una cum interiori oratorio commodius, ac decentius alio loco exſtrui voluit, in eaque altare majus ſuis ſumptibus excitavit, ac veteri eccleſiae patrono Antonio Patavino dicavit. Quid memorem quantum ſacrae veſtis, & ornamentorum omnis generis, & argenteae ſupellectilis ſacris aedibus, ac praeſertim cathedrali templo, ac ſacellis Lauretanae Virginis, ac S. Joannis Laudenſis contulerit? Longum eſſet ire per ſingula, cum nulla pars civitatis ſit, quae inſigne aliquod ejus beneficium non tulerit.

IX. Si quod monialium monaſterium erat in ſua dioeceſi, nondum ad Tridentini Concilii leges adamuſſim inſtitutum, illud quam diligentiſſime reformare ſtuduit, aucto etiam, ubi opus eſſet, monialium nu-

numero. Ad cleri ſui diſciplinam, eruditionemque multa prudenter excogitavit, perfecitque, ſed nihil eo utilius, quod ſtatis diebus totius cleri conventum, in eoque collationes, diſſertationeſque in ſancta evangelia haberi voluit. Praeerat ipſe ſacro huic coetui, qui celebrari coeptus eſt XXI. Aug. anno MDCXLVII. addita poſtmodum caſuum conſcientiae tractatione. Sermones paſtorales, quos diximus, ad clerum habitos, in iis eccleſiaſticorum conventibus recitati ſunt. Huc pertinent theologus, & poenitentiarius ab eo in cathedrali eccleſia inſtituti, delectis ad id viris doctis, qui ea munera cum dignitate ſuſtinerent. Ad Deiparae cultum magis magiſque apud Eugubinos ſuos propagandum, praeter ea, quae ſupra diximus, id ab eo inſtitutum eſt, ut ſingulis ſabbatis in eccleſia fratrum Servorum ad ejuſdem aram pium quoddam exercitium haberetur, in quo certae preces ex praeſcripto recitabantur, atque ut populus facilius alliceretur, pium aliquod carmen in laudem Deiparae canebatur concentu muſico, nec ante coetus dimittebatur, quam vel ipſe cum poſſet, vel idoneus aliquis, & pius ſacerdos ſimplici, & ad omnium captum accomodato ſermone de virginis praeſtantia, ejuſque patrocinio ad populum diſſeret. Eſt id etiam ex praeclaris ejus inſtitutis minime reticendum, quod ſingulis diebus poſt veſperas ſigno majoris campanae cathedralis eccleſiae populum excitari voluit ad divinam opem implorandam pro iis, qui in extremo vitae agone cum morte conflictantur, certis precibus in eam rem indictis, oratione nimirum dominica, & ſalutatione angelica.

X. Eccleſiaſticae diſciplinae ſtudioſiſſimus, quamquam non dubium eſſet, quin eccleſia cathedralis rite antiquitus dedicata fuiſſet, ſaepius tamen reſtauratam, atque amplificatam, rurſus dedicandam cenſuit. Id ab eo actum eſt anno MDCLII. x. kal. Octob. atque in ipſa dedicatione luculentam orationem ad populum frequentem habuit, quae inter ejus ſermones paſtorales edita eſt (a). Ne quid autem ad ejus eccleſiae dignitatem deeſſet, ejus etiam miniſtros ſplendidioribus veſtium inſignibus ornari voluit; impetravit enim a Romano Pontifice pro canonicis cappas, pro manſionariis almutias, non diſſimiles ab iis, quae in illuſtrioribus eccleſiis, atque in ipſo Vaticano templo deferri ſolent. Extat ejus ſermo tunc habitus, cum nova haec veſtium ornamenta ex auctoritate apoſtolica ſuae eccleſiae canonicis, & manſionariis traderet anno MDCL. feſto die Natalis Domini (b). Nova etiam veſtium inſignia conceſſit ſacerdotibus animarum curatoribus

(a) *P. III. Serm. XVIII.* (b) *P. I. Serm. VIII.*

bus ſuae civitatis, & dioeceſis, qui Archipresbyteri, vel Prioris titulum, dignitatemque obtinerent. *Mozzettam* ſcilicet nigro colore laneam, ſive ex alia quavis materia, dummodo non ſericam, quam ſupra ſuperpelliceum in ſacris functionibus geſtarent (a). Alias quoque in civitate, & dioeceſi dedicavit eccleſias, eamque imprimis, quam fratres Cappuccini in civitate obtinent, quod & titulus ad eam poſitus, & ſermo in ea caeremonia ab eo habitus teſtantur (b).

XI. Quidquid otii ex aſſiduis occupationibus nanciſci poterat, lectioni, & ſcriptioni tribuere conſuevit. Delectabatur autem ob eam rem Alfiolano ſeceſſu, in quo aedes ſuperiori ſeculo a Federico Fregoſio magnifice exſtructas, vetuſtate non minimum labefactatas reſtituit, quod hic titulus ibidem poſitus teſtatur:

ALEXANDER . SPERELLUS . EP . EUGUB.
AEDES . A . FEDERICO . FREGOSIO . CARDIN.
MAGNIFICENT . CONSTRUCTAS.
VETUSTATE . LABENTES . REPARAVIT.
ANNO . JUBILEI.
M D C L.

In eo ſeceſſu propter civitatis viciniam, ſic per aeſtatem degere identidem conſueverat, quaſi in civitate ipſa eſſe videretur. Atque hic mos ei perpetuus fuit, ut nunquam ibi feſtis diebus conſiſteret, illudque ejus vigilantiae exemplum memoratur, quod cum aliquando in ea villa eſſet, ſub mediam noctem ex urbe allatum eſt, incendium in aedibus monialium S. Lucae excitatum eſſe. Proripuit ſe e lectulo, & quamquam pluſquam ſeptuagenarius, nihil moratus Eugubium convolavit intempeſta nocte, ter mille paſſuum itinere confecto, rectaque ad monaſterium contendit, ut ſi qua in re poſſet, & incendio remedium, & monialibus opem afferret; eaſdemque poſtmodum moniales in reparandis aedibus incendio corruptis pecunia juvit.

XII. In eo ſeceſſu Alfiolano extremam manum ſuis ſcriptis imponere conſuevit, inter quae magnam ei laudem comparavit grande illud volumen, quod *Epiſcopus* inſcribitur, in tres partes, ac plures libros digeſtum, in quo epiſcopi dignitas, officia, ac munera omnia doctiſſime explicantur, & illuſtrantur. In eo ſcribendo id ſibi propoſuit, ut cereris epiſcopis, atque adeo toti eccleſiae pro viribus prodeſſet. Fuerat id ab aliis ſuſceptum, atque imprimis ab Auguſtino Valerio, & Gabriele Paleotto Cardinalibus ampliſſimis, ut ceteros minoris famae praeteream, ſed omnes longo intervallo ſuperavit Sperellus

(a) *Extat ejus decretum ea de re latum* IX. *kal. Octob. an. MDCLVIII. cujus apographum nuper inter ſchedas Petri Canneti* ✠. *Cl. in bibliotheca Claſſenſi, neſcio quo caſu, reperimus.* (b) *P. III. ſerm. XIX.*

noſter. Nec vero ſua eum ſpes fefellit; tanto enim plauſu Sperelli *Epiſcopus* exceptus eſt, ut petentibus epiſcopis pluribus e Gallia, Hiſpania, & Germania, ex Italica in latinam linguam vertendus fuerit. Id naviter perfectum eſt ab Hannibale Adamo Jeſuita, juſſu, ut quidam ferunt, Jo: Pauli Olivae, ſocietatis Jeſu generalis praefecti, atque haec eorum librorum latina interpretatio, Romae edita, Clementi X. P. M. a Sperello ipſo dicata eſt. Neque vero vel in ipſa provectiore aetate ſuorum ſtudiorum curſum abrupit; hanc enim unam ajebat eſſe animi ſui relaxationem, qua inter epiſcopales curas, atque ſollicitudines uteretur. Fertur tamen, extremis vitae ſuae temporibus non plus quam horas quatuor conſueviſſe dietim literarum ſtudiis impendere, cum antea tamdiu literis incumberet, quamdiu a ceteris negotiis ſibi vacare liceret. Neque eamdem etiam in omni vita ſua tenuit rationem ſtudiorum; epiſcopus enim creatus quanquam non abjecerit juriſprudentiae ſtudium, ut apparet ex eo quod ſua illa conſulta, quae ſub nomine deciſionum fori eccleſiaſtici vulgaverat, recognita, & aucta edidit; majorem tamen operam impendit iis literis, quibus magis juvari poſſet ad erudiendum, & docendum, quae ſunt potiſſimae optimi epiſcopi partes. Totum itaque ſe dedit lectioni divinarum literarum, & SS. PP. atque ex iis fontibus tantum hauſit, quantum ejus ſcripta declarant. Fatetur ipſe in proemio ſermonum paſtoralium majorem vitae ſuae partem ab ſe in aliis ſtudiis impenſam, in foro ſcilicet, atque in judiciis. Hinc magis miror, potuiſſe illum jam grandem natu, etenim creatus eſt epiſcopus annos natus quinquaginta quinque, novum hunc doctrinae curſum inire, & tam feliciter perſequi. Illud vero vix credibile videtur, perveniſſe illum ea aetate ad tantam eloquentiae excellentiam, quanta in ejus ſermonibus paſtoralibus apparet, quibus vix quidquam in eo genere excellentius ſuperiori ſeculo prodiit.

XIII. Finem vivendi fecit optimus antiſtes an. MDCLXXI. XIV. cal. Jan. aetatis ſuae anno tertio & octogeſimo, nec diſſimilis ab anteacta vita mors fuit, quam merito tota civitas, pientiſſimo, & providentiſſimo parente orbata, deflevit. Cadavere aperto tres in veſica calculi grandiores reperti. Funus ei magnificentiſſime procuratum, per frequentiores civitatis vias deductum eſt, prolequentibus omnibus totius civitatis ordinibus, clero ſeculari, & regulari, ac ſodalibus Sperelliis, quos ipſe jam inde ab anno MDCLXVII. inſtituerat, ut quae abs ſe provide inſtituta fuerant, ſe mortuo curarent. Publice laudatus eſt in funere ipſo a Philippo Piſellio Ciucciolo, Oratorii S. Philippi Nerii praefecto, eloquenti oratione, & in ſacello Lauretanae

nae Virginis quod ipſe in cathedrali aede erigendum curaverat, tumulatus eſt. Eſt ad ejus tumulum hic titulus (a):

Alexandro Sperello
Ex utriuſque Signat. Referendario
Epiſcopus Eugubinus
Summique Pontificis Praelatus Domeſticus
Et Aſſiſtens
Nullibi tutius deponi a ſe poſſe ratus
Carnis exuvias
Quam ubi Deus illas aſſumpſit.
Hic ſibi ad Deiparae pedes
Dum adhuc viveret
Tumulum deſtinavit ab eadem ut optarat
Depoſitum fauſtè repeſiturus cujus fidei
Religioſe commendat
Obiit
An. ſal. M. DC. LXXI.
Aetatis vero LXXXIII.

Poſtea vero, nimirum XII. kal. Martii rurſus ei parentalia celebrata ſunt impenſa publica, ſplendido prorſus, atque inſigni apparatu. Eum tunc laudavit latina oratione Bernardinus Intendentius (b). Vincentius Armannus funebrem hanc pompam omnem, pluraque de vita, & rebus geſtis hujus praeſtantiſſimi epiſcopi deſcribit in una atque altera epiſtola ad Carolum Cartarium (c). Ejus etiam teſtamentum recitat, in quo ut cum maxime ejus ſumma in Deum religio, & caritas in Eugubinos ſuos elucet. Nam praeter alia legata, bene multa, ſodalibus Sperelliis aureorum nummorum novem millia & ſexcentos reliquit, quantum ſcilicet, poteſtate ſibi facta per apoſtolicam ſedem licebat, ex quorum annuis fructibus praeſtari poſſent neceſſarii ſumptus ad ea, quae ipſe vivens inſtituerat. Aſſiſiatibus quoque aureos nummos ter mille publice legavit, unde in annos ſingulos puellae aliquot egentes dotem acciperent. Mitto cetera, quae apud Armannum videri poſſunt (d). Multa etiam de illo Lazarellus, & Gamurrinus (e), quorum alter de epiſcopis Eugubinis, alter de nobilibus Etruriae, & Umbriae familiis, eo vivente, ſcribebat; multa &

(a) *Eum edidit & Lucentius in ep. Eugub.* (b) *Haec oratio typis edita eſt Bononiae apud Jacobum Montium cum hoc titulo: In funere Alexandri Sperelli Eugubini epiſcopi Oratio habita a Bernardino de Intendentibus Granatienſi anno Domini MDCLXXII.* (c) *Armann. ep. Tom. III. pag. 433. & ſeq.* (d) *Epiſtol. cit.* (e) *Gamurrin. Tom. II. pag. 301. 302.*

Lucentius in ſuis ad Italiam ſacram additamentis. Sed nihil magis ad hujus eximii viri commendationem facit, quam ejus ingenii monumenta, quae poſteris reliquit. Habes hic eorum elenchum, quoad fieri potuit, abſolutiſſimum.

I.

Oſſervazioni per aſcoltare, e celebrare con frutto, e perfezione la Santa Meſſa, ec. Opera del sig. abbate Aleſſandro Sperelli, arciprete della merropolitana, e vicario generale di Genova, in queſta quarta impreſſione riccorretta, ed accreſciuta dal medeſimo autore. In Genova per Giuſeppe Pavoni MDCXXX., in 12. *Hanc editionem memoravimus, ut appareat tres ante curatas, & hanc ab auctore ipſo emendatam, & auctam fuiſſe. Prima editio Romae prodiit anno MDCXXI.*

II.

Guida Spirituale, ec. del P. Lodovico Ponte della Compagnia di Gesù, tradotta dalla lingua Spagnuola nell' Italiana dal sig. abbate Aleſſandro Sperelli, protonotario apoſtolico, e al preſente vicario generale di Parma, e dal medeſimo arricchita delle autorità latine della Sacra Scrittura. P. I. e II. In Roma MDCXXVIII., in 8.

III.

Deciſiones fori eccleſiaſtici, auctore Alexandro Sperello, ec. Venetiis MDCLI. *Plurimum auctae, & recognitae rurſus ibidem prodierunt anno MDCLXVI & Genevae MDCLXVII. Sperellus, qui tot annis juri dicundo operam dederat in foro eccleſiaſtico, totus eſt in tuenda juriſdictione, libertate, atque immunitate eccleſiaſtica: quod cum quibuſdam diſplicuerit, typographus, qui editionem anni MDCLXVI. curavit, cum auctorem in epiſtola nuncupatoria ſummis laudibus cumulaſſet, ſub initium cujuſque tomi* Monitum ad Lectorem *appoſuit, quo non veretur tribuere* noſtrorum temporum corruptelae, *quod Sperellus, & ejus ſimiles tantopere extollant poteſtatem eccleſiaſticam. Lepidum ſane caput, anticyra curandum. Utinam non aliae eſſent noſtrorum temporum corruptelae.*

IV.

Paradoſſi Morali di monſignor Aleſſandro Sperelli, veſcovo di Gubbio. P. I

Paradoſſi Morali di monſignor Aleſsandro Sperelli, veſcovo di Gubbio, nunzio apoſtolico nel regno di Napoli. P. II., in Roma MDCLIII. *Pars prior prodiit rurſum Romae anno MDCLXVIII. & latine*

eine etiam verſa in Germania edita eſt, ex Armanno in cit. ep. ad Cartarium. Prodiere rurſum Venetiis, non parum aucta & re, & numero, haec Sperelli Paradoxa apud Paulum Balconium anno MDCLXVI.

V.

Il Veſcovo. In Roma per Giuſeppe Como MDCLVI. To. III. vol I. fol. *Idem opus, ut monuimus, poſtea prodiit latine editum, & Clementi X. ab auctore ipſo dicatum cum hoc titulo:*

Epiſcopus. Opus tripartitum Ethico-Politico-Sacrum, &c. Alexander Sperellus Eugubinus antiſtes, & collegio ſummi Pontificis throno aſſiſtentium Italico ſermone ſcripſit. Hannibal Adami Firmanus e ſocietate Jeſu plurimis, & maximis e Gallia, Hiſpania, Germania epiſcopis poſtulantibus idiomate latino donabat. *Editio Italica per auctorem Alexandro VII. dicata fuerat.*

V I.

Pareneſi Teletnrgica, in cui ſi ſcuoprono i teſori nel ſacrificio della Meſſa naſcoſti, ec. Aggiuntevi diverſe riſoluzioni della Sac. Congregazione de' Riti alla Meſſa appartenenti. In Venezia pel Valvenſe MDCLVIII.

V I I.

Ragionamenti Paſtorali di monſignor Aleſsandro Sperelli, ec. P. I. *Continet ſermones ad clerum XX.*

Ragionamenti Paſtorali, ec. In Roma MDCLXIV. *Continet ſermones XXVII. ad moniales.*

Ragionamenti Paſtorali, ec. In Roma MDCLXIV. *Sermones ad populum complectitur XLI.*

V I I I.

Della prezioſità della Limoſina di monſignor Aleſsandro Sperelli, ec. Venezia per Paolo Baglioni MDCLXVI., in 4.

I X.

La protezione di Maria Vergine, miracoloſamente eſercitata verſo de' ſuoi divoti, ſpiegata, e con morali rifleſſioni arricchita da monſignor Aleſsandro Sperelli, veſcovo di Gubbio, ne' Ragionamenti famigliari fatti al ſuo popolo. In Bologna per Giacomo Monti MDCLXXI., in 4.

X.

Poſſumus hic addere dioeceſanas ſynodos ſeptem, ab eo celebratas, quarum duae editae ſunt eo vivente, aliae poſt ejus mortem anno MDCXCVII. ut ſupra loco ſuo indicavimus. Jaco-

Jacobillus in bibliotheca Umbriae, quae, Sperello vivente, prodiit, nonnullos ejus ſermones, & orationem in translatione S. Joannis Laudenſis habitam memorat, quae omnia prius ſeorſim vulgata, poſtmodum edita ſunt inter ejus ſermones paſtorales.

Ut autem perennia ſunt Alexandri merita, & beneficia erga Eugubinos ſuos, ita ejus memoriam ſanctiſſime retinet univerſa civitas, eique quotannis a ſodalibus Sperelliis in aede cathedrali juſta ſolvuntur non ſine lugubri pompa, & apparatu, ſtatuto in medio templo eleganti cenotaphio, quod aliquando vidimus aeneis formis expreſſum. Alexandro Sperello ſucceſſor datus eſt Carolus Vincentius Toti, idque narrant ab Alexandro ipſo praenuntiatum, dum viveret (a).

LXIV.

CAROLUS VINCENTIUS TOTI.

Cum Ughellus de epiſcopis Eugubinis ſcribere deſiit, Alexander Sperellus legationem Neapolitanam obibat. Supplendus itaque fuit a Julio Ambroſio Lucentio prius, tum a Nicolao Coleto, quorum uterque multa de Sperello addidit, tum alios epiſcopos adjecerunt, ille quidem uſque ad Sebaſtianum Pompilium Bonaventuram, hic autem uſque ad Fabium Mancinforte. Sperello igitur ſucceſſit Carolus Vincentius Toti Romanus, J. U. D. & utriuſque ſignaturae referendarius, qui anno MDCLXXII. v. kal. Jul. epiſcopatum obtinuit, anno MDCXC. prid. id. Mar. moriens dimiſit, & in cathedrali templo ſepultus eſt. Monet Coletus, ut de hoc epiſcopo Vincentium Armannum conſulamus epiſtolarum vol. II. pag. 294. 29. 5., &c. Sed inde tamen nihil licet elicere, quod alicujus momenti ſit. Ejus meminit Ciampinius in ſyllabo Abbreviatorum de Parco Majori (b).

LXV.

SEBASTIANUS POMPILIUS BONAVENTURA.

Ex familia Bonaventura apud Urbinates antiqua, & nobili Sebaſtia-

(a) *Lucent. in ep. Eugub. de Alex. Sperel.* (b) *Pag. 47.*

ſtianus Pompilius anno MDCLII. kal. April. natus eſt, parentibus Zerbino Bonaventura, & Lavinia Uberta. Fratres habuit Alexandrum, qui diu, & cum dignitate in aula Pontificia verſatus eſt Clementis XI. eleemoſynarius, & Guidonem praefectum arcis Ferrarienſis, tum Fabium in illa arce centurionem, ac Joannem Bernardinum arcis Leopolitanae praefectum. Elegantiores primum literas, tum graviores diſciplinas ſtudioſe coluit Sebaſtianus Pompilius: quare & in patria academia, vulgo *degli Aſſorditi*, & inter Arcades Romanos floruit, & juris utriuſque, philoſophiae ac theologiae lauream obtinuit. Annos natus duo, & viginti in collegium canonicorum eccleſiae Urbinatis cooptatus eſt. Interea Juriſprudentiae ſtudium non intermiſit; anno enim MDCLXXX. & MDCLXXXI. licet canonicatu inſignitus, ex indulgentia Pontificis, in Maſſa Trabaria juri dicundo praefuit: commiſſarium vocant, qui eo munere fungitur. Triennio poſt, anno ſcilicet MDCLXXXIV. cum eccleſia Urbinas vacaſſet, vicarius capitularis creatus eſt poſtridie kal. Nov., atque id munus geſſit uſque ad III. id. Nov. anni inſequentis, cum Urbinatium antiſtes creatus eſt Antonius Franciſcus Robertus Recinetenſis. Poſt biennium Capuam conceſſit Cardinali Cavalerio, quem in urbe Roma graviora ſedis apoſtolicae negotia occupatum habebant, vicariam operam praeſtiturus in ejus civitatis epiſcopatu adminiſtrando. Is ei gradus poſtremus fuit ad cathedram Eugubinam, ad quam evectus eſt ab Alexandro VIII. anno MDCXC. v. kal. Dec., ac v. kal. Jan. ingenti omnium plauſu epiſcopatum injit. Erat jam tum Eugubinis cariſſimus Sebaſtianus Pompilius, quippe qui Fabritio Cardinali Spada legationem Urbinatem gerente ejuſdem locumtenentis munus apud Eugubinos exercuit, qui eum grati animi cauſa in patriciorum albo adſcripſerant. Eum vero epiſcopatum multos annos ſapientiſſime adminiſtravit, hoc prae ceteris monumento ſui nominis apud Eugubinos relicto, quod ſeminarium in ea civitate non quidem conſtruxit, ut eſt in auctariis Ughellianis, ſed amplificavit, ornavitque. Eſt id etiam de eo commemorandum, quod anno MDCCI. VIII. id. Maii ſuburbanam paraeciam S. Mariae in Padule erexit, diſtracta ſcilicet non exigua parte paraeciae S. Auguſtini, quae late extra muros urbis protendebatur, & adjuncta propinqua Colognolae paraecia, quae per ſacerdotem adminiſtrabatur in ea minime reſidentem. Reſtat aliud ejus curae, ac paſtoralis vigilantiae monumentum in ſynodo dioecelana, quam habuit Eugubii anno MDCXCV. VII. VI. v. kal. Octobris. Anno demum MDCCVI. XVII. kal. Dec. ad eccleſiam Montisfaliſci cum Cornetana conjunctam a Clemente XI. translatus eſt, ubi ex ejus actis

id

id maxime memorandum eſt, quod kal. Sept. an. MDCCXIX. annuente Pontifice Jacobum III. Magnae Britanniae regem, & Mariam Clementinam Subjeskam in matrimonium conjunxit apud Montemſaliſcum in ſuis aedibus, quas regii conjuges bimeſtri poſt hoſpitio dignati ſunt; quodque ab iiſdem, anno poſtero exeunte, Romam advocatus, primum eorum filium baptizavit eo ipſo die, quo natus eſt, ſcilicet prid. kal. Jan. Cetera ejus acta afferre inſtituti noſtri non eſt.

LXVI.

FABIUS MANCINFORTE.

I. Natus eſt Fabius Mancinforte anno MDCLXIV. xiv. cal. Aug. ex familia apud Maceratenſes in Picentibus conſpicua imprimis & illuſtri, quae cum poſtea Anconam migraſſet, in ea nunc civitate maxime floret, atque in ea eſt vir ampliſſimus Nicolaus Mancinforte, Fabii nepos, olim Senogallienſium, nunc Anconitanorum antiſtes, cujus vel nomen commemoraſſe ſumma laus eſt. Sed Fabius cum Romam in tenera admodum aetate miſſus eſſet, liberaliſſimae educationis fructum optimum tulit; nam & ſtudio pietatis primas partes detulit, & animum ſtudiis literarum ſedulo intendit, ut etiam utriuſque juris lauream ſit conſecutus. Ea duplici cura unice occupatus Romae egebat Fabius, annos jam natus tres & quadraginta, cum a Clemente XI. ad epiſcopatum Eugubinum poſtulatus eſt an. MDCCVII., Sebaſtiano Pompilio Bonaventura ad Montemſaliſcum migrante. Erat tunc Fabius vix minoribus ordinibus initiatus, ac vitae privatae dulcedine captus, nihil minus cogitabat, quam eccleſiaſticam praefecturam. Sed tamen ſapientiſſimus Pontifex eo munere digniſſimum judicavit, quod eum, & iis maxime literis eruditum noverat, quae hominem Deo dicatum decent, eaque pietate, iiſque moribus, quos in paſtoribus animarum requirere ſolemus. Accedebat & prudentiae non vulgaris commendatio, propterea quod ſumma cum laude archiconfraternitates Ss. Annunciatae, & quam de Charitate vocant, aliaque pia loca in urbe adminiſtraret, *Deputati*, ut appellant, munere in eam uſque diem perfunctus, quam non immerito dixeris quandam eccleſiaſticae procurationis ſpeciem, quae majoris officii praeſagium fuerit. Is vero cognita voluntate Pontificis, & rei novitate perculſus, dari ſibi ſpatium ad deliberandum petiit. Atque ut Deum quam liberrime poſſet conſulere, ad miſſionis aedem convolavit, ubi menſes pluſculos fuit huic uni rei, & cogitationi intentus.

In

In eo ſeceſſu priores duos ex ſacris ordinibus ſuſcepit, cumque ſibi jam ſatis eſſet perſpectum, divinae voluntatis interpretem meliorem eſſe neminem, quam Chriſti vicarium, ſubjecit humeros paſtorali oneri, atque ex indulgentia Pontificis, ea lege ſolutus, quae hominem vetat non ſacerdotem creari epiſcopum, Eugubinorum epiſcopus renunciatus eſt, cum nondum eſſet ſacerdotio initiatus. Sed cum vetus eſſet controverſia de jure metropolitico archiepiſcopi Urbinatis in eccleſiam Eugubinam, in ea electione cautum eſt a Pontifice, ne ea res Urbinati archiepiſcopo fraudi eſset.

II. Igitur Fabius ei eccleſiae praefectus, vix dici poteſt, quam ſtudioſe partes omnes difficillimi muneris expleverit. Summum in eo fuit, ac perpetuum religionis ſtudium, atque indefeſſa vigilantia: ſumma humanitas in omnes. Tum, ut erat non admodum quidem eccleſiaſtico cenſu, ſed ſatis tamen paternis opibus dives, in pauperes, & loca pia ſuae civitatis, & dioeceſis ſumma ejus liberalitas fuit, & munificentia. Sed cum natura mitiſſimus eſset, & ſuaviſſimis moribus, quae ejus familiae, ex qua eſt genitus, quaſi quaedam communis laus eſt, animo tamen forti, & magno, quoad licuit, libertatem eccleſiae ſuae defendit adverſus archiepiſcopum Urbinatem, quae res praeter cetera ejus merita, plurimum valuit ad Eugubinorum animos ſibi devinciendos.

III. Vixdum epiſcopatu ſuſcepto, bene de ſua eccleſia mereri coepit, cujus & patrimonium, fortaſſe non ſatis induſtrie antea adminiſtratum, recte conſtituit, compoſuitque, & aedes epiſcopales reſtauravit, & auxit. Romam anno MDCCXII. a Pontifice accitus canonizationi Ss. Pii V., Andreae Avellini, Felicis e Cantalicio, & Catharinae Bononienſis interfuit. Cumque plures eccleſias in ſua dioeceſi, contra morem, & inſtituta majorum, nondum rite dedicatas eſſe intellexiſſet, dedicare ipſe ſingulas inſtituit. In his fuere eccleſia S. Mariae in foro Pergulano, & quatuor praeterea in eodem oppido, nimirum S. Andreae, S. Auguſtini, S. Petri, & ea, quam fratres ordinis Servorum obtinent. Tum apud Cantianenſes eccleſiam S. Nicolai dedicavit, & S. Hieronymi eremitarum Camaldulenſium in ſummo appennini jugo, quem locum, vel ex adjecentis regionis, vel ex ipſius montis nomine, eremum *Paſſi lupi*, alias di *Montecucco* appellant; & S. item Hieronymi Minorum obſervantium reformatorum prope Eugubium. Eſt illud etiam hic minime praetereundum, quod anno MDCCXXI. III. cal. Sept. S. Ubaldi corpus in novam perelegantem arcam collocavit.

IV. Epiſcopatum cum geſſiſſet Fabius ad annum uſque MDCCXXV.

Romam profectus est ad concilium vocatus, quod a Benedicto XIII. in basilica Lateranensi celebratum est. Sed cum per idem tempus Pontifici placuisset, veterem controversiam, quae erat inter episcopum Eugubinum, & archiepiscopum Urbinatem de jure metropolitico, omisso forensi judicio, summaria cognitione definire, Fabius causa cecidit, pronuntiante Pontifice pro archiepiscopo Urbinati, cui ecclesiam Eugubinam, avulsam a provincia Romana, subjectam esse decrevit. Extat ea de re Pontificis constitutio (a), quae edita est x. cal. Junii, concilio Romano nondum absoluto. Sed tamen Fabius Mancinfortius episcopus Eugubinus cum ceteris patribus post dies aliquot ejus concilii acta subscripsit. Miror autem, cur nulla ejus rei mentio sit in actis diurnis concilii Romani, quae typis edita leguntur.

V. Sed Fabius cum vetere studio privatae vitae teneretur, & gravate ferret omnem sibi viam praeclusam esse ad sponsae suae libertatem tuendam, episcopatum coram Pontifice abdicavit. Hic vero mirum in modum ejus cum abstinentia emicuit, & terrenarum opum contemptus, tum amor plane singularis in ecclesiam Eugubinam; annuam enim pensionem, haud exiguam, ex redditibus episcopatus Eugubini a Pontifice oblatam repudiavit, professus se id facere, ne successori suo deesset unde posset benemereri de vetere sponsa sua, quam non satietate ulla, sed quadam potius nimietate amoris dimittebat. Pontifex autem, ut erat optimus istarum rerum aestimator, adeo factum probavit, ut pari annuo munere, aliunde corraso, Fabium postea donarit.

VI. Igitur episcopatu abdicato Fabius Anconam se recepit apud suos, archiepiscopi Neopolitani titulo a Pontifice honestatus, ubi reliquum vitae suae tempus pietatis officiis impendit, carus omnibus, atque imprimis Prospero Lambertino S. R. E. Cardinali, qui tunc erat Anconitanorum episcopus, nunc magno reipublicae christianae bono universalem ecclesiam moderatur. Is enim candidos Fabii mores amavit plurimum, & solidam, minimeque fucatam pietatem. Quare quamdiu Anconae fuit, ejus etiam opera saepissime est usus, praesertim in sacris ordinationibus cleri sui peragendis. Obiit Fabius septuagenario major anno MDCCXXXIX. III. kal. Mar. ac postero die apud fratres Praedicatores in novum sepulcrum gentis suae, quod frater ejus Joannes Mancinforte marchio in sacello Rosarii, ab se condito exstruxerat, primus omnium illatus est. Post mortem testamento aperto compertum est, nummos aureos mille quingentos ecclesiae Eugubinae ab eo legatos, quo magis etiam apparuit, qui ejus amor fue-

(a) *Bullar. Benedicti XIII. constit. LXXI.*

fuerit ad extremum uſque ſpiritum erga ſponiam ab ſe relictam. Eugubini vero cum ejus diſceſſum acerbiſſime tuliſſent, mortem lacrymis proſecuti ſunt, & juſta in cathedrali aede non ſine quadam ſpecie publici luctus perſolverunt; memoriam vero tam cari patris nunquam apud eos interituram ſanctiſſime retinent. Eſt ad ejus ſepulcrum hic titulus:

JOANNES MANCINFORTE
MARCHIO GALERIAE PATRICIUS ANCONITANUS
FABIO MANCINFORTE
EPISCOPO EUGUBINO ARCHIEPISCOPO NEOPOLITANO
FRATRI DULCISSIMO ATQVE INCOMPARABILI
QVI PRID. KAL. MART. ANNO DNI. MDCCXXXIX.
OBDORMIVIT IN DOMINO
SIBI ET POSTERIS.

LXVII.

SOSTENEUS M. CAVALLUS.

I. In vico agri Alexandrini Ovilio in Inſubribus, ex honeſtis parentibus natus eſt Soſteneus M. Cavallus, quamquam non id primo nomen geſſit, ſed cum ordinem Servorum ingreſſus eſt. In eo ordine per omnes honorum gradus ad ſupremam praefecturam aſcendit, & theologus inter ſuos illuſtris, & concionator inſignis, non admodum ſane vehemens, ſed ditertus, & ſuavis. Cum celebraretur ejus nomen in urbe, eſſetque & Benedicto XIII. & Cardinali S. Clementis Hannibali Albano cariſſimus, abdicante Fabio Mancinforte, epiſcopus Eugubinus renunciatus eſt anno MDCCXXV. VII. id. Sept., cum jam Pontificio decreto Eugubina eccleſia metropoli Urbinati ſubjecta fuiſſet. Itaque primus omnium Soſteneus in eam ſubjectionem conſenſit, quod ſuperiores omnes, lite adhuc pendente, reculaverant. Triennio poſtquam epiſcopatum ſuſcepit, hoc eſt anno MDCCXXVIII. idibus Sept. XVIII. & XVII. kal. Oct. ſynodum dioeceſanam celebravit, quae poſtea nitidiſſimis typis Gavellianis Piſauri edita eſt. Sunt autem ejus ſynodi conſtitutiones ejuſmodi, ut praeclari antiſtitis prudentiam, doctrinamque, & rerum eccleſiaſticarum cognitionem magnopere commendent, ac genere ipſo ſcriptionis puro, ac ſimplici mirum in modum delectant. Eodem anno corpus S. Vilani epiſcopi, quod in aede cathedrali aſſervatur, rite inſpectum, & recognitum novis veſtibus induit IV. cal. Maii, die vero XI. calendis Octobris puellare S.

Luciae cum antiquo S. Lucae parthenone apoſtolica auctoritate conjunxit, perpetuae clauſurae lege indicta. In utroque Dominicanum inſtitutum vigebat, ſed quae ad S. Luciae erant ex tertio ordine dicebantur. Pertinet etiam ad eum annum dedicatio eccleſiae monialium S. Benedicti; quae non ita pridem in elegantiſſimam formam a fundamentis refecta fuerat, quaeque III. id. Jun. dedicata eſt. At reformationem ejus nobiliſſimi monaſterii quinquennio poſt, anno ſcilicet MDCCXXXIII. VII. id. Jul. perfecit, quo die moniales ſingulae vitam communem ſe impoſterum ſervaturas coram eo profeſſae ſunt. Idem conſilium agitaverat Soſtenei anteceſſor, Fabius Mancinforte, atque ea de re ſcripſerat ad celebratiſſimam illam Dei famulam Paulam de voluntate Dei, quae & in oppido Meldula, & aliis locis Cappuccinarum inſtitutum propagavit, & multa ſanctimonialium collegia ſeverioris diſciplinae legibus informavit. Sed cum alibi occupata id oneris ſuſcipere tunc non potuiſſet (a), ea cogitatione in aliud tempus rejecta, Eugubium poſtea venit non minus ab antiſtite Soſteneo expetita, quam a monialibus ipſis, a quibus amantiſſime excepta, cum in eo monaſterio aliquamdiu fuiſſet, & voce, & exemplo Clariſarum diſciplinam ad veterem formam feliciſſime reſtituit. Idem poſtea actum eſt cum monialibus Ss. Trinitatis ejuſdem inſtituti, quas ad vitam in communi agendam, pari facilitate, prudentiſſimus epiſcopus adduxit anno MDCCXXXVI. III. id. Febr.

II. Anno MDCCXXIX. kal. Nov. corpus B. Fortis eremitae Avellanenſis, quod eſt incorruptum in cathedrali aede, ſolemniter recognovit, ac ſubinde apud ſedem apoſtolicam agi coeptum eſt de eo in ſanctorum album referendo, ut in diſſertatione praevia dictum eſt. Anno autem MDCCXL. qui erat a beati eremitae obitu ſeptingenteſimus, ejus ſeculare ſacrum magnificentiſſime celebratum eſt, in quo Soſteneus epiſcopus inter miſsarum ſolemnia orationem habuit de beati viri laudibus eloquentiſſimam. Corpora etiam B. Petri Auguſtiniani, quod ad divi Auguſtini conditum eſt, & B. Archangeli Canetoli Canonici Regularis S. Salvatoris, quod eſt ad divi Ambroſii, anno MDCCXXXVII. recognita ſunt, & primum quidem petentibus ejus loci patribus, alterum autem, quod de publico ejus cultu vindicando apud ſedem apoſtolicam agebatur. Anno MDCCXLIV. XVIII. kal. Octob. collegium canonicorum apud Pergulanos inſtitutum eſt ad divi Andreae. Erat olim ea eccleſia monachorum Avellanenſium.

Poſt

(a) *Conſtant haec omnia ex literis Paulae ipſius ad Florianum M. Amigonium abbatem Camaldulenſem, notiſſimae probitatis, & doctrinae virum, qui ejus conſcientiam moderabatur, eamque ſuis conſiliis regebat, quas literas penes me habeo.*

Poſt autem exactis monachis per ſecularem ſacerdotem recta eſt, qui primum dignitatis locum in clero Pergulano obtinebat. Hic igitur honorificentiſſimo Benedicti XIV. P. M. decreto canonici duodecim inſtituti. Eos epiſcopus canonico habitu induit, & in poſſeſſionem ejus eccleſiae induxit ex praeſcripto Pontificis, habita ad eoldem, atque ad univerſum populum, qui ex vicinis locis, nedum ex eo oppido, frequentiſſimus convenerat, eleganti oratione, quae omnium plauſu excepta eſt.

III. Novum quoque piorum hominum ſodalitium ſub S. Ubaldi tutela in ſuo cathedrali templo erexit, ac vetus extinxit eorum, quos vulgo *i Roſſi* appellabant, quod propter paucitatem ſodalium cum dignitate ſuſtineri non poterat. Id vero maxime ex ejus actis commemorandum, quod licet Eugubini epiſcopatus haud magni ſint redditus, abunde tamen habuerit unde egenis opem ferret, & novam, atque elegantem fratribus ſui ordinis eccleſiam erigere potuerit, ex quo facile quivis intelligere poteſt, quae ejus eſſet in victu, & reliquo cultu domeſtico frugalitas, & modeſtia. Sed anno demum MDCCXLVII. idibus Auguſti, cum ad Alfiolanam abbatiam divertiſſet, ut ibi Deiparae Aſſumptae feſtum celebraret, eſt enim is locus Deiparae Aſſumptae dicatus, ſubito anginae morbo correptus, ſive, ut alii poſtea judicarunt, ex vomica in faucibus exorta, poſtero die extinctus eſt, annos natus ſeptuaginta quinque, condito pridem teſtamento, quo haeredes ex facultate apoſtolica inſtituerat ſodales ſuos ordinis Servorum. Raynaldus Repoſatus is, qui tam ſaepe a nobis commemoratus eſt, extrema ſacra Soſteneo miniſtravit, & morienti adfuit, eſt enim Alfiolana abbatia intra fines paraeciae S. Mariae in Padule, cui praeeſt Repoſatus. Deſuncti corpore ad urbem delato, funus ei celebratum eſt in aede cathedrali frequenti Eugubinorum concurſu, deflentium optimi patris interitum, ubi & laudatus eſt ab uno ex ſuis ſodalibus, viro docto, & eloquenti. Corpus autem in eccleſia ſui ordinis, quam ſupra diximus ab eo aedificatam, tumulatum eſt.

LXVIII.

JACOBUS CINGARUS.

Paulo poſt Soſtenei Cavalli deceſſum epiſcopus Eugubinus creatus eſt Jacobus Cingarus Bononienſis. Natus eſt is ex antiqua familia, quae non hoc primum tempore illuſtres viros, doctrinaque praeſtantes edidit. Eorum veſtigiis a primis annis inſiſtens Jacobus, poſt elegan-

legantiora ſtudia, ſedulam operam juriſprudentiae impendit, ſeque ad forum eccleſiaſticum tempeſtive admodum contulit, in quo diu multumque verſatus eſt antequam ad epiſcopatum eveheretur. Itaque in curia epiſcopali Bononienſi aſſiduus fuit apud Joannem Jacobum Millo, qui tum Bononiae jus dicebat Proſperi Lambertini archiepiſcopi vicarius generalis, nunc autem archiepiſcopo ipſo, ad Petri cathedram aſſumpto, prodatarii ampliſſimo munere fungitur. Poſt adeo illuſtre forenſis diſciplinae tyrocinium Ravennam, adhuc admodum juvenis, accitus eſt Jacobus Cingarus a Maphaeo Nicolao Farſetto archiepiſcopo, a quo vicarius generalis creatus eſt, quod munus cum ſumma doctrinae, & prudentiae laude aliquandiu ſub Farſetto ipſo, ac poſtmodum ſeptennio fere ſub Ferdinando Romualdo Guicciolo, Farfetti ſucceſſore, geſſit, atque inde ad ſedem Eugubinam evectus eſt, in qua ea agere inſtituit jam inde ab ipſo epiſcopatus exordio, quae ampla ſcribendi materiem ſuppeditabunt iis, qui poſt me de Epiſcopis Eugubinis acturi erunt. Itaque optimo antiſtiti, cujus ego humanitatem, ac beneficentiam ſaepiſſime ſum expertus, annos multos, eoſdemque feliciſſimos a Deo precatus, memor antiqui illius praecepti, *ne laudes hominem in vita ſua*, ejus praeclara geſta aliis ſcribenda relinquo, atque hic tandem calamum longo, & inamoeno labore feſſum depono.

FINIS.

ELEN-

ELENCHUS
EPISCOPORUM
SANCTAE EUGUBINAE ECCLESIAE,

De quibus ſupra actum eſt, ſive veri, & legitimi ſint, ſive ſpurii, & perperam intruſi.

Ss. AGAPIUS, ET SECUNDIN. *Pag.* 1
LEONTIUS. 9
PROBUS. 12
TUNNIUS. 13
PAULUS. *ibid.*
FELIX. *ibid.*
DIONISIUS. *ibid.*
I. DECENTIUS. *ibid.*
FLORINUS. 16
ANASTASIUS. *ibid.*
AGAPITUS. *ibid.*
MARCELLUS. *ibid.*
THEODORUS. *ibid.*
FRUCTUOSUS. 17
II. GAUDIOSUS. *ibid.*
FORTUNIUS. 19
DEODATUS. *ibid.*
PROBINUS. *ibid.*
VIGILIUS. *ibid.*
BENENATUS. *ibid.*
PALMERIUS. *ibid.*
QUINTIANUS. *ibid.*
III. FLORENTINUS. 20
IV. BENENATUS. *ibid.*
V. ERFO. *ibid.*
ARDANICIUS. 21
JOANNES. *ibid.*
VI. ARSENIUS. *ibid.*
VII. DOMINICUS. *ibid.*
VIII. JOANNES. 22
LODULPHUS. *ibid.*
IX. JULIANUS. 25
X. THEUDALDUS. 26
XI. GUIDO. 28
XII. S. RODULPHUS. 31
XIII. MAINARDUS. 58
XIV. HUGO. *ibid.*
XV. DOMINICUS. 60
XVI. RUSTICUS. 61
XVII. S. JOANNES LAUDENSIS *ibid.*
XVIII. JOANNES. 82
XIX. STEPHANUS. 83
XX. S. UBALDUS. 84
XXI. THEOBALDUS. 107
XXII. BONACTUS. 111
XXIII. OFFREDUS. 115
XXIV. BENTIVOLUS. 121
XXV. MARCUS. 126
XXVI. RAPHAEL. 128
XXVII. ALBERTUS. 129
XXVIII. VILANUS. 130
XXIX. PAULUS. 146
XXX JACOBUS. 147
XXXI. JACOBUS. 154
XXXII. BENVENUTUS 158
XXXIII. VENTURA. 163
XXXIV. FRANCISCUS. 170
XXXV. PETRUS. 185
XXXVI. HUGO. 188
XXXVII. FRANCISCUS. 189
XXXVIII. VASIANUS. *ibid.*
XXXIX. JOANNES. 190
XL. JOANNES. 196
XLI. GABRIEL. 197
ADAMUS. 102
ARNOLDUS. *ibid.*
XLII. LAURENTIUS. 203
XLIII. BERTRANDUS. *ibid.*
XLIV. MATTHAEUS 204
XLV. FRANCISGUS BILIUS. 205
XLVI. ANTONIUS SEVERIUS. 207
XLVII. JOANNES. 209

XLVIII. CORRADUS VESPIUS. *ibid.*
XLIX. LEONARDUS GRYPHUS. 210
L. HIERONYMUS ROBOREUS. 214
LI. FRANCISCUS ROBOREUS. *ibid.*
LII. ANTONIUS FERRERIUS. 215
LIII. FRANCISCUS FREGOSIUS. 216
LIV. PETRUS BEMBUS. 221
LV. MARCELLUS CERVINUS. 222
LVI. JACOBUS SABELLUS. 225
LVII. MARIANUS SABELLUS. *ibid.*
LVIII. ANDREAS SORBOLONGUS. 227
LIX. ALEXANDER DE MONTE. 228
LX. PETRUS CARPINEUS. 229
LXI. ULDERICUS CARPINEUS. 230
LXII. HORATIUS MONALDUS. 231
LXIII. ALEXANDER SPERELLUS. 235
LXIV. CAROLUS VINCENTIUS TOTI. 246
LXV. SEBASTIANUS POMPILIUS BONAVENTURA. *ibid.*
LXVI. FABIUS MANCINFORTE. 248
LXVII. SOSTENEUS M. CAVALLUS. 251
LXVIII. JACOBUS CINGARUS. 253

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

ADamus pſeudepiſcopus Eugubinus, *pag.* 202.
Agapitus ep. Eugub. fictitius, 16.
SS. Agapius, & Secundinus, an epiſcopi Eugubini, 1. Eorum corpora Eugubii, 2. Acta eorum apocrypha, 4. Translatio apud Pergulenſes, 7. 8.
S. Agnetis monaſterium erectum, 160.
S. Albertinus mediator inter epiſcopum, & commune Eugubii, 159. Ejus obitus, 162.
Alfioli caſtrum aquirunt Eugubini, 156.
Alexandri II. privilegium pro eccleſia S. Lucae, 58.
Alexander Sperellus ep. Eugub. 235. Ejus geſta, *ibid.*, & *ſeq.*
Anaſtaſius ep. fictitius, 16.
Andreas de Monte ep., 228.
Andreas Sorbolongus ep. creatur, 227. Ejus geſta, *ibid.*, & *ſeq.*
Angelinus Guido Ubaldus laudatus, IX.
Annales Eugubinos an ſcripſerit Oſfredus ep., 115.
Archiepiſcopus *Amalphitanus* Bertrandus, 204. *Arborienſis* Petrus, 161. *Beneventanus* Leonardus Gryphus, 213. *Colonienſis* Philippus, 125. Rainaldus 113. *Jaderenſis* Lampridius, 109. Theobaldus, 100. *Moguntinus* Gerardus, 161. *Neopolitanus* Fabius Mancinſorte, 250. *Salernitanus* Federicus Fregoſius, 216.
Avellanitae ex eremitica ad monaſticam vitam tranſeunt, 174. Iidem ab epiſcopi juriſdictione exempti, 169.
Ariminenſis epiſcopus procuratores in eccleſ. Eugub. inſtituit, 147.
Arnoldus pſeudepiſcopus Eugub. 202.
Arolanicius ep. fictitius, 21.
Arſenius ep. Eugub., 25.
Avellanenſis eccleſiae dedicatio, 127.
Avellanitae incluſi durioribus jejuniis ſe exercebant, 67.
Avellanitarum caſtra Eugubinis conceſſa, 156.
Avellanae monaſterium an in dioeceſi Eugub., LXXXV.
Auguſtiniani eremitae ad divi Ambroſii inſtituti, 185. Ejus loci reformatio, 206.

B

Baptiſmus immerſione collatus ſaeculo XIV. 179.
Benedictus Cavalcantius an ep. Eugubinus, 196.
Benenatus ep., 20.
Bentivolus ep. S. Ubaldi canouizationem procurat, 122.
Benvenutus ep., ex ord. Min. praedicator celebris, 158.
Bonaceus ep. non fuit Avellanae prior, 111.
Brachius Peruſinus Eugubium obſidet, 207.
Branca caſtrum Eugubinis accedit, 156.
Buranus fl., & Buranum caſtrum, 143.

C

Cadalous quinquennio eccleſiam vexat, 44.
Calicem argenteum habeant omnes eccleſiae plebanales, 177.
Callienſes ſe ſubmittunt Eugubinis, 128. Ab Eugubinis victi, 155.
Camporegianum monaſterium, 131. 132.

Candilianus fl. 143. An Cantiano caſtro nomen dederit, *ibid.* Vetus oppidum ad ejus ripam, 144.
Cantianum caſtrum ab Eugubinis conditum, 140. Ejus caſtri initia. 12.
Canonici Eugubini a S. Petro Damiano reformati, LXXVI. a S. Ubaldo, *ibid.*, & 95. A Philippo Firmano ep. LXXVII. 158.
Canonici Regulares S. Auguſtini comitia provincialia agunt in cathedrali Eugubina, LXXVIII. 188.
Canonici regulares eccleſiae Eugub. ſaeculares facti, 218.
Canonici regulares Lateranenſes Eugubium inducti, 221.
Canonicus ordo ſecundum regulam S. Auguſtini in eccleſia Ss. Secundini, & Agapii, 88.
Canonici S. Jo: Vitiſgroſſae, LXXVI. 120. S. Chriſtinae, 232. Ad divi Hieronymi, 191.
Canonicorum Portuenſium regula, 95.
Capuccinae moniales Eugubium inductae, 226.
Carolus Vincentius Toti epiſcop. 246.
Carceres, ſeu cellae poenitentium, 160. 180. 182.
Cereos accendunt Eugubini S. Ubaldo ad vitae finem properante, 102.
Chriſtianae religionis propagatio, LXXI.
Ciniſcus amnis Pergulam alluens, 141.
Clemens II. obiit in monaſterio S. Thomae de Apuſella in agro Piſaurenſi, 41.
Coadiutor epiſcopi Eugub. Fidantia, mox Leonardus, 155.
Conſules Eugubini, 115. 138.
Conſul Callienſis, 128.
Coſtacciarium caſtrum ab Eugubinis conditum, 140.
Corraddus Veſpius ep., 209.

D

Decentius ep. S. Innocentio I. aequalis. 13. Ejus acta. *ibid.*, & *ſeq.*
Dedicatio eccleſ. Avellanenſis, 127. S. Antonini in Gualdo Catano, 155. Fr. Praedicatorum Eugubii, 160. S. Salvatoris ordinis S. Clarae, 162. S. Salvatoris de Montemalbo, CXXII.
Deodatus ep. fictitius, 19.
Dies Ægyptii a ſuperſtitioſis invecti, CXXVII.
Dionyſius ep. fictitius, 13.
Diploma Nicolai II., 45. Innocentii II., 88. 93. S. Ubaldi, 89. Celeſtini II., 93. Alexandri III., 111. 116. Offredi ep., 110. Lucii III. 121. Celeſtini III., 121. 122. Clementis III. 123. Henrici VI., 124. 126. Friderici I., 113. Innocentii III. 129. Honorii III., 132. Gregorii IX., 137. Bonifacii VIII., 165. Petri Gabriellii ep., 185. Joannis ep. 192. Bonifacii IX., 204.
Dominicus I. ep., 21. II. ex monacho Avellan., 60.
S. Dominici Loricati obitus quo anno acciderit ex Baronii calculo, 36. ex Grandio, *ibid.* Ad eum annum definiendum conjecturae plures, 37. Octavii Turcii canonici Pirani opinio, 54.
S. Donati moniales ad S. M. de Pelagio deductae, 208.

E

Epiſcopatus frequentes primis eccleſiae ſaeculis, LIX.
Epiſcopus *Albanenſis* Uldericus Carpineus, 231. *Albigaunen.* Hieronymus Roboreus, 214. *Amerinus* Petrus, 19. *Anagninus* Nicolaus, 21. *Aprutinus* Jacob. Sabellus, 225. *Aretinus* Theobaldus, 26. *Aſculanus* presbyter, 89. *Aſſiſinas* Fr. Nicolaus, 155. Simon. 160. *Auximanus* Munaldus, 161. *Bergomenſis* Petrus Bembus, 221. *Callienſis* Hugo, 29. Alloderius, 138. Antonius Severius,

rius, 207. *Cluſinus*, ut videtur, Venantius, 18. Petrus, 159. *Camers* Rambocius, 161. *Caſtellanus* Petrus, 189. *Coimbricenſis* Aymericus, 161. *Faenſis* Adiutus, 150. *Ferrarienſis* Fridericus, 161. *Firmanus* Philippus, 158. *Forolivien.* Rodulphus, 161. *Foroſempronien.* Munaldus, 32. Adulphinus, 39. *Friſingenſis* Otto, 125. *Fulginienſis* Bernardus, 160. *Gabinus* an Rodulphus? 39. Leo, 39. Petrus, 40. 42. 43. *Guardienſis* Benedictus, 196. *Mimatenſis* Franciſcus, 214. *Montis Faliſci* Sebaſtianus, 247. *Narnienſis* Vilaris, 19. *Neocaſtrenſis* Marcellus Cervinus, 222. Jacobus Sabellus, 225. Marianus Sabellus, *ibid.* *Nepeſinus* Lituardus, 161. *Nolanus* Antonius, 215. *Novarienſis* Bonifacius, 125. *Nucerinus* Laurentius, Lotharius, Monaldus, 112. Fideſmidus, 39. *Orthonenſis* Alexander Sperellus, 335. *Oſtienſis*, & *Veliternus* Petrus Damianus, 30. Ubaldus, 117. Albricus, 88. Nicolaus, 160. *Parentinus* Boniſacius, 161. *Peruſinus* Venantius, 18. *Portuenſis* Theodinus, 117. *Praeneſtinus* Paulus, 117. Stephanus, 88. *Recinetenſis* Hieronymus, 214. *Regii Lepidi* Marcellus Cervinus, 222. *Regienſis* Benedictus, 196. Joannes, *ibid.* *Sabinenſis* Conradus, 88. *Senogallienſis* Theodoſius, 31. R. 32. Viſdonus, 39. Traſmundus, 89. *Spoletanus* Bartholomaeus, 155. Laurentius, 203. *Tadinas* Facundinus, 18. *Tiſernas* Petrus, 26. Jacobus, 160. Jo: Baptiſta Lactantius, 54. *Tiraſonenſis* Petrus, 161. *Tuſcanus* ex conjectura Venantius, LXXXIV. *Verulanus* Lotherius, 161.

Epiſcopus Albertus in Oſtienſi epiſcopatu pro S. Petro Dam. adminiſtrator, 49.

Epiſtolae Innocentii I. ad Decentium, 13. Gregorii M. ad Gaudioſum, 17. Gregorii IX. ad Eugubinos, 136. Clementis IV. ad eoſdem 156.

Erfo ep., 20. Idem ac Joan. videtur, 21.

Euchariſtiae, & olei infirmorum cuſtodia, 177.

Eugubina eccl. quam antiqua, LXXII. *ſeq.* Ejus libertas, LXXXI. Nunc quam in metropoli eccleſiaſtica Ravennate contenta, *ibid.* Archiepiſcopo Urbinati ſubjecta, LXXXIII. dioeceſis extenſio, LXXXIV.

Eugubini bellum habent cum Peruſinis, 126. 127. Cum Callienſibus, 152. 153. 156. Caſtra emunt., 153. Foedus ineunt cum Callienſibus, 162. Peſtilentia afflicti, 162. Comiti Montiſeretri ſe tradunt, 202. Pergulae dominium amittunt, 203. Redeunt ad S. Sedem, LXIV.

Eugubium civitas Umbriae, XIII. Ejus ſitus, *ibid.* Nomen, XV. Ana Pelaſgis conditum, LII. A Caeſarianis occupatum, LI. An a Gothis captum, 15. In Pentapoli provincia, LIX. A Ghibellinis occupatum, 190. Ab epiſcopo Gabriellio, 200. Incendio vaſtatum, 96. Obſidetur ab exercitu vicinarum civitatum, 100. Reaedificatum, & ampliatur, 123. 138. Obſeſſum a Brachio Peruſino, 207.

Eugubium recipit Neapoleo Urſinus pro Rom. eccleſia, 170.

F

Fabius Mancinforte ep., 248. *ſeq.*

Federicus Fregoſius ep., 216.

S. Feliciſſimi eccleſia apud Eugubinos, 89. Ejus reliquiae ibi aſſervatae, 91.

Felix epiſcopus fictitius, 13.

Feminis a turpi vita converſis domicilium Eugubii paratum, 229.

Florinus ep. confictus, 16. Fortunius item, 19.

B. Fortis obiit an. 1040. 27.
Forum Ciniſci, 141.
S. Franciſcus S. Vilani ep. amicus, 137.
Franciſcus I. epiſcopus. 170.
Franciſcus II. ep., 189.
Franciſcus III. Billius ex abbate divi Petri epiſcopus, 205.
Fructuoſus ep. fictitius, 17.
Fulginium municipium, & praefectura, LVII.

G

Gabriel Gabriellius ep. vir bellicoſus, 198. Patriae dominatum invadit, 200. *ſeq.*
Gabriellius Joannes Eugubium occupat, 185.
Gentilius Lucas Antonius laudatus, 152.
Gentius rex Eugubinis traditur cuſtodiendus, LI.
Gualterius an ep. Eugub. 83.
Guido ep., 28. An ad eum ſcripſerit S. Petrus Damianus, 28.

H

Hieronymus Roboreus ep., 214.
Homicidarum carina, 70.
Horatius Monaldus ep., 231.
Hugo I. ep., 58.
Hugo II. Labaila ep., 188.

J

Jacobus I. ep., 147. *ſeq.*
Jacobus II., 154.
Jacobus III. Sabellus ep., 225.
Jacobus IV. Cingari ep., 253.
Janninius hiſtoricus Pergulenſis, 151. In eum cenſura Lucae Antonii Gentilii, *ibid.*
Iguvium, & Ikuvium priſca Eugubii nomina, XV.
Imagines SS. in eccleſiis tegendae, 178.
Inquiſitionis tribunal Eugubii erectum, 231.
Inſcriptio Suaſana explicata, LXVII.
Inſcriptiones antiquae Eugubin. XXII.
Joannes I. ep., 22.
S. Joannes II. Laudenſis ex monacho Avellanenſi epiſcopus, 61. Ejus vita, 64. *ſeq.*
Joannes III. ep., 82.
Joannes IV. ep., 190.
Julianus ep., 26.

K

Kalendarium antiquum eccleſiae Eugubinae, CXXIII. CXXVII. *ſeq.* Peruſinum, CXXIV. Fabrianenſia, & Avellanenſia, CXXV. *ſeq.*

L

Laicis nefas cum clero divina officia canere, 178.
Laurentius Corvinus ep., 203.
Legatus S. R. E. Joannes, 82. Gentilis, 127. Petrus Capoccius, 153.
Leonardus Gryphus ex ſecretario apoſtolico epiſcopus, 210.
Leontius epiſcopus fictitius, 9.
Leotas ſonare clericis vetitum, 179.
Lignea aedificia in Italiae civitatibus, LXXV.
Lodulphus an epiſcopus Eugubinus, 22. *ſeq.*
Luceolanum caſtrum haud valde antiquum, 10. An ei ſucceſſerit Cantianum caſtrum, 142.

M

Mainardus ep., 58. Ad eum ſcribit S. Petrus Dam., *ibid.*
Manualia S. Ubaldi ideſt chirothecae, 102.
Marcellus ep. fictitius, 16.
Marcellus Cervinus ep. mox Ro. Pontifex, 202. Ejus vita a Polidorio ſcripta, 223.

Mar-

Marcus ex priore Avellanae ep., 127.
SS. Mariani, & Jacobi corpora Eugubii, LXXIV.
Marianus Sabellus ep., 225.
Merita SS. ideſt reliquiae, XCIV.
Monaſterium S. Thomae de Apuſella, 40.
Monaſteria V. a S. Petro Damiani fundata, 50. Plura in dioeceſi Eugubina, LXXXVI.
Monaſterii S. Mariae Virginum in agro Fabrianenſi fundatio, CXXV.
Monialium parva aſceteria in unum coacta, 208.
Moniales Eugub. clauſura adſtrictae, 228.
Montis Oliveti monachi Eugubium inducti, 185.

N

Necrologium Avellanenſe, 37.
Nocturna ſynaxis Cleri ſaecularis, 178.
Nummi antiquiſſimi Eugubinorum, XXXIV. Poſteriori aevo cuſi, LXIV. LXV.

O

Obedientiales monachi, 179.
Offredus ep., 115.
Oratorii S. Philippi Nerii congregatio Eugubii inſtituta, 237.
Oſtienſis epiſcopatus per Albertum epiſcopum a S. Petro Dam. adminiſtratus, 49.

P

Palmerius ep. confictus, 19.
Palatium publicum Eugubinorum conditum, 188.
Parochiales eccleſiae antiquiſſimae, LXXIII.
Paulus ep. fictitius, 13.
Paulus alter videtur expungendus ex albo epiſcop. Eugub. 147.
S. Petrus Damianus curam gerit eccleſiae Eugubinae, 30. 31. Cardinalis creatus frequentem moram ducit apud Avellanam, 56.
Pergulani caſtri initia, 140.
Petrus Ariminenſis prior Avellanenſium quo tempore fuerit, 87. 92.
S. Ubaldo carus, *ibid.*
Petrus L. Bembus ep., 221.
Petrus II. Gabriellius ep., 184.
Petrus III. Carpineus ep., 229.
Poenitentiam, 100. ann. ſponte ſuſcipit S. Rodulphus ep., 52.
Praedicatorum ordo Eugubii, 159.
Probinus ep. fictitius, 19. Probus item, 12.
Pſalmos 70., & amplius recitans ſe flagris cruciabat S. Joannis Laudenſis, 75. Pſalterium integrum eo modo recitabat S. Rodulphus, 52.

Q

Quadrageſimae utriuſque initium quomodo tranſactum ab Avellanitis, 70.
Quintianus ep. fictitius, 19.

R

R. epiſcopus ad quem ſcribit S. Petrus Damiani an Eugubinus, 32.
Rainerius Rainerii Marchionis filius caſtrum cedit eccleſiae Eugub., 129.
Raphaellia gens clariſſima, 199.
Raynaldum canonicum in ſchiſmate cleri Eugubini electum epiſcopum rejicit Innoc. III. 130.
Raynaldus Conradi ducis fil. excommunicatus, 137.
Recinetenſium ſeditiones, CXII.
Robertus de Robertis Eugubii poteſtas electus a Clem. IV. 157.
S. Rodulphus ep., 31. Ejus geſta, 32. *ſeq.*
Ruſticus ep., 61.

S

Sancti, & Beati, aliique pietate ſpectabiles Eugubini, CXXII. *ſeq.*
Santuccianae moniales, CI. *ſeq.*

S. Se-

S. Secundi olim Secundini ecclesiae fines assignat S. Vilanus ep., 132. Clericorum numerum in ea residentium confirmat Honorius III., *ibid.*
Sebastianus Pompilius Bonaventura ep., 246.
Seminarium Eugubii erectum, 228.
Sepulchrum antiquum Eugubii, XXII.
Servorum ordo Eugubium inductus, 188.
Solitarii, & cellarii, 180.
Sortes apeninae, XLV.
Sostenens M. Cavallus ep., 251.
S. Sperandeae acta, CVI. *seq.*
S. Sperandei fratres ad divi Donati de Fauce, 169. Iidem Servi Recuperati olim dicti, 263.
Spoleti dux Conradus, 124. Dioticherius, 142.
Statutum Eugubinum conditum, LXV. Confirmatum, 190.
Stephanus ep., 83.
Suasae civitatis situs, LXVII.
Synodus Franciſci ep. ann. MCCCIII. celebrata. 171.

T

Tabulae aeneae Eugubinae, XXXV. Quibus literis scriptae, *ibid.* Qua lingua, XLVI. Interpretatio earum saepius tentata, XXXVII. Quam antiquae, XL.
Tadinatis ecclesiae visitatio Gaudioso ep. commissa, 18.
Templum Jovis apenini quo loco situm, XLII.
Theatrum vetus Eugubinorum, XX.
Theobaldus ep., 107.
Theudaldus S. Mariani, ideſt Eugubinus ep., 27.
Translatio S. Ubaldi, 127.
Tunnius ep. fictitius, 13.
Turcius Octavius canonicus Piranus laudatus, 26. 38.

V

Vasianus ep., 189.
S. Ubaldus ep., 84. An a S. Jo: Laudensi sacerdos ordinatus, 84. Ejus vita a Teobaldo successore scripta, 93. Canonizatio, 122. Translatio, 127.
Veliternus episcopatus cum Ostiensi a S. Petro Damiani administratus, 30.
Venantius ep. Clusinus ad quem scribit S. Gregorius M., 18.
Ventura ep., 163.
Viellas sonare clericis vetitum, 179.
S. Vilanus ep., 130. Ejus gesta, *ib. seq.*
Urbinatem archiepiscopatum erigit Pius IV. 226.
Usurarios, & falsarios in concione coercet Jacobus ep., 149.
Vita S. Rodulphi ep. Engub. a S. Petro Dam. scripta, 49. *seq.* S. Jo: Laudensis, scripta a monacho anonymo, 64. *seq.* S. Ubaldi a Teobaldo successore, 93. *seq.* S. Sperandeae, CIX. *seq.*

X

Xenodochium de caritate, 163.



LECTO-

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

SI auctor hujus libri abundaret otio, poſſet addere multa iis, quae primo ſcripſit, plura immutare, ac multo etiam fortaſſe plura corrigere. Sed quoniam id non ſinunt ejus occupationes, vix pauca ex gravioribus mendis hic tollentur, quae ſane multa irrepſerunt, praeſertim ob diu intermiſſam libri editionem; nec plura addentur, quam quae ad extremam hanc paginam implendam ſufficiant.

Sic igitur corriges pag. XIII. l. 13. Peruſinis, & Aſſiſinatibus. XXI. l. 14. habebis quinto loco. LXXV. l. 38. 39. Toloſanus. CIV. *de S. Sperandea haec adde:*

S. Sperandeae acta juſto volumine complexa nuper edidit, & illuſtravit nobilis, & doctus vir Cingulanus, ſuo nomine ſuppreſſo, quod aliunde clariſſimum eſt. In eo libro antiquae tabulae memorantur, ex quo apparet alumnos B. Sperandei *ſervos recuperatos*, ſeu *recoparatos* dictos fuiſſe. Ad eos igitur ſpectat antiquum ſigillum nuper Eugubii repertum, quod hic habes. Communicavit nobilis vir Hieronymus *della Branca* comes Eugubinus. In eo leges: *Sigillum* SERVORV*m* RECOPARATORV*m* DE VGVBIO.

Pag. CVII. l. 12. Sperandeae n. IX. CXIX. (8) Ita olim placuit. Nunc codicis Cingulani lectio ſollicitanda non videtur. Pag. 2. l. 30. reliquias. 12. l. 36. patriam addit Lazarellus.

Pag. 24. Quae in ſigillo hic propoſito expreſſa ſunt, optime quadrant in S. Galganum abbatem, ut nuper monuit Jo: Hieronymus Carlius, vir doctus, ſaepe mihi cum laude nominatus. Non ergo ad Avellanenſem, ſed ad S. Galgani abbatiam, quae eſt in ditione Senenſi, pertinuiſſe exiſtimat.

Pag. 67. l. 23. 24. Ea verba: *ex ejus ſcriptis, &c. ex margine huc irrepſerunt, quae in extremam paginam a typographo rejicienda fuerant.* 110. l. 15. Non bene inſcriptum Bonarto dicitur diploma hic indicatum.

Pag. 121. *de Bentivolo epiſcopo.* Cl. Coſtadonus ex noſtris, Clementis III. diploma ad me miſit, in tabulario canonicorum eccleſiae Peruſinae a ſe repertum *venerabili fr. V. epiſcopo Peruſino inſcriptum*, cujus tale initium eſt: *Ad audientiam apoſtolatus noſtri pervenit, quod canonici eccleſiae tuae audiſſent, quod dilectus filius noſter B. quondam ipſorum archipresbyter in epiſcopum eſſet electus, &c.* Peruſinum epiſcopum hic monet Pontifex, ut canonicis ſua jura ſalva eſſe velit in novi archipresbyteri electione. Porro in inſcriptione, quae huic diplomati facta eſt, B. iſte dicitur epiſcopus Eugubinus.

Pag. 126. Cum Marcus adhuc Avellanenſi eremo praeeſſet, Jordanus, epiſcopus Humanae, Avellanenſibus donavit *eccleſiam S. Mariae, quae eſt ſita in fundo Laureti.* Extat ejus donationis charta autographa, a me olim reperta, & in archivum Avellanenſe illata, quam vulgabo in antiquitatibus Avellanenſibus, opportunis animadverſionibus inſtructam, quod non hic fruſtra indicatum fuerit.

Pag. 155. l. 3. Aſſiſien. 213. l. 16. Synodum tamen dioeceſanam Eugubii celebravit an. MCDLXXXXII. die IV. Decembris, ejuſque conſtitutiones Synodales exſtant in tabulario epiſcopali, ut monuit diligentiſſimus Repoſatus. 215. l. 2. ordinis Praedicatorum, an canonicus regularis S. Salvatoris? Ita monuit idem diligentiſſimus Repoſatus. 248. l. 20. agebat.

Reve-

Reverendiſs. Dñus Xaverius Marinius, J. U. Doctor, & S. Piſauren. Eccleſiae Can. Theologus, S. Scripturae, & hiſtoriae Eccleſiaſticae profeſſor, videat, & referat.

J. B. Paſſerius Vic. Gen.

De mandato Reverendiſs. Dñi J. U. D. Jo. Baptiſtae Paſſerii Vic. Gen. legi opus *de Epiſcopis Eugubinis*, ſtudio Adm. Rev. P. D. Mauri Sartii Mon. Camald. exaratum; quod cum nihil, quod ſanum non ſit, nec Catholicae Religioni, boniſque moribus reſpondeat, praeſeferat; quin imo plurima ſit eruditione refertum, par profecto eſt, ut typis mandetur: Unde quotidie magis literaria intelligat Reſpublica, quantum in tanto Viro gloriari, atque ſibi de ipſo polliceri poſſit.

Dat. Piſauri ſeptimo Kal. Quintiles an. 1752.

X. Marinius S. Piſ. Eccleſiae Can. Theol. J. U. Phil., ac Theol. Doctor, nec non S. Scripturae, & Eccleſiaſticae Hiſtoriae profeſſor.

Attenta ſupradicta relatione, imprimatur qua ad Nos, J. B. Paſſerius Vic. Gen.

Die 26. Junii 1751.

Committimus Adm. R. P. Lect. Gaſp. Ordinis S. Franciſci Min. Riſ. Conſ. Th. pro hoc S. Off. in conv. Piſauri ut videat, corrigat, & remoneat omnia, &c. & ſua atteſtatione approbet, & referat. Ita eſt Fr. Hyacinthus Antonius Mazzoli Ord. Praed. Sac. Theol. Mag., ac S. Off. Vic.

Die 12. Julii 1752.

De mandato Adm. R. P. Mag. Vicarii S. Officii perlegi attente opus *Mauri Sartii Monachi Camaldulenſis de Epiſcopis Eugubinis*, in quo eximiam diligentiam & curam praecipuam veritatis inveni, pluribus, & utilibus eruditionibus ornatum perſpexi, referens omnia tum fidei, tum bonis moribus conſona; quare ut typis mandari poſſit non tantum judico, ſed ad literariam Rempublicam utile commendo.

Fr. Gaſpar de S. Romulo Strict. Obſerv. S. Franciſci Conſultor Theol.

Die 12. Julii 1751.

Viſa approbatione ſupradicti noſtri Adm. R. P. Lect. Gaſparis Conſultoris, imprimatur, Vic. S. O. Piſauri.